




PROSPICIO.
JAMES
EDMUND
SCRIPPS


PROSPICIO
JAMES
EDMUND
SCRIPPS
1896



EPHEMERIS EPIGRAPHICA

CORPORIS INSCRIPTIONVM LATINARVM SVPPLEMENTVM

EDITA IVSSV

INSTITVTI ARCHAEOLOGICI ROMANI

VOL. II

VENIT
ROMAE APVD INSTITVTVM
BEROLINI APVD GEORGIVM REIMERVM
1875

INSVNT.

CYRIACI ANCONITANI INSCRIPTIONVM LESBIACARVM SYLLOGE INEDITA.

Mazochii epigrammatum (ed. Romae 1521) exemplo olim in S. Augustini coenobio, nunc in universitatis bibliotheca (XIV, Q. 20) Paviae asservato in calce subiunctae sunt aliquot inscriptiones manu scriptae, graecae pleraeque, Lesbiacae omnes. Indagavit haud ignobilem hanc syllogen circumspecta Theodori Mommsen diligentia eiusdemque viri insigni beneficio mihi hoc datum est, ut comperto longe plurimas esse ineditas, reliquas autem non sine fructu ex novo fonte iterum edi posse, omnes quotquot essent inscriptiones ederem editasque necessariis commentariolis adornarem.

Rarae sane aves adhuc fuere tituli graeci ex solis libris manu scriptis traditi; sed Mommseni exemplum latinarum inscriptionum copia mirifice illinc aucta probatum luculentissimam nobis spem aperuit, fore ut eisdem tandem diligentius aditis fontibus etiam graecarum emergant haud exigua incrementa. Cyriaco Anconitano, indefesso monumentorum inscriptionumque investigatori, sive ipsi sive his qui eius copias in suum usum converterunt, in primis debentur quae graeca ex codicibus nova redundant. Et Cyriaci, qui anno 1431 ex oriente redux magnum titulorum numerum adportavit[1]), hanc quoque quam editurus sum syllogen esse iudicavit Mommsen. Et verissime quidem. Longe plurima pars ut dixi titulorum inedita est; aliquot tamen novit etiam Boeckh anteaque noverunt Gruter et Muratori, quorum ille codice Palatino 156 (f. 14 sq.), hic schedis Vallicellanis a Ios. Bianchinio missis (nunc cod. Vallic. G 47 f. 43 sqq.) usus est. In Palatino libro sex sunt graeci tituli, Lesbiaci omnes (C. I. G. 2171. 2173. 2190. 2211. 2194. 2172) omnesque praeter primum in Paviana sylloge redeunt. Praecedit ex variis scriptoribus deprompta de Lesbo insula adnotatio geographica, ut certo consilio solidam Lesbiacorum

[1]) Vide vitae Cyriaci Scalamontianae p. LXXXII sq., item Mommseni conspectum itinerum Cyriaci eorumque quae ex commentariis eius supersunt C. I. L. III p. XXII. XXIII.

collectionem confectam esse appareat. Praeter Cyriacum autem nemo est qui XV vel XVI saeculo — hoc enim tempore scriptus est cod. Palatinus — Lesbum insulam antiquitatis monumenta colligendi causa adierit. Lemmata codicis nunquam quidem eisdem verbis, quibus Paviana concepta sunt, sed in ipsis rebus egregie congruunt, cf. ad n. XXI. XXII. V. XXV. XXVI. Paullo aliter codex Vallicellanus comparatus est. Praeter Asianas enim quinque, in quibus Lesbiacae quattuor, Romanae inscriptiones duae, Ostienses Reatinae Florentinae singulae, aliae paucae loco nullo indicato ibi prostant, latinis graecis mixtis. Videamus Lesbiacorum lemmata.

1. huius syll. n. IV: in columna marmorea Neronis epigramma. Cod. Vall.: ad marmoream columnam in Neronem Caesarem epigramma.
2. h. syll. n. XIII: in alia (basi). Cod. Vall.: ad marmoream basin in Traianum Caesarem.
3. h. syll. n. XXVIII: Ibidem (i. e. in balneis Lesbi). Cod. Vall.: apud Lesbon in quadam basi.
4. h. syll. n. XII: in alia basi (praecedunt Mytilinea). Cod. Vall.: ad marmoream basin apud Mytilenen.

Consideres velim, in Paviana apographo minime integra servari lemmata, immo valde in brevius coartata atque ex proxime cuiusque antecedentis natura conformata: concedes, non casu factnm esse, ut ne sic quidem omnis lemmatum similitudo periret; cf. in primis ad n. IV.

Lectio Vallicellana rarissime a Paviano discrepat; neque enim curo levidensia illa menda, quae pro se quisque prava loquendi consuetudine imbutus inferre solebat, ut pro η scriberet ι, ο pro ω sim. In titulo IV praescripta formula ὁ δῆμος — sic enim in Vallicellano — omittitur in apographo Paviano, et potuit omitti facillime; eiusdem neglegentiae exemplum infra ex Palatino adtuli ad n. XXII. — Deinde in n. XII legitur: ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙΣΑ. ΝΕΡΟΥΑΤΡΑΙΑΝΩ ΚΑΙΣΑΡΙ, ubi nihili esse prius ΚΑΙΣΑ. et sponte apparet et sensit librarius, qui coeptum vocabulum nec ad finem perduxit et punctum adposuit, ut scilicet errasse se significaret. Desunt hae litterae in Vallicellano. Iam vero notandum est in apographo Paviano versus non fere dividi, dividi vero in Vallicellano et huius quidem tituli ita, ut αὐτοκράτορι et Τραιανῷ vocabulis versus terminentur, itaque versus secundus ab ΚΑΙΣΑ. frustulo, tertius ab ΚΑΙΣΑΡΙ voce initium capiat. Cognoscitur hoc peccasse librarium, ut a secundi ad tertii versus initium oculis aberraret certumque est versus adeo eundem in modum divisos utrumque librarium ante oculos habuisse. Certior etiam si possit fieri res fit eo, quod in errore quodam haud vulgari consentit cum Vallicellano Pavianum apographum; utrobique enim in n. XII pro κτίστῃ scribitur κτίστω (Pavian. κτήστω), forma plane inaudita.

Vallicellani autem demonstrari potest Asianas saltem inscriptiones Cyriaco deberi. Traditur enim f. 45' titulus C. I. 3527 cum hoc lemmate: 'Apud Eoliam dirutum Appollinis templum antiquissimum magnis et nobilibus litteris epigramma'. Quae ad verbum versa sunt ex graeca Cyriaci adnotatione servata in Strabonis codice Mediceo plut. XXVIII, 3: Κυριακὸς

δ' ἐγὼ αὐτὸς μεταξὺ Μυρίνης καὶ Κύμης ἐς τὰ τοῦ αὐτοῦ Ἀπόλλωνος ἱεροῦ ἐρείσια ἐν τῷ ὑπερκειμένῳ λίθῳ τῆς πύλης μεγίστοις καὶ καλλίστοις γράμμασι παλαιοῖς τόδε ἐπίγραμμα εὗρον. Itaque unde hic unus fluxit titulus, indidem certe reliquorum quoque origo repetenda est, et cum Vallicellani Pavianique apographi idem fuerit archetypon, Mommseni de Cyriaco auctore iudicium satis probatum est.

Restat ut proferam quod versibus in Vallicellano accurate divisis fidem faciat. In eodem cuius lemma modo adposui titulo sic scribitur:

Ἀπολλωνι ···· *χρησ*
χρηστηριω ι
φιλεταιρος
ατταλου . —

ut pateat librarium propterea litteras *χρησ* v. 1 delevisse quod in archetypo versui secundo demum eas tribui intellegeret. Curiosissime igitur hanc officii sui partem persecutus est. Qua re etsi non efficitur, ipsum etiam quadratarium ita versus distribuisse, tamen ad id quod nobis pro archetypo esse debet exemplum proxime accessimus. Etenim cum ipsi lapides perierint, in eadem plane causa versamur, atque qui scriptoris alicuius editor, nisi ubi ratio vetat, eius codicis sequitur auctoritatem, qui accuratissimam perditi archetypi imaginem referre videatur. Neque aliam rationem in restituenda dialecto aeolica secutus sum, cuius passim oblitterata sunt vestigia; cavi ne quo aeolicam formam de meo inferrem, nisi ubi leviter a librario peccatum esse manifestum fuit; neque quo monito vix opus est ad severas normas titulorum maximam partem recentium dialectum exegi. Diu mansisse dialectum apud Aeolicos verum est, sed arte magis quaesitam quam natura insitam, neque quid sibi postularet rationis, inter posteriorum temporum homines satis constabat. Accentuum locus cum etiamnunc difficilis sit et arbitrio magis quam legum certitudini obnoxius, grammaticos audivi, ubi quid tradiderunt, ubi defecerunt, vulgari usui obsecundandum putavi.

Apud Mytilenem.

I. ΑΒΟΛΛΑ|ΚΑΙΟΔΑΜΟS|ΦΛ·ΠΟΥΠΛΙΚΙ|ΑΝ·ΝΕΙΚΟΜΑ|ΚΙΔΑΒΑΤΑΝ|
ΠΛΙΔΑΔΙΝΝΟ|ΜΑΧ·ϭ·ΚΑΙ|ΠΑΟΚΛΗΣ|ΤΩΝΕΥΕΡΓΕ|ΤΑΝ ΚΑΙ|ΑΠΟ
ΠΡΟΓΟΝΩΝ|ΕΥΕΡΓΕΤΑΝ|ΚΑΙΚΤΣΤΑΝ|ΤΑΣΠΟΛΙΟΣ|ΑΜΜΕΩΝ·

II. ΤΑΝDΙΑΙΩΝΟΣ·ΠΡΥΤΑΝΙΓ|ΑΡΕΤΑΣΕΝΕΚΑ|ΠΑΙΣΑΣ·ΤΑΝΓΥΝΑΙ
ΚΑΤΩΣΕΒΑΣΤΩΝΕ·|ΑΝ·ΘΕΑΝΒΟΛΛΑΚΑΙΟΔΑΜΟΣ|ΣΕΒΑΣΤΑΝ
ΓΥΜΝΑΣΙΛΡΧΟΝ.|ΔΙΑΙΩΝΟΣΙΟΥΛΙΑΝΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ

In basi marmorea.

III. CIVES ROMANI QVI MYTILENEIS NEGOCIAN|TVR M
TITIO L . F PROCOS . PRAEF . CLASSIS | COS . DESIG .
PATRONO HONORIS CAVSSA

In columna marmorea Neronis epigráma.

IIII. ΝΕΡΩΝΑΙΟΥΛΙΟΝΚΑΙΣΑΡΑΠΑΙΔΑΘΕΩΝΕΩ|ΓΕΡΜΑΝΙΚΩΚΑΙΣΑ
ΡΟΣΚΑΙΘΕΑΣΑΙΟΛΙΔΟΣΚΑΡΠΟΦΟΡΩΑΓΡΙΠΠΙΝΑΣ

In marmorea tabula ibidem.

V. ΟΠΑΝΤΑΣΟΦΟΣΚΑΙΜΟΥΣΩΝΟΧΑΡΙΣΟΣ|ΑΛΚΙΒΙΑΔΗΣΒΥΖΑΝ
ΤΙΟΣΕΝΘΑΔΕΚΕΙ|ΜΑΙΕΛΛΗΝΩΝΠΑΝΤΩΝΟΡΝΙSΑΟΙΔΟΤΑ|ΤΟΣ
ΛΟΥΚΙΛΛΙΑΝΗΔΕΜΟΙΗΝΠΑΡΑΚΟΙΤΗΣ|ΗΕΕΚΔΑΠΑΝΩΝΤΥΝΒΟΣ
VI. ΕΧΕΙΓΑΥΤΟΣΛΕΣ|ΒΩΕΝΙΧΩΡΩΗΔΕΥΔΑΙΜΩΝΜΥΤΙΛΗ|ΣΩΜΑ
ΜΕΤΩΚΙΣΑΤΟΤΗΝΚVΝΑΛΕΣΒΙΑΚΗΙ|ΒΩΛΩΙΥΠΕΘΗΚΑΤΟΒΑΛ
ΒΟΣΕΥΞΑΜΕΝΟΣΚΟΥΦΗΝ|ΤΗΙΚΑΤΑΓΗΣΣΚΥΚΑ|ΔΟΥΛΙΔΑΚΑΙ
ΣΥΜΠΛΟΥΝΠΟΛΛΗΣΑΛΟΣΤΙΝ|ΚΑΙΠΑΡΑΣΧΟΙΣ|ΑΝΘΡΩΠΟΙΣ
ΑΛΟΓΟΙΣΤΑΥΤΑΧΑΡΙΖΟΜΕΝ

In alia basi.

VII. ΑΒΟΛΛΑΚΑΙΟΔΑΜΟΣΤΑΝΑΥΡ·ΑΡΤΕΜΙΣΙΑΝΤΩ|ΔΙΚΩΤΩΕΥΤΥ
ΧΩΘΥΓΑΤΡΑΤΑΝΑΟΓΙΟΝΠΡΙΤΑΝΗΝ|ΚΑΙΕΥΕΡΓΕΤΙΝΙΕΡΕΑΤΑΝ
ΘΕΑΝΕΤΙΦΙΛΑΝΚΑΙΚΑ|ΡΙϹϹΑΝΚΑΙΕΡΓΟΦΟΡΟΝΤΟΝΑΓΙΩΤΑ
ΤΩΝΜΥΓΓΑΡΙΩΝ|ΤΑΝΑΠΥΓΟΝΟΝΠΟΤΑΜΩΝΟΣΤΩΝΟΜΟ
ΘΕΤΑΚΑΙ|ΛΕΣΒΩΝΑΚΤΟΣΤΩΦΙΛΟΣΟΦΩΤΟΙSΕΥΕΡΓΕΤΑΙΣ|ΑΡΕ
ΤΑΣΕΝΕΚΑΠΑΙϹΑΝ|ΟΝϹΤΑΘΕΙϹΑΣΤΕΙΜΑΣΥΠΟΤΑϹΙΡΑϹΒΟΛ
ΛΑϹΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝ|ΤΟΓΤΩΠΡΑΜΜΛΤΕΟϹΑΥΤΑϹΑΥΡΠΡΟΚΛΩ
ΤΩΙΟΥΣΤΩ

In diversorio quod vocant paradisum.

VIII. ΣΤΟΡΓΗΟΥΘΥΛΙΑΣΧΡΗΣ·ΧΑΙΡΕ Ibidem in alio lapide.
VIIII. ΣΥΜΦΕΡΟΥΣΑΧΡΗΣΙΜΗΧΑΙΡΕ Ibidem in alio.
X. ΦΟΡΜΟΣΑΧΡΗΣΤΗΧΑΙΡΕ Ibidem in alio.
XI. ΕΠΑΦΡΑΥΓΕΝΟΥΚΑΤΕΣΚΕΥΑϹΕΜΕΤΑΤΟΝΕΜΟΝΘΑΝΑΤΟΝΕΜ
ΟΗΑΕΞΟ|ϹΙΑΕΧΕΙΑΛΟΝΠΑΝΤΩΝΕΜΩΝΤΕΚΤΩΝ

In alia basi.

XII. ΑVΤΟΚΡΑΤΟΡΙΤΡΑΙΑΝΩΑΔΡΙΑΝΩΚΑΙΣΑΡΙΣΕΒΑΣΤΩΕΛΕΥΘΕ|
ΡΙΩΟΛΥΜΠΙΩΚΤΗΣΤΩΔΗΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

In alia.

XIII. ΑVΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙΣΑ·ΝΕΡΟΥΑΤΡΑΙΑΝѠΚΑΙΣΑΡΙΑΡΙΣΤѠΣΕΒΑ|
ΣΤѠΓΕΡΜΑΝΙΚѠΔΑΚΙΚѠΠΑΡΘΙΚѠΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

In templo beati Antonii.

XIIII. Ο ΔΗΜΟΣ|ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑΤΙΒΕΡΙΟΝΚΑΙΣΑΡΑΣΕΒΑΣΤΟΝΠΑΙΔΑ
ΔΙΟΣΚΑΙΣΑΡΟΣ|ΟΛΥΜΠΙѠΣΕΒΑΣΤΟΝΚΟΙΝΟΝΜΕΝΤΑΣΟΙΚΗΜΕ
ΝΑΣΕΝΕΡΓΕΤΑΣ|ΔΕΑΜΜΑΣΠΟΛΙΟΣΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΝΚΑΙΚΤΙ
ΣΤΑΝ

Atticae antiquissimae litterae.

XV. ΑΜΕΙΝΙΑΣΛΥΣΙΚΡΑΤΟΥΣΑΘΗΝΑΙΟΣ

In tabula marmorea.

XVI. ΑΓΑΘΗΙΤΥΧΗΙ|ΤΟΜΑΚΡΟΝΠΛΕΥΡΟΝΤΟΠΡΟΣΒΟΡΕΑΝΠΗΧΕΙΣ
ΔΥΟΑΝΑΚΑΘΑΙΡѠΝΤΟ|ΠΡΟΣΕΜΕΛΙΟΥΜΕΝΟΝΤΟΜΕΝΚΑΤΑΡ
ΤΟΜΠΡΟΔΟΜΟΝΚΑΙΤΟΝΟΠΙΣΟΟΔΟ|ΜΟΝΕΠΙΤΟΑΥΤΟΕΔΑΦΟΣ
ΤΟΝΥΗΚΡΙΜΕΝѠΙΘΕΜΕΛΙѠΙΤΑΔΕΛΟ|ΙΠΑΑΝΑΚΑΘΑΡΕΙΤΗΣ
ΝΥΝΚΕΙΜΕΝΗΣΕΑΝΔΕΤΙΜΑΛΑΚΟΥΝΗΙΤΟΥ|ΠΟΠΟΥΠΡΟΣΘΕΜΕ
ΛΙΟΥΜΕΝΟΥΑΝΑΚΑΘΑΡΕΙΤѠΙΠѠΙΟΙΠΑΡΕΧѠΝΟΥ|ΤΟΣΑΥΤѠΙ
ΤΟΝΠѠΡΟΝΠΟΙΗΣΑΣΔΕΛΗΨΕΤΕΡΕΟΥΠΗΧΕΩΣΕΥΘΥΜΕΤΡΙΑΙ|
ΟΚΤΩΟΒΟΛΟΥΣΕΡΓΑΓΟΜΕΝΟΣΚΑΘΑΠΕΡΠΙΤΩΝΘΕΜΕΛΙΩΝΓΕ
ΓΡΑΤΑΙ|ΤΙΘΕΙΣΤΟΥΣΕΛΑΧΙΣΤΟΥΣΜΗΚΟΣΤΕΗΜΙΠΗΧΙΟΥΣΠΛΑ
ΤΟΣΠΗΧΙΑΙΟΥΣ|ΠΑΧΟΣΤΕΤΡΑΡΑΛΑΣΤΟΥΣΤΙΘΕΙΣΚΑΤΕΠΙΤΟ
ΜΑΣΠΡΟΣΤΗΝΚΑΤΑΦΟΡΑΝΤΟΥ|ΤΟΠΟΥΤΙΘΕΙΣΕΝΑΛΛΑΣΤΟΙΣ
ΥΠΟΚΑΤΩΝΟΜΟΝΠΑΡΑΝΩΜΟΝΚΑΤΑΤΡΙΔΟ|ΜΗΣΑΣΔΕΕΠΙΤΟ
ΑΥΤΟΑΥΤΟΕΔΑΦΟΣΤΟΝΥΝΚΟΙΜΕΝΩΙΘΕΜΕΛΙΩΙΞΥΣΑΣ|ΟΡ
ΘΟΝΠΡΟΣΔΙΑΒΗΤΗΝΠΡΟΣΤΟΥΚΕΙΜΕΝΟΥΘΕΜΕΛΙΟΝΤΗΝ
ΕΔΡΑΝΕΓΡΑΣΑ|ΜΕΝΟΣΤΟΥΚΕΙΜΕΝΟΥΘΕΜΕΛΙΟΥΤΑΣΕΔΡΑΣ
ΟΡΘΑΣΠΡΟΚΑΝΟΝΑΑΝΑΣΦΥΡΑΕ|ΚΑΙΤΟΥΣΑΡΜΟΥΣΠΡΟΣΚΑΙ
ΕΥ ΓѠΝΙΟΥΣΛΙΟΣϹΤΑΙΠΟΙѠΝΤΟ|ΣΤΕΡΕΟΥΣΥΠΟΞΟΙΔΟΣ
ΔΙΑΨΑΜΜΟΣΑΣΘΕΜΕΛΙѠΟΣΕΤΑΙΠΟΙѠΝΤΟΜΗΚΟΣ|ΤΟΣΥΤΕ
ΡΟΥΠΛΕΥΡΟΥΠΛΕΥΡΟΥΠΗΧΕΙΣΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑΔΥΟΚΑΙΔΑΚ
ΤΥΛΟΥΣΕΠΤΑ|ΠΟΙѠΝΤΟΠΡΟΣΘΕΜΕΛΙΟΝΤΟΥΣΤΥΛΟΒΑ
ΤΟΥΣΗΚΟΥΤΟΙΣΟΝ

XVII. ΑΡΧΙΘΕΟΕΛΥΚΙΝΩΧΑΙΡΕ

XVIII. ΤΙ·ΚΛΑΥΔΙΟΣΚΑΙΣΑΡΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣΑΡΧΙΕΡΕΥΣΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣΕΞ
ΟΥ|ΣΙΑΣΥΠΑΤΟΣΤΕΤΑΡΤΟΝΑΥΤΟΚΡΑΤѠΡ|ΜΥΤΛΗΝΑΙѠΕΑΡ
ΧΟΥΣΙ|ΤΟΝΕΜΟΝΟΙΚΟΝΔΙΣΕΒΕΙΑΝ

In arcu Mytilineo.

XVIIII. IMP · C · C AVRELIO VALERIO DIOCLETIANO P · F · FI · VALERIO CONSTANTIO ET | CAL·VALERIO MAXIMIANO NOBILISS · CAESARIBVS | AVRELIVS AGATHVS CENNA DIVS V · P · PRAES · PROV · INSVL | DEVOTVS NVMINI MAIESTATIQE EORVM DICATISSIMVS

In Lesbo.

XX. ΠΕΡΣΕΥΣΟΚΛΙΔΙΟΦΑΝΗΣΚΡΑΤΗΤΟΣΔΡΟΜΑΓΗΤΗΣΑΙΣΠΑΡΑ
ΧΟΝΤΙΤΑ|ΠΟΛΕΙΚΑΙΤΟΝΕΦΑΒΑΡΧΟΝΕΚ.ΤΟΝ.ΙΔΙΩΝΚΡΑΤΙ
ΣΤΩΙΤΤΑΓΥΜΝΑΣ|ΙΣΑΙΣΤΩΝΝΕΩΝΚΑΙΤΩΘΕΟΤΕΛΕΣΣΑΙΣΔΕ
ΚΑΙΑΛΛΑΙΣΜΕΓΑΛ|ΛΑΣΚΑΙΤΑΞΙΑΕΙΣΚΑΙΕΒΔΙΚΙΑΙΣΚΑΙΒΗΑΙΣΚΑΙ
ΕΚΤΩΝΙΔΙΩΝ|ΚΑΙΓΙΜΝΑΝΔΠΕΠΟΗΚΟΝΓΥΝΝΑΓΑΥΚΩΝ|ΖΩΝ
ΕΑΥΤΟΝΕΠΕΓΡΑΨΕΝ

In balneis Lesbi.

XXI. ΑΡΤΕΜΙΔΙΘΕΡΜΙΑΕΥΑΚΟΩΔΙΤΑΣ

Ibidem.

XXII. AGΑΘΑΤΥΧΑ|ΑΒΟΛΛΑΚΑΙΟΔΑΜΟΣΕΤΕΙΜΑΣΣΕΝΑΥΡ· ΑΘΕΜΙΔΩ
ΡΟΝΒΤΟΥΤΩΥΜΒ|ΝΑΙΩΒΟΛΛΕΥΤΑΝΑΓΩΝΟΘΕΤΙΣΑΝΤΑΚΑΙΠΑ
ΝΗΓΥΡΙΑΡΧΗ|ΣΑΝΤΑΕΝΔΟΞΩΣΚΑΙΦΙΛΟΤΕΙΜΩΣ

Ibidem.

XXIII. ΑΒΟΛΛΑΚΑΙΟΔΑΜΟΣΚΟΡΝΗΛΙΑΣΚΕΘΙΓΙΛΛΑΝΤΗΝΕΥΕΡΓΕΤΙΝ|
ΤΑΣΠΟΛΙΟΣΘΥΓΑΤΕΡΑΜΑΡΚΩΓΑΒΙΩΕΚΥΙΑΑΑΓΑΛΛΙΚΑΝΩ|Υ
ΠΑΤΙΚΩ|ΚΑΙΠΟΜΠΗΙΑΣΑΓΡΙΠΠΙΝΙΛΛΗΣΠΑΙΔΟΠΑΙΔΑΔΕΜΑΡΚΩ
ΠΟΜ|ΠΗΙΩΜΑΚΡΙΝΩΘΕΟΙΑΝΝΕΙΓΟΝΕΥΕΡΓΕΤΑΝΚΑΙΚΙΣΤΑΝ
ΤΑΣ|ΠΟΛΙΟΣ

Ibidem.

XXIIII. ΑΓΑΘΑΤΥΧΑ|ΑΒΟΛΛΑΚΑΙΟΔΑΜΟΣΕΤΕΙΜΑΣΕΝΜΟΔΕΣΤΟΝ
ΑΠΟΛΛΩΝΙΩΤΩ|ΑΥΑΙΩΝΟΣΠΑΙΔΑΑΠΟΛΛΩΝΙΩΤΩΓΥΜΝΑ
ΣΙΑΡΧΩΤΟΝΑΓΩΝΟ|ΘΕΤΑΝΚΑΙΠΑΝΑΓΥΡΙΑΡΧΟΝ

Ibidem.

XXV. ΟΜΑΣΚΑΙΠΑΝΙΡΕΥΣΔΙΑΓΕΝΕΟΣΤΩΣѠΤΗΡΟΣΑΣΚΑΠΙΩΚΑΙ|ΙΡΕΥΣΔΙΑΒΙѠΛΕΣΒΙΟΙΣ

XXVI. ΩΣΤΑΝΚΡΑΝΝΑΝΚΑΙΤΟΥΔΡΑΓѠΓΙΟΝΑΠΟΚΕΓΧΡΕΑΝΑΡ|ΤΕΜΙΔΙΘΕΡΜΙΑΕΥΑΚΟѠΔΙΤΑΣ

XXVII.[1]) ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣΘΕΟΝΝ.|ΚΑΙΑΠΟΛΛѠΝΟΣΘΕΡΜΙ

Ibidem.

XXVIII. ΟΔΑΜΟΣ|ΑΡΧΕΠΟΛΙΝΚΑΡΠΟΦΟΡΟΝΦΙΛΙΠΠΙΝΑΝΤΑΝΓΙΜΝΑ|ΣΙΑΡΧΟΝΕΣΤΟΝΑΙΩΝΑ

Ibidem.

XXIIII*b*. ΑΓΑΘΑΤΥΧΑ|ΑΒΟΛΛΑΚΑΙΟΔΑΜΟΣΕΤΕΙΜΑΞΕΝΜΟΔΕΣΤΟΝΑΠΟΛΛѠΝΙΩΤΩ|ΑΥΛΙѠΝΟΣΠΑΙΔΑΑΠΟΛΛѠΝΙѠΤѠΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧѠΤΟΝΑΓѠΝΟ|ΘΕΤΑΝΚΑΙΠΑΝΑΓΙΡΙΑΡΧΟΝ

In Methymna Lesbi urbe.

XXVIIII. ΠΑΓΓΙΔΑΜΕΝΟΙΚΑΙΕΙΣΕΝΕΓΚΑΝΤΕΣΠΕΙΡΑΕΙΣΤΗΝΣΥΝΟΔΟΝΤѠΝΜΕ|ΓΑΛѠΝΣΑΡΑΠΙΕΙѠΝΟΠѠΣΕΙΣΠΑΝΤΑΤΟΝΧΡΟΝΟΝΤΟΙΣΝΕΙΟΙΣ|ΣΥΝΤΕΛѠΝΤΑΙΛΙΘΥΣΙΑΙΚΑΤΕΚΑΣΤΟΝΕΝΙΑΥΤΟΝΚΑΛΛΙΣΤΟΔΙΚΟΣ|ΚΑΛΛΙΣΤΟΔΙΚΟΥΕѠΙΛΟΣΘΕΟΔΟΤΟΥΦΙΛΙΣΤΟΣ

I. Apud Mytilenem.

Ἀ βόλλα | καὶ ὁ δᾶμος | Φλ. Πουπλικί|αν Νεικομα|[χ]ίδα ..... | παῖδα Διννο|μάχ[ω] καὶ | Π[ρ]όκλ[α]ς | τῶν εὐεργε|τᾶν καὶ | ἀπὸ προγόνων | εὐεργετᾶν | καὶ κτ[ι]ττᾶν | τᾶς πόλιος ἀμμέων τὰν δι' αἰῶνος πρύτανι[ν] | ἀρέτας εἴν[ν]εκα | παίτας.

Ad aeolicam dialectum cuius superant vestigia fortasse omnia revocanda. Certae sunt εἵ[ν]εκα — neque enim ullo in Lesbiorum titulo ἕνεκα legi —

---

[1]) a codice haec scripti sunt in semicirculis duobus. G. K.

et Διννομάχ[ω] formae, quae altera etiam ipsa erroris ratione commendatur; facilius enim ex uno (Ω) quam ex duabus litteris (ΟΥ) male lectis foliolum quod traditur oriri potuit. ἀπὸ vero praepositionem intactam reliqui; legitur eadem in titulo ceterum aeolice scripto C. I. 2172: ἀπὸ Κεγχρεᾶν. — Sub finem verba ἀμμέων — πρύτανιν unius versus spatio coercita fortasse in duos dispescenda: ἀμμέων τὰν | δι' αἰῶνος πρύτανιν.

De tertio vel adeo quarto Publiciae nomine non certa res est. Non dubitarem Νεικομαχίδα pro vera habere, modo scirem quid proximis facerem ΒΑΤΑΝ. Est quidem Βάτων vetus nomen, unde et Βάτος et Βάτη cogitari possit. Fore suspicor, qui ΝΕΙΚΟΜΑ in ΝΕΙΚΟΛΑΝ (cf. Lobeck proll. pathol. p. 130 et Keil anal. epigr. p. 161) mutari velint, in reliquis autem superlativum aliquem latere censeant, velut κλεινοτάταν. Matris nomen non nimis audaci correctione Πρόκλα feci; possis etiam Παό[λ]λ[α]ς vel, si Κ in Υ mutare audeas, Παο[ύ]λ[α]ς. Παουλλῖνα in C. I. 6665 est. Cf. Dittenberger in Hermae vol. VI 307.

Praeter senatum saepius prytanes apud Mytilenaeos memorantur. Cf. Sapphus fr. 139 B. Quot fuerint, ignoramus. Publiciae per totam vitam hic honor tribuitur, alius quis (C. I. 2189) τὰν ἐπώνυμον ἀπὺ βασιλέων πρυτανηίαν gerebat.

Ceterum ex Πουπλικίαν scriptura quod aliquod aetatis tituli indicium ducere possumus, Dittenbergeri opera factum est, qui l. s. s. p. 287 sqq. ad tertium usque p. Chr. n. saeculum Πόπλιος nomen indeque quae derivantur, non ου diphthongo, sed simplici ο vocali scripta praevaluisse demonstravit.

II. Priori titulo ita continuatur, ut eiusdem particula habitus esse videatur nec novo lemmate adornatus sit.

Τὰν γυναῖκα τῶ Σεβάστω νέ-
αν Θέαν [ἀ] βόλλα καὶ ὁ δᾶμος
Σεβάσταν γυμνασίαρχον
δι' αἰῶνος Ἰουλίαν Ἀγριππίναν

V. 2 articulo inserto opus est. — Similem verborum ordinem habes C. I. 5904: τὴν ἐπὶ πάσῃ ἀρετῇ σωφρο|σύνῃ τε καὶ σοφίᾳ διαπρέπου|σαν Ἰουλίαν Βάστιλλαν (quod nomen temere corrigit Franz) βουλὴ | καὶ δῆμος τῆς λαμπρᾶς [πόλε]|ως Ταυρομενιτῶν ἀνέ[στη]|σεν τὴν λαμπροτάτην.

Iulia Agrippina — sic nominatur Tac. Ann. XII 1 — anno post initum cum imperatore Claudio matrimonium Augustae nomen accepit teste Tacito Ann. XII 26, quapropter a. 49 non antiquior est titulus. Νέα Θεά quod appellatur, hinc de certi cuiusdam numinis religione cogitare vetamur; quamquam cum, ut mater apud Mytilenaeos Cereris nomine colebatur, ita et ipsa filia in compluribus et romanae et externae originis nummis caput spicis obvelatum habeat (cf. Eckhel VI 257. 259), haud absonum esset suspi-

cari, filiam in matris sacra adscitam fuisse. Et fuit vero. Legimus in titulo C. I. 2183: θεᾶς Σεβαστᾶς Αἰολίδος καρποφόρω Ἀγριππείνας, ubi cum vix reperias quo errore Σεβαστᾶς vocabulum irrepserit, sine dubio Claudii, non Germanici uxor dicitur. Tamen quoniam Mytilenaei, νέαν θεάν inscribentes Agrippinam, ipsum nomen tacuerunt, sequitur eo saltem tempore quo titulus insculptus est, nondum Cereris nomen eam accepisse.

Gymnasiarchiae munus in Agrippinam non collatum esset, nisi liturgia potius magistratus fuisset, id quod apud Athenienses ita fuisse verius quam elegantius demonstravit Neubauer Comment. epigr. p. 33 sq., cf. infra ad n. XX.

III. In basi marmorea *Pav.* Sine lemmate *Vall.* Reliqua v. apud Mommsenum.

Cives Romani qui
Mytileneis nego[t]iantur
M. Tit[i]o [M.] f. pro cos.
praef. classis cos. *cos. u. c. 723*
desig. patrono
honoris causa

Ed. Mommsen C. I. L. III, 450.

IV. In columna marmorea Neronis epigramma *Pav.* Ad marmoream columnam in Neronem Caesarem epigramma *Vall.* Boeckhii lemma 'in Aeolia' Muratorii neglegentia ortum.

[Ὁ δᾶμος] | Νέρωνα Ἰούλιον | Καίσαρα παῖδα | θέω νέω Γερμα|νίκω Καίσαρος | καὶ θέας Αἰολί|δος καρποφό|ρω Ἀγριππί̣νας.

C. I. 3528. — V. 1 ὁ δᾶμος add. ex Vallic. Formae θεοῦ νέου Γερμανικοῦ et καρποφόρας Ἀγριππείνας vere Muratorianae sunt.

Positus titulus post a. 20, quo togam virilem sumpsit Nero Iulius, ante a. 31, quo mortuus est; cf. Tac. Ann. III 39. IV 4. Parentum sacra a. 18 apud Mytilenaeos coepta esse probabile duco; tunc enim Germanicus in Syriam profecturus ab Euboea insula 'Lesbum tramisit, ubi Agrippina novissimo partu Iuliam edidit'. — Agrippina in nomen religionemque Cereris deae adscita θεὰ Αἰολὶς καρποφόρος vocabatur. Non exigui videntur Cereris Proserpinaeque apud Lesbios honores fuisse: αἱ καρποφόραι θεαὶ latent in frgm. C. I. 2175, eaedemque deae etiam alio quamvis obscuro nomine utuntur mysteriis sancito. Nam pro explorato esse potest, illarum sacerdotem fuisse mulierem quae in titulo h. syll. VII ἱερέα τᾶν θεᾶν Ἐτηφιλᾶν vocatur. Duplex praeterea deae Ἐτηφίλας memoria servata est in titulo apud Conzium Lesbos tab. XVII, 1, 12 et C. I. II Add. 2192*b*, quibus locis Ceres certo intellegenda est. Denique Eresi invento anaglypho inscriptus est dativus

FRVCTIERAE (*sic*), quod Conze qui edidit l. s. s. tab. XIII 19 nimis caute ad Cererem an ad Isidem referat haeret; Isis enim apud solos Aegyptios quod sciam *καρποιφόρος* appellabatur. — Boeckh hoc *καρποφόρος* nomen propter nobilem mulieris fecunditatem Agrippinae delatum esse existimat. Minime vero. Καρποιφόρος non ea graece dicitur, quae fertilis, sed quae fructifera Romanis est. Fructifera autem dea est, quae fructuum proventum curat et efficit, siue Ceres siue Terra dea. Καρποιφόρος vocatur Iulia Augusta in nummo dextera tres spicas tenens (Ann. Inst. 1850 p. 202). Atqui 'nihil liberorum tulit' ex ea Augustus, Suet. Aug. c. 63. — Erravit etiam Eckhel VI 214 nomen *Αἰολίς* inde explicans, quod et Germanicum et Agrippinam Lesbii civitate donassent. *Αἰολὶς* 'Αγριππῖνα esset sane Aeolica civitate donata Agrippina vel posset esse, sed *θεὰ Αἰολὶς* 'Αγριππῖνα dea est quae ad omnem Aeoliam provinciam pertineat. Non quidem Aeoliae caput Mytilene est, sed Lesbi tantummodo. Verum cogitari potest, ceteros Lesbiis, apud quos commorabatur Agrippina, mandavisse, ut ipsi pro omnibus eius nomen communibus sacris adderent.

V. In marmorea tabula ibidem (i. e. Mytilene) *Pav.* Haec marmori inscripta sunt mitileni de Alcibiade *Pal.*

Ὁ *πάντα σοφὸς καὶ μουσῶν ὄχ' ἄρισ[τ]ος*
'Αλκιβιάδης Βυζάντιος ἐνθάδε κεῖμαι,
'Ελλήνων πάντων ὄρνις ἀοιδότατος·
Λουκιλλιανὴ δέ μοι ἦν παράκοιτ[ι]ς,
ἥ[ς] ἐκ δαπανῶν τύνβος ἔχει [με κλ]υτός
Λέσβῳ ἐνὶ χώρῳ· ἡ δ' εὐδαίμων Μυτιλή[νη]
σῶμα μετωκίσατο.

C. I. 2211. — Sordide consuti panni metrici ex antiquiore exemplo deprompti sunt, cuius haud vulgarem fuisse orationem ex verbo *μετῳκίσατο* colligas. Mortui uxorisque et patriae nomina in causa fuerunt, ut pristina elegantia periret.

V. 1 cave putes *ἔξοχ' ἄριστος* refici posse. Dixit enim Homerus *ὀνειροπόλων ὄχ' ἄριστος*, neque huius generis formulae perverti solent. Μουσῶν cognomen in Alcibiadis familia usitatum fuisse sumit Welcker; melius vero Boeckh vertit 'optimus poesi'. In primo enim versu Alcibiadis ingenium laudatur, qui cum in aliis omnibus sapiens tum eximius poeta fuerit. Genetivus non nimium placet, at nec reliqua. Sententia similis in ep. A. Pal. VII, 355: *ἦν δ' ὠνὴρ μουσῶν ἱκανὴ μερίς*. Etiam Pomponiis Musae cognomen demendum arbitror, quod Mommsen eis indidit I. R. N. 3329 hisce verbis nisus, quae subscripta sunt: 'sei fieri potuisset, aeternam incolumitatem Musae donassent'. Immo musis amicum Pomponium Petronianum si potuissent, incolumem fecissent Musae, quae orationis forma ex Naeviani quod fertur epitaphii similitudine comparata est: 'Immortales mortales si foret fas flere, flerent diuae Camenae Naevium poetam'.

V. 5 confidenter *με* pronomen inserui, sive librarii sive lapicidae errorem corrigens.

VI. Priori sine lemmate continuatum epigramma.

Τὴν κύνα Λεσβιακῇ Βώλῳ ὑπεθήκατο Βάλβος
εὐξάμενος κούφην τῇ κατὰ γῆς σκύ[λα]κ[ι],
δουλίδα καὶ σύμπλουν πολλῆς ἁλός· τιν και παραστχοις
ἀνθρώποις ἀλόγοις ταῦτα χαριζομεν ..

Iota mutum quod vocant nusquam omissum meliorem aetatem prodit quam ex sermonis rusticitate crederes. *σκύλακι* certa emendatio est, frustra vero alterum distichon restituere studui, quamquam cum ΚΑΙ iuxta optativum pro ΚΕ scriptum videatur nihil restat emendandum praeter ΤΙΝ illud; et hoc quidem quoniam a vocali incipere debet vocula vix aliud esse potest atque *ἥν* vel *ἣν* vel *ἦν* sim. Tamen nec quae amici excogitaverunt nec quae ipse temptabam satisfaciunt.

VII. In alia basi.

Ἁ Βόλλα καὶ ὁ δᾶμος τὰν Αὐρ. Ἀρτεμισίαν τῶ [Λύ]κω τῶ Εὐτύχω θυγατρα τὰν [λ]όγιον πρ[ύ]ταν[ι]ν καὶ εὐεργέτιν ἱερέα[ν], τᾶν θεᾶν Ἐτ[η]φιλᾶν καὶ Καριστᾶν (?) καὶ [ἱερ]οφόρον τ[ῶ]ν ἁγιωτάτων μυ[στ]αρίων, τὰν ἀπύγονον Ποταμῶνος τῶ νομοθέτα καὶ Λεσβώνακτος τῶ φιλοσόφω τοῖς εὐεργέταις ἀρέτας ἕν[ν]εκα παίσα[ς].
ὀνσταθείσας τείμας ὑπὸ τᾶς ἴρας Βόλλας ἐπιμεληθέντο[ς] τῶ [γ]ραμματέος αὔτας Αὐρ. Πρόκλω τῶ Ἰούστω.

Cum Lesbonax filiusque Potamo Augusto et Tiberio imperantibus fuerint, Aureliam Artemisiam primum p. Chr. n. saeculum non excessisse probabile est.

Λύκω scripsi pro ΔΙΚΩ. Aurelius Lycus Macedo est C. I. 1953.

τὰν λόγιον πρύτανιν. Eadem vocabula iuxta leguntur C. I. 2189 et Add. vol. II p. 1027 n. 2183*b*, nec cur Boeckh aperte iuncta disiungi voluerit perspicio. Quinam sit *λόγιος* magistratus nec indicavit, nec potuit opinor. Indicare conatus est qui Boeckhii sententiae accedit Keil tituli Parii C. I. 2391 interpres in Anal. epigr. et onomatol. p. 151: *ἄρχοντος Πυρράκου τοῦ λογίου*, adnotans: '*λόγιον* eundem esse puto puto atque *λογιστήν*, nec offendit Pyrrhacus simul et archontis et logistae partes tenens'. In Addendorum titulo quem memoravi Agrippina si Boeckhium sequeremur et *λόγιος* esset et *πρύτανις*, quod non spero quemquam crediturum. An ideo subiit Agrippina aerarii curas, ne ipsa nescia esset — nam poterat saltem resciscere — quae quotannis in suum hono[illegible] impensae fierent? Praeterea ex nitida structurae arte, qua Artemisi[illegible] singula commata concinnata sunt,

Boeckhius refellitur. Triplex mulieris laus effertur; prima quod de re publica bene merita sit, altera quod ne sacra quidem munera detrectaverit, tertia quod ipsa bene merita a maioribus nobilissimis descenderit. Singula singulorum quae copula carent commatum membra καὶ particula conectuntur (πρύτανιν καὶ εὐεργέτιν, ἱερέαν καὶ ἱεροφόρον), unde peccatum erat si λόγιος et πρύτανις vocabula ἀσυνδέτως ponebantur. Denique quam apte adiectivum λόγιος ad substantivum πρύτανις accedat, docet epigr. A. Pal. App. n. 346:

τιμῆς ἄρχοντος λογίου χάριν ἐστήσαντο
βουλὴ καὶ βασιλεῖς τὸν σοφὸν Εὐσέβιον.

τᾶν θεᾶν Ἐτηφιλᾶν καὶ Καρισσᾶν. Neutrum nomen habeo qui penitus explicem.

ἐργοφόρους apes vocat Aelianus, virginem ἐργοφόρον non intellego. Itaque emendavi ἱεροφόρον. De puella κερνοφόρῳ cogitavit Mommsenus (cf. C. I. L. I p. 391. VI n. 508). Non ultimus certe in mysteriis eius locus fuit, quae sacra ferebat.

Potamo legislator adhuc non innotuit. Plane obscurae sunt Romani imperii temporibus res Lesbiorum, sed conicias Potamonem Mytilenaeis civibus nescio quae litigia exercentibus aesymnetae instar intercessisse resque auctoritate et prudentia sua in pristinum ordinem redegisse. ἕ[ν]νεκα necessaria mutatio est; nam omnium maxime huius tituli dialectus severis legibus adstricta est.

τείμας. Nescio an τᾶς articulus ex antecedenti syllaba CΑΣ recuperandus sit. τιμὴν (i. e. ἀνδριάντα) ἀναστῆσαι non raro dicitur; cf. C. I. 2987. 2818. Privatis hominibus quos senatus populusque decreverat honores, propinqui plerumque procurabant. Artemisiae tamen statuae ponendae cura Aurelio Proclo obtigit, senatus scribae, nisi forte idem propinquus erat, quod ex communi gentili nomine colligi possit. Nobilioribus hoc datur, ut honoris exigendi officium magistratui alicui tribuatur, veluti imperatorum statuis non raro prospicit archon eponymus, qui hoc oblato officio et ipse tamquam honore fruitur. Exemplis congerendis supersedeo, uno contentus titulo Sciatheo (C. I. 2154), ubi Septimio Severo honores decernuntur ἐπιμεληϲαμένου Ὑακίνθου Πίστου. Ἄνθης ἦρξεν ἐπωνύμου ἀρχῆς. Sic nempe edunt et adunco ut aiunt naso sermonis barbariem suspendunt. Scribendum: Πίστου, ἀνθ' ἧς ἦρξεν ἐπωνύμου ἀρχῆς. Vides quid rei sit, nec Graecos tertio saeculo graece loqui desiisse.

VIII. In diversorio quod vocant paradisum.

Στοργὴ [θ]υ. [Ἰο]υλίας χρησ[τὴ] χαῖρε.

Rarum est sed non inauditum θυγατὴρ appellativum matris patrisve nomen praemissum, cf. tit. Philadelphiae apud Lebas part. III n. 657: Πρεισκίλλα ὑπατική, θυγατὴρ Δημοῦς.

IX. Ibidem in alio lapide.

Συμφέρουσα Χρησίμη[ς] χαῖρε.

Addidi Σ litteram, ignarus nempe, num χρήσιμος adiectivum pariter ac χρηστός in usu fuerit Graecis mortuos appellantibus. Homines ματρόθεν nominatos tum viros tum feminas (cf. n. VIII) collegit Keil Specim. onomatol. p. 90 sq., suspicans pater si mortuus fuisset, matris nomen substitui solitum esse.

X. Ibidem in alio.

Φορμ[ῶ]σα χρηστὴ χαῖρε.

XI. Ibidem in alio.

Haud ita graviter corruptus titulus est, sed sinistra fortuna ita male habitus, ut quamvis vix quicquam desit ad argumentum penitus perspiciendum, tamen singulorum verborum ordo et ratio mihi quidem obscura sit.

Initio supplendum: τοῦτο τὸ μνημεῖον s. ἡρῷον] — κατεσκεύασεν. Intercedunt nomina et eius qui extruxit et patris; fortasse Ἐπαφρᾶ[ς Ε]ὐγένου, de qua genetivi forma vide Wecklein Curae epigr. p. 23. Deinde haec habentur: μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον ΕΜΟΗΑ ἐξο[υ]σία ἔχει ΑΛΟΝ π[λὴ]ν τῶν ἐμῶν τέκ[ν]ων. Quod tertiam personam κατεσκεύασεν excipit prima ἐμόν, hoc nihil est quod mireris. C. I. 4421: Γερμανὸς τὸ ἡρῷον κατεσκεύασεν — ἑαυτῷ — καὶ τῷ ἀδελφῷ μου et ibid. 4424. Desideratur δὲ particula inserenda post μετά, nisi forte ante exciderunt quaedam, cf. C. I. 2827: οὐδεὶς ἕξει ἐξουσίαν ἐνθάψαι τινὰ ἕτερον μετὰ τὴν ἐμὴν τελευτήν. Optime procederet oratio, si haec auderes: [οὐδεὶς δὲ] μετὰ τὸν ἐμὸν θάνατον ἐξο[υ]σία[ν] ἕ[ξ]ει ἄλ[λ]ον [ἐνθάψαι s. καταθέσθαι sim.] π[λὴ]ν τῶν ἐμῶν τέκ[ν]ων. In quibus πλὴν et τέκνων recte emendavi, cf. C. I. 2032: μηδένα ἕτερον ἐξέσται βληθῆναι ἐς αὐτὸ εἰ μὴ τὰ τέκνα μου. Sed restat ΕΜΟΗΑ, quae dittographia videtur pronominis ἐμόν, restat non minus, quod tam mire turbati tituli causam et ansam frustra quaeras.

XII. In alia basi *Pav.* Ad marmoream basin *Vall.*

Αὐτοκράτο|ρι Τραιανῷ | Ἀδριανῷ Καίσα|ρι Σεβαστῷ | Ἐλευθερίῳ Ὀλυμπί|ῳ Κτίστ[η] Διὶ χαριστήριον.

Boeckh C. I. 2179 ex Muratorio qui Vallicellanis schedis usus tacite correxit κτίστῃ pro eo quod traditur κτίστῳ.

Singularem vocabuli Διὶ locum ita explico, ut tria quae praecedunt Ἐλευθέριος Ὀλύμπιος Κτίστης cognomina esse putem Iovis Hadriani. Ab Olym-

piei dedicatione Olympium nomen duxisse imperatorem, indeque insigni adulationis genere Athenienses novam Olympiadum seriem repetiisse sciunt omnes. Dedicatum autem est Olympieum a. 132. Cf. Corsini fasti Att. II p. 105 sqq. Sequitur titulum inter a. 132 et 137 positum esse.

XIII. In alia *Pav.* Ad marmoream basin in Traianum Caesarem *Vall.*

Αὐτοκράτορι | Νέρουα Τραιανῷ | Καίσαρι ἀρίστῳ | Σεβαστῷ Γερμανικῷ | Δακικῷ Παρθικῷ χαριστήριον.

C. I. 2178. Conze Lesbos p. 13 fin., qui lapidem muro infixum Mytilene videtur vidisse. Videtur, inquam. Nam minus perspicue ait, hanc quam ipse vidisset basin praeterquam quod versus paullo aliter divisi et NERBA (*sic*) pro ΝΕΡΟΥΑ scriptum esset, accurate concinere cum titulo C. I. 2178. At enim mirum ni Cyriacus R formam et Νέρβα scripturam animadvertisset.

V. 2 ΚΑΙΣΑ. v. praefat. — Positus titulus inter anni 115 partem alteram, quae Traiano Parthici cognomen tulit et anni 117 mensem Augustum, quo mortuus est. Cf. Dierauer hist. Traiani in Buedinger Untersuch. I 166 sq. adn. 6.

XIV. In templo beati Antonii.

Ὁ δ[ᾶ]μος

αὐτοκράτορα Τιβέριον Καίσαρα Σέβαστον, παῖδα Δίος Καίσαρος Ὀλυμπίω Σεβάστ[ω], κοῖνον μὲν τᾶς οἰκ[ου]μένας ε[ὐ]εργέ[ταν], τᾶς δὲ ἄμμας πόλιος ἐπιφανέστατον καὶ κτίσταν.

ΣΕΒΑΣΤΟΝ accusativum in genetivum correxi; error propter accusativum proxime sequentem facilis erat. ΕΝΕΡΓΕΤΑΣ scripsit librarius syllabarum similitudine deceptus. Nescio qua potissimum re Tiberius de Mytilenaeorum civitate meritus fuerit; sed non in universum eum laudari apparet.

XV. 'Atticae antiquissimae litterae'. Locus ubi repertus sit non indicatur, sed praecedunt tituli Mytilenaei.

Ἀμεινίας Λυσικράτους Ἀθηναῖος

Cuius aetatis litteras significet Cyriacus ignoro.

XVI. In tabula marmorea.

In hoc titulo aut explicando aut emendando ita oleum et operam perdidi, ut ne hoc quidem compertum habeam, quae res agatur. Videntur architecto cuidam ex senatus populique auctoritate — id quod ostendunt praescripta verba ἀγαθῇ τύχῃ — praecepta dari, ut nescio fossam an viam an murum vetustate lapsum dirutumve reficeret. Frustra ex titulis scriptoribusque

quaesivi, quod nescientem me doceret, ut iam quamquam pudet rem toties temptatam quasi integram relinquere, ad peritiorum auxilium mihi provocandum sit. Ipse paucula observasse satis habebo. — Ab initio mutilus fuit lapis vel quod ἀγαθῇ τύχῃ formula servata est ita detritus, ut legi nihil potuerit. Deinde: τὸ μακρὸν πλεῦρον τὸ πρὸς βορέαν πήχεις δύο ἀνακαθαίρων τὸ προσ-[θ]εμελιούμενον, τὸ μὲν κατὰ τὸμ πρόδομον καὶ τὸν ὀπισθόδομον ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἔδαφος τ[ῷ] νῦ[ν] κ[ε]ιμένῳ θεμελίῳ, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνακαθαρεῖ τῆς νῦν κειμένης (?). Accuratissime locus indicatur, sicut in titulo Attico apud Rangab. 57 A 35: τῶν κιόνων τῶν πρὸς ἕω τῶν κατὰ τὸν βωμόν. Ante τὸ μακρὸν πλεῦρον praepositio desideratur, velut κατά. — ἐὰν δέ τι μαλακὸν ᾖ τοῦ [τ]όπου προσθεμελιουμένου ἀνακαθαρεῖ — quae sequuntur non intellego; videntur ΠΩΙΟΙ et mox ΠΩΡΟΝ substantivi πόρος formae esse, ut de purganda fossa agatur iuxta murum ducta, cuius fundamenta debilitata simul restabilienda sint. εὐθυμετρίᾳ quo referam non video: εὐθυμετρικὸν μὲν οὖν ἐστι πᾶν τὸ κατὰ μῆκος μόνον μετρούμενον. Scriptt. metrol. I 181 ed. Hultsch. Sed contrarium potius ex eis quae praecedunt efficitur: [σ]τερεοῦ πήχεως. Nam στερεόν ἐστι τὸ μῆκος καὶ πλάτος καὶ βάθος ἔχον. Euclidi sunt verba in Thesauro Dindorfiano adlata, quibus adde Scriptt. metr. I 185: ὁ δὲ στερεὸς πῆχυς ἔχει οὐγγίας ͵εωλβʹ, παλαιστὰς σιςʹ, δακτύλους ἄ͵γωκδʹ. Deinde ὀκτω ὀβ[ε]λοὺς ἐργα[ζ]όμενος καθάπερ [ἐ]πὶ τῶν θεμελίων γέγρα[π]ται, τιθεὶς τοὺς ἐλαχίστους μῆκος .... πηχ[υαί]ους (ex litteris ΤΕΗΜΙΠΗΧΙΟΥΣ, quae sine dubio corruptae sunt, quoniam nec τε locum habet et aliquanto maior quam unius pedis longitudo postulatur, efficias ΤΕΤΡΑΠΗΧΥΑΙΟΥΣ sim.), πλάτος πηχ[υ]αίους, πάχος τετρα[πα]λάστους, τιθεὶς κατ᾽ ἐπιτομὰς πρὸς τὴν καταφορὰν τοῦ τόπου, τιθεὶς ἐναλλὰ[ξ] το[ὺ]ς .... δὲ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἔδαφος τ[ῷ] νῦν κ[ε]ιμένῳ θεμελίῳ. Quae posui verba sana videntur, sed explicando abstineo. — Iam ad ipsa fundamenta quem ad modum facienda sint progreditur oratio: ξύσας ὀρθὸν πρὸς διαβήτην πρὸς τοῦ κειμένου θεμελίο[υ] τὴν ἕδραν, ἐ[ργ]ασάμενος τοῦ κειμένου θεμελίου τὰς ἕδρας ὀρθὰς πρὸ[ς] κάνονα ἀνὰ σφύρα[ς] καὶ τοὺς ἁρμοὺς πρὸς κά[νονα] εὐγωνίους ... Διαβήτης quid sit Hesychius docet s. v. διαβάτης: ὄργανόν τι τεκτονικόν· προσαγώγιον. Latiore autem sensu eodem vocabulo Plutarchus utitur Mor. p. 802 E: ἐνθυμήμασι πικροῖς καὶ περιόδοις πρὸς κάνονα καὶ διαβήτην ἀπηκριβωμένοις, ut a perpendiculo non multum differat. In uuiversum hoc dici videtur, ut adhibito perpendiculo praesenti fundamento (τὸ κειμένον θεμέλιον) novum (ἕδρα) accommodetur singulis lapidibus, qui rudes antea inserti erant, levigatis compagibusque curate expletis. — Post εὐγωνίους vocabulum ex sequenti versu haec librarius suscepit: ΛΙΟΣCΤΑΙΠΟΙΩΝΤΟ, ipse tamen intellecto errore subito delevit. Nulla syllabarum litterarumve similitudine in hunc errorem deduci potuit; nulla omnino tam graviter peccandi ansa reperitur praeter hanc unam, ut oculis calamoque illum ab unius ad alterius versus initium aberrasse dicamus. Interiacent autem triginta et una litterae, totidemque fere litteris si ceteros versus constitisse sumemus, omnia quae praecedunt in viginti duo versus dividi poterunt, quae sequuntur in quattuor fere. Sed alterum quoque ex falso scriptis edocemur, satis neglegenter in

hoc quidem titulo describendo librarium versatum esse. Nam cum in litura recte dederit ΛΙΟΣϹΤΑΙ, post ΛΙΩΟΣΕΤΑΙ scripsit. Est autem *θεμελιώσεται* futurum. Ceterum praeter ea quae manifesta sunt: *ποιῶν τὸ μῆκος το[ῦ δε]υτέρου πλεύρου πήχεις ἑβδομήκοντα δύο καὶ δακτύλους ἑπτά*, nihil enucleavi. In tanta autem rerum verborumque obscuritate ne hoc quidem tacendum est, fortasse sicut ab initio titulum aperte mutilum deprehendimus, ita etiam mediam orationem lacunis aliquot hiare, quae a librario parum religioso simulatae et obscuratae interpreti negotia facessant. Eo magis autem desperandam mihi fuisse restitutionem doleo, quod omnium qui sunt in Paviana sylloge titulorum hic antiquissimus videtur esse, id quod et iota mutum nunquam omissum probat et minime oblitteranda scriptura *τὸμ πρόδομον*.

XVII. Sine lemmate priori subnexus.

Ἀρχίθεο[ς] Λυκίνῳ χαῖρε.

Architheus nomen novum, *Λυκῖνος* pervulgatum est. Nominativus pro vocativo *χαῖρε* imperativo insequente passim legitur. Kumanudes tituli Att. sepulcr. 2698.

XVIII. Sine lemmate priori subnexus.

Τι. Κλαύδιος Καῖσαρ Γερμανικὸς ἀρχιερεὺς δημαρχικῆς ἐξουσίας, ὕπατος τέταρτον, αὐτοκράτωρ .....
Μυτ[ι]ληναίων ἄρχουσι
.... τὸν ἐμὸν οἶκον[.. εὐ]σέβειαν ...

Ti. Claudii epistula inter quartum a. 47 et quintum eius consulatum a. 51 ad Mytilenaeorum principes scripta, in qua civitatem ob eximiam erga se domumque suam pietatem laudasse videtur. - *ἄρχουσι* scribit imperator, cf. titulum C. I. L. III, 355 A: *Ἀουίδιος Κουιῆτος Αἰζανειτῶν ἄρχουσι βουλῇ δήμῳ χαίρειν.*

XVIIII. In arcu Mytilineo *Pav.* Sine lemmate *Vall.* Reliqua vide apud Mommsenum.

Imp. C. C. Aurelio Valerio
Diocletiano P. f. [Aug. et imp. C.
M. Aurelio Valerio Maximiano
P. f. Aug. et] F[l]. Val. Constantio
et [G]al. Val. Maximiano
nobiliss. Caesaribus
Aurel. Agat[h]ius [G]ennadius
v. p. praes. prov. insul[o]
devotus numini maiestatiq[u]e
eorum dicatissimus.

Exhibui titulum qualem restituit Mommsen C. I. L. III, 450, eis significatis quae a Paviano apographo discreparent.

XX. In Lesbo.

Πέρσευς ὁ καὶ Διοφάνης Κράτητος δρομαγ[ε]τήσαις παρά[σ]χ[ω]ν τ[ε] τᾶ πόλει [ἔ]α[υ]τον ἐφάβαρχον ἐκ τῶν ἰδίων κράτιστ[ον κ]α[ὶ] γυμνασι[αρχή]σαις τῶν νέων καὶ τῶ Θέ[ω], τελέσσαις δὲ καὶ ἄλλαις μεγάλ[αις ἄρχ]α[ι]ς καὶ .... καὶ ἐ[κ]δικίαις καὶ [πρεσ]β[εί]αις (καὶ) ἐκ τῶν ἰδίων καὶ γ[υ]μνά[σιον] πεποήκ[ων] γυμνα[σι]ά[ρ]κων

ζῶν ἔαυτον ἐπέγραψεν.

Vivus Perseus *εὖ εἰδὼς κληρονόμων τὴν ἐπιλησμοσύνην καὶ κοινοῦ θανάτου μνημόσυνον προβλέπων*, ut ait Aurelius Philippus Abderites (Revue archéol. 1866. II 58), monumentum sibi titulumque faciendum curaverat suae virtutis laudisque testem. Cf. tit. Neapol. in Cod. Vat. 6039 f. 301′ — quem editum non invenio — *ἐπέγραψα αὐτὸς ἑαυτῷ τὸ μνημεῖον ζῶν*. Notissimae sunt formulae *ζῶν*, *ζῶν καὶ φρονῶν* (*νοῶν*) e. q. s. s., quas noli hacpropter adponi credere, ut quo tempore sepulcrum factum esset sciretur. Immo veteres, superstitiosissimi mortales, dum vivi morituris sibi consulunt, infaustum omen aeque metuebant atque Orestes Sophocleus, ne ipse vivus Clytaemnestrae mortuus esse nuntiaretur. Libitinam igitur, quam ultro advocasse sibi videbantur, placare studebant adicientes titulo, vivos se et sanos monumentum paravisse.

Si vera sunt quae scripsi, ephebarchia Lesbiaca aliter instituta erat[1]) atque Atheniensium, apud quos ephebarchus ex ipsis ephebis lectus nullum certe publicum praestabat officium; cf. Dittenberger de eph. att. p. 48. Neubauer Commentt. p. 55. 89. Perseus vero suis sumptibus *κράτιστον ἐφήβαρχον* se praebuerat. *κράτιστος* superlativum, quo recentioris aetatis homines nobiles saepissime praedicantur, perperam vertit Neubauer l. s. s. p. 52 'potentissimus'. Laus est virtutis magis quam dignitatis, veluti C. I. 3488 *κράτιστον στεφανηφόρον* habemus, stephanephorum strenuissimum et optimum.

Gymnasiarchiam duplicem gerebat Perseus, unam ephebicam (*τῶν νέων*) et publicam alteram, quae mira brevitate *τῶ θέω* vocatur. Cuius dei sacra gymnico certamine Lesbii celebrarint, nescimus, nisi quod de Serapieis conici hoc potest ex titulo Methymnaeo (infra n. XXVIIII), ubi Callistodicus alii conferunt *εἰς τὴν σύνοδον τῶν μεγάλων Σεραπιείων, ὅπως εἰς πάντα τὸν χρόνον τοῖς νέοις συντελῶνται αἱ θυσίαι κατ' ἕκαστον ἐνιαυτόν.*

---

[1]) Erat certe apud Philadelphios, siquidem in titulo apud Lebas part. III n. 649 M. Aurelius Diodorus *εὐσεβῶς καὶ ἐπιφανῶς ἐφηβαρχῆσαι* dicitur, cf. 743, 8.

Iam quae sequuntur tritissimarum in titulis honorariis formularum usum excedere non videntur; tamen non omnia expedivi. μεγάλαις ἀρχαῖς certum est; sed ΚΑΙΤΑΞΙΑΕΙΣ quid sit nescio. Ἐκδικίας officium — neque enim est munus — creberrime memoratum liberalissimus quisque et opulentissimus civium subibat. Ciceronis est epistola ad Thermum (ad fam. XIII 56), in qua haec: 'Mylasis et Alabandis pecuniam Cluvio debent. Dixerat mihi Euthydemus cum Ephesi essem, se curaturum ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. Id factum non est. Legatos audio missos esse; sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. Quare peto a te, ut et eos et Alabandis iubeas ecdicos Romam mittere.' Unde simul intellegitur quid differant inter se ecdici et legati. Nihil autem frequentius in titulis est, quam homines ecdici eidemque legati; utraque enim res eandem voluntatem facultatemque flagitabat. Cf. C. I. 2719: πολλὰς πρεσβείας καὶ ἐκδικίας τῇ πατρίδι παρεσχημένου. Quapropter non nimiae audaciae incusabor, quod ex ΒΗΑΙΣ litteris hoc ipsum vocabulum [πρεσ]βείαις effeci. Genuina tituli forma non tradita est nec versus ita divisi, ut diviserat lapidarius. Complurium litterarum lacunas manifestas tenemus in vocc. γυμνασι[αρχή]σαις et μεγάλ[αις ἀρ]χαῖς. Fingas ita versus dispositos fuisse, ut ab sinistra dextrave parte fracto lapide et αρχη et αισαρ et πρεσ litterae perire potuerint: nam singuli versus non opus est ut plane eandem quisque longitudinem habuerint.

Superest ut interpolatam ni fallor alteram utram καὶ particulam tollamus, aut quae ante ἐκ τῶν ἰδίων aut quae post legitur; vix enim inscriptionum concinnitas tam argutum dicendi genus patitur inferri ut in verbis καὶ ἐκ τῶν ἰδίων καὶ γυμνάσιον alterum καὶ pro gradationis particula retineamus. Non multum refert, utrum καὶ deleas, sed priore ideo facilius carebimus, quod ἐκ τῶν ἰδίων verba in fine saepius quam in principio enuntiati poni solent. Etiam haec laus est haud exigua, ecdici legatique officia propriis impensis praestitisse. Cf. Keil Syll. inscr. Boeot. p. 123.

ΓΙΜΝΑΝΔ paullo violentius temptavi, sed non citra necessitatem. γυμνάδα de quo quis cogitet ferri nequit. Lexicographi enim poetarum aliquot locos indicantes ubi idem esse putant quod γυμνάσιον incautius agunt: ne poetae quidem unquam hoc vocabulo locum significant, ubi exerceret se iuventus.

γυμνα[σι]ά[ρ]κων certo correxi; neque hic κ in χ mutare volui neque supra aut ἐφάβαρκον rescribere aut γυμνασιαρκήσαις. Incertum enim, posterioris aetatis Aeolenses quatenus etiam in his minutiis constanti severaeque legi se addixerint. Eadem de causa supra in n. VII ἰρέαν et ἰροφόρον formas non sollicitavi.

XXI. In balneis Lesbi *Pav.* Ad alium lapidem marmoreum *Pal.*, ubi praecedit titulus (C. I. 2171) ad balnea Lesbia inventus 'que vulgo grece Θερμινή nuncupantur'.

Ἀρτέμιδι
Θερμία εὐα-
κόῳ Δίτας

Niebuhrii ex cod. Pal. apographo usus ed. Boeckh C. I. 2173.

In Palatino manus recentior verba Θερμια et εὐακόω recta lineola distinxit, quo non tam versus aliter divideret quam maiorem intellegendi facilitatem redderet.

Δίτας cur mihi suspectum sit infra dicam ad n. XXVI.

XXII. Ibidem *Pav.* Item ad marmoream basin iuxta thermas *Pal.*

Ἀγάθα τύχα
ἀ βόλλα καὶ ὁ δᾶμος | ἐτείμασσεν Αὐρ. | Ἀ[ρτ]εμίδωρον Ἀρτεμιδώρω | τῶ Ὑμεναίω βο[λ]λεύ|ταν ἀγωνοθετ[ή]σαντα | καὶ παν[α]γυριαρχήσαντα | ἐνδόξως καὶ φιλ|οτείμως.

Ex Niebuhrii apographo ed. Boeckh C. I. 2190. In cod. Pal. omissum est ἀγάθα τύχα, sed invito librario, qui titulum minusculis iterum scribens formulam addidit. — Ἀρτεμίδωρον recte cod. Pal. Difficultatis aliquid habent quae traduntur Ἀρεμίδωρον Ɵ ΤΟΥΤΩΥΜΕΝΑΙΩ. Quae nisi forte gravius corrupta sint, verum vidisse Boeckhium putem, qui τοῦ delevit. Cf. titulum Philadelphiae apud Lebas III 649: M. Αὐρ. Διόδωρον Ɵ. τοῦ Ἀδμήτου ἄνδρα βουλευτήν. Scripserat aliquis τοῦ, post intellecto errore subiunxit τῶ, delere oblitus vitiosum τοῦ, errorque hinc in duo quae tenemus apographa propagatus.

XXIII. Ibidem.

Ἁ βόλλα καὶ ὁ δᾶμος Κορνηλία[ν] Κεθ[ή]γιλλαν τ[ὰ]ν εὐεργέτιν τᾶς πόλιος, θυγατέρα Μάρκω Γαβίω .... Γαλλικάνω ὑπατίκω καὶ Πομπηίας Ἀγριππινίλλ[α]ς, παιδόπαιδα δὲ Μάρκω Πομπηίω Μακρίνω Θεο[φ]άνν[ου], τῶν εὐεργετᾶν καὶ κτιστᾶν τᾶς πόλιος.

Leviter corrupta emendavi, correcturam Θεοφάννου infra probaturum me spero. παιδόπαις novum vocabulum est, recte tamen formatum et sententiae aptissimum.

Cornelia Cethegilla familiae non tam genere quam fama nobilissimae videtur proles esse. Originem enim opinor a Theophane Mytilenaeo repetiit, Magni Pompei amico rerumque eius haud sincero enarratore. A fautore suo civitate Romana donatus quodnam nomen adsumpserit si quaerimus, respondere videtur Iulius Capitolinus vit. Max. et Balb. c. 7: 'familiae vetustissimae ut ipse dicebat (Balbinus) a Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompeium civitatem meruerat, cum esset suae patriae nobilissimus idemque historiae scriptor.' Capitolinus aut ipse quae acceperat neglegenter rettulit aut omnino tunc temporis vera rei memoria ob-

scurata erat; quod tradidit nomen utique falsum est. Theophanes reliquit filium M. Pompeium teste Strabone (XIII, 618) qui ei apud Tiberium acceptissimo aequalis fuit. Paene certum videtur, etiam patrem Marcum Pompeium nominatum fuisse, Capitolinum autem erravisse. Pompei amicus nescimus quo anno mortuus sit. Post proelium Pharsalicum cum Pompeio Mytilenen profectus mox illo mortuo Romam reversus otia litteris dicasse videtur. A. 44 inter vivos numeratur a Cicerone ad Att. XV 19. Marcum Pompeium filium Augusti beneficio Asiae procuratorem fuisse, deinde Tiberium ei favisse Strabo auctor est. Iram vero Tiberii experti sunt posteri eius, quo de Tacitus Ser. Galba L. Sulla cos. a. 33 haece narrat (A. IV 26): 'etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cuius maritum Argolicum socerum Laconem e primoribus Achaeorum Caesar adflixerat; pater quoque inlustris eques Romanus ac frater praetorius cum damnatio instaret se ipsi interfecere: datum erat crimini, quod Theophanen Mytilenaeum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset quodque defuncto Theophani caelestes honores Graeca adulatio tribuerat.' Proavus scilicet Theophanes fuit Pompeiae Macrinae et fratris praetorii, ut pater inlustris eques Romanus Marci Pompei filius fuerit. Fratris praetorii fortasse aliquam memoriam quamvis exiguam tenemus ex eodem Tacito Ann. I 72 (a. 15 Druso Caesare C. Norbano coss.): 'mox Tiberius consultante Pompeio Macro praetore an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit.' Sororem exilio multatam in Lesbum patriam insulam rediisse verisimile est.

Ad hanc familiam fortunae vicibus satis agitatam ut eos qui in titulo hoc memorantur homines referrem, tria me induxerunt: primum Pompeiorum nomen gentile, deinde Macrinus cognomen, denique quod in Lesbo insula repertus est titulus et quidem in ipsa Mytilenaeorum urbe. Lemma enim est: Ibidem h. e. in balneis Lesbi, quae balnea sunt prope Mytilenen sita, Dianae Thermiae sacris festisque celebrata, de quibus vide Conze Lesbos p. 16. Confirmat denique coniecturam M. Pompei Macrini quartum nomen corruptum ΘΕΟΙΑΝΝΕΙ. Non invenio quid facilius aptiusve restitui possit quam illud quod proposui nomen Θεοφάνου a gentis conditore traditum receptumque. Duplicem Ν litteram non obstabo si quis librarii neglegentiae condonare velit; sed potest etiam lege niti quam grammatici eosque secuti illius temporis Aeolenses ex male intellecto linguae usu duxerunt, veluti Gregorius Cor. 609: οὗτοι πάντα τὰ σύμφωνα διπλασιάζουσιν ἐπὶ τῶν βραχέων· ὡς τὸ ἔννεπε, ἔννη, κέννος. — ΕΙ in ΟΥ correctum nihil habet offensionis, modo lunatam fuisse litterae Ε formam fingas (Є). Accurate enim usquam litterarum figuras in hoc apographo traditas esse valde dubito, si quidem ut unum proferam litterae ω̄ in omnibus illis satis diversae aetatis titulis figura eadem pingitur ad ω proxime accedens. De forma denique genetivi Θεοφάνου, quae traditorum vestigiis commendatur, cf. Wecklein Curae epigr. p. 23.

Habemus igitur M. Pompeium Macrinum Theophanem patrem, Pompeiam Agrippinillam filiam eandemque uxorem M. Gabii (s. Gavii) ....

(tertium nomen non extrico) Gallicani viri consularis[1]) horumque filiam Corneliam Cethegillam statua honoratam ex senatus populique Mytilenaei auctoritate. Quorum hominum aetatem si quaerimus unum est cur vetemur nimis antiquum titulum putare. Verissime saepe a multis observatum est, veteres mulieribus publicos honores tribuisse magis in maiorum quam in ipsarum honorem et gratiam. Iure igitur non solum pater et mater, verum avus quoque Cethegillae honorificentius nominatur; omnes enim bene de patria meriti fuerant. Non adicitur Theophanis nomen, quem caelestibus adeo honoribus coluerant Mytilenaei, hanc opinor propter causam, quod nimia temporis intercapedine eius memoria a Cethegillae honore separata fuit.

XXIIII. Ibidem.

Ἀγάθα τύχα
ἁ βόλλα καὶ ὁ δᾶμος ἐτείμα[σ]σεν Μόδεσσον Ἀπολλωνιω τῶ Αὐλίωνος παῖδα Ἀπολλωνίω τῶ γυμνασιάρχω, τὸν ἀγωνοθέταν καὶ παναγυρίαρχον.

Bis reperitur titulus in Paviana sylloge, nulla fere lectionis discrepantia.

Aulio et Aulius duae diversae eiusdem stirpis formationes sunt, sicut Vergilio et Vergilius, Cato et Catus, alia multa. παῖδα vocabulum satis impeditum locum occupat medium inter duo avi nomina, nescio quadratarii neglegentia an quaesita auctoris elegantia. Manifesto autem additur avi nomen hacpropter quod munere publico functus honorificam sui memoriam reliquerat.

XXV—XXVII. Ibidem *Pav.* Ad circulare marmoreum epistile esculapi antiquissimi templi et utique (antiquae?) dianae thermae *Pal.*

XXV. ....ο[ς] Ἀσκ[λα]π[ι]ά[δα] ἴρευς διὰ | γένεος τῶ Σωτῆρος | Ἀσκλαπίω καὶ ἴρευς | διὰ βίω Λεσβίοις.

XXVI. ως τὰν κράνναν | καὶ τὸ ὑδραγώγιον ἀπ|ὸ Κεγχρεᾶν Ἀρτέμιδι Θ|ερμια εὐακόω Δίτας(?).

XXVII. αὐτοκράτορος θέ[ω ....
καὶ Ἀπόλλωνος Θερμί[ω ....

Tres hae inscriptiones unius omnes loci esse concludi potest ex lemmate Palatino. Et in apographo Paviano deinceps leguntur, quod etsi non ubique

---

[1]) [Intellegitur opinor M. Squilla Gallicanus consul ordinarius a. 127, cuius nomen gentilicium nunc demum innotescit. Uxor Gallicani neptis fortasse fuit praetorii eius qui periit a. p. Chr. 33. Th. M.]

certum est indicium hic tamen non casu factum esse videtur. Deest quidem in cod. Palat. tit. XXVII, sed cum de his potissimum accipienda sint verba 'ad circulare mormoreum epistile' — id quod demonstrat circulorum delineatio adiecta — omissum esse patet mero errore. Titulo XXVI praecedit in cod. Pal. lemma 'aliud epigramma.' Epistylii esse titulum XXVII, veri simillimum est; hoc tamen notandum, de Aesculapii et Dianae Thermiae templo coniecturam illum quisquis est fecisse ex ipsis titulorum XXV et XXVI verbis haustam, eamque falsissimam. Immo templi[1]) consecrati index epistylio insculptus est *Αὐτοκράτορος θέω ..... καὶ Ἀπόλλωνος Θερμίω*, sicut in Mylasii templi epistylio scriptum fuit *Αὐτοκράτορι Καίσαρι* cet. — *καὶ θεᾷ Ῥώμῃ*, quo exemplo simul Caesaris nomen dei nomini praemissum excusatur. Doleo quod nescimus quemnam imperatorum Apollini Thermio Mytilenaeorum pietas consociaverit; N[*έρουα Τραιάνω* secutum esse Henzeni est coniectura. Certo ad ipsas Thermas pertinet titulus XXVI, quo fons et aquaeductus Dianae Thermiae dicatur, Cenchreis Lesbia quadam ab urbe — eiusdem nominis oppidum in Troade fuisse adnotat Boeckh qui edidit C. I. 2172 — ad Mytilenen usque perductus. Dedicator Ditas quidam fuisse creditur, homo plane portentosus, nec patris nec patriae nomine addito uno nomine eoque ignoto contentus. Nescio quid corruptelae lateat et cum eadem verba *Ἀρτέμιδι εὐακόῳ Δίτας* etiam supra in titulo XXI legantur, coniectando abstineo. — Videntur scripta haec fuisse quo loco aqua Cenchreis deducta in Thermarum alveum se effundebat.

Denique tit. XXV mire corruptus traditur in apographo Paviano, interpolatus adeo in cod. Pal. hunc in modum:

ΠΑΝΙΕΡΕΣ·ΚΑΙ ΙΡΕΥΣ·ΔΙΑ
ΓΕΝΕΟΣ ΤΩ·ΣΩΤΗΡΟΣ
ΑΣΚΛΑΠΙΩ·ΚΑΙ ΙΕΡΕΥΣ
ΔΙΑΒΙΩΝΕΣΒΙΟΙΣ

ubi v. 4 recte Gruter ex cod. *Λεσβίοις* edidit. Boeckh C. I. 2194 Niebuhrii apographo fisus, qui *Λέσβιος* male legerat, lacunam descripsit: *διὰ βίω* [.....] *Λέσβιος*; in adnotatione tamen *Λεσβίοις* lectionem sano iudicio praetulit. Idem versui primo violentiorem medelam adhibuit: *παν[ηγυριάρχα]ς καὶ ἱερεύς*. Nec mirum quod male tradita fraudem ei fecerunt. Integriora praestat apographum Pavianum: ΟΜΑΣΚΑΙΠΑΝΙΡΕΥΣ, quorum quamvis non omnibus numeris certa contigerit restitutio, tamen recte mihi videor hominis nomen agnovisse. Litteras enim ΑΣΚΑΙΠΑΝ in ΑΣΚΛΑΠΙΑΔΑ mutandas censeo h. e. *Ἀσκλ[α]πιάδα*; post Α facile Λ littera intercidere potuit. Et hoc quidem patris nomen est, cui praecedebat ipsius sacerdotis nomen in -ο[ς] desinens. Memineris *διὰ γένους* Asclepii fuisse sacerdotem, igitur pa-

[1]) Si quidem fuit templi, non ipsorum balneorum alicuius partis epistylium; sicut in titulo Ephesio C. I. L. III, 424 aquaeductus Deanae Ephesiae et imp. Caesari et Ti. Caesari Aug. f. et civitati Ephes. dicatur.

trem quoque eodem munere functum esse, cui perquam apte statim puero familiaribus dei sacris destinato impositum erat nomen ab dei nomine derivatum. Quid fecerit Asclepiadis filius, ne sic quidem compertum habemus; sed videtur suo deo statuam aliumve honorem in Thermis consecrasse. — Coniuncta Acsculapii Salvatoris et Thermiae Dianae memoria apud Aristidem Smyrnaeum superest (vol. I, 503 ed. Dind.): *ἐνταῦθα δὴ παντελῶς οἱονεὶ καθιερώμην τε καὶ εἰχόμην καί μοι πολλὰ μὲν εἰς αὐτὸν τὸν Σωτῆρα ἐποιήθη μέλη, ὡς ἔτυχον καθήμενος ἐπὶ τοῦ ζεύγους, πολλὰ δὲ εἴς τε τὸν Αἴσηπον καὶ Νύμφας καὶ τὴν Θερμαίαν Ἄρτεμιν ἢ τὰς πήγας τὰς θερμὰς ἔχει κτλ.*

XXVIII. Ibidem *Pav.* Apud Lesbon in quadam basi *Vallic.*

Ὁ δᾶμος
Ἀρχέπολιν καρπο|φόρον Φιλιππίναν | γυμνασί|αρχον ἐς τὸν αἰῶνα.

In cod. Vallic. *διμος* est et *τὸν γυμν.* Muratorius ex Vallicelliano extrema tradidit interpolata:

ΑΡΧΟΝ....
ΑΙΩΝΙΟΝ

quibus Boeckh deceptus C. I. 2192 scripsit: *γυμνασίαρχον [καὶ .....] αἰώνιον.* Etiam quod idem edidit **Φιλιππίδαν** Muratorii error est. Habetur quidem *τὸν* in cod. Vall., sed *καρποφόρος* adiectivum docere debebat, utrum corrigendum esset. Sequitur in reliquis quoque restituendis Boeckhium falsum esse: voluit enim *ὁ δῆμος ἀρχι[ιρέα τῶν] καρποφόρ[ω]ν.* — Gymnasiarchiae munere functam etiam Agrippinam cognovimus, quae *καρποφόρος* dea Aeolis vocabatur. Neque aliter Philippinae honores intellegendi sunt. *Γυμνασίαρχος* est cognomineque *καρποφόρος* utitur. Hoc autem discriminis intercedit, quod non dea Aeolis praedicatur. Nam quod olim Boeckhii scrupulis captus *Ἀρχέπολιν* vocabulum corruptum ratus extremas litteras *ολιν* de accusativo *Αἰόλιν* superesse opinabar (de hac forma v. Echkel VI, 214), vana fuit suspicio. Quidni *Ἀρχέπολιν* Philippinae novae Cereri cognomentum datum fuisse credamus? Tamen non omni ex parte integrum esse titulum mecum sentient alii.

XXVIIII. In Methymna Lesbi urbe.

ἐ]παγγ[ε]ιλάμενοι καὶ εἰσενέγκαντες ..... εἰς τὴν σύνοδον τῶν μεγάλων Σαραπιείων, ὅπως εἰς πάντα τὸν χρόνον τοῖς νείοις συντελῶνται αἱ θυσίαι κατ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν

Καλλιστόδικος Καλλιστοδίκου
[Ζ]ώιλος Θεοδότου
Φίλιστος ....

Primum vocabulum non correxissem, nisi in eo quo utimur apographo nimis multa recentioris scribendi generis vestigia deprehenderentur. Potest *ἐπαγγιλάμενοι* etiam in ipso titulo scriptum fuisse.

ΠΕΙΡΑ quid sit fugit me. Certe non indicabatur hac voce, quid contulissent. Cf. C. I. 3144: *τὰ ὀνόματα τῶν ὑπεσχημένων καὶ συνεισενεγκάντων εἰς τὴν τοῦ λιμένος κατασκευήν.* Et similem nominum indicem hunc quo de agitur titulum fuisse ex verborum ordine suspicor. Itaque ab initio haec fere supplenda: *οἵδε εἰσὶν οἱ ἐπαγγειλάμενοι κτλ.*

Romae.

G. Kaibel.

QVAESTIONES ONOMATOLOGICAE LATINAE.

I. NOMINA IN *ANVS*.

Absoluto demum corpore inscriptionum Latinarum fieri posse, ut materies onomatologi Latini plena ac iusta, qualem Thomas Reinesius olim edere sibi proposuerat[1]), exinde vero frustra expectavimus, tam ex scriptoribus Graecis et Latinis quam ex vasta titulorum Latinorum multitudine, item ex aetatis Romanae Graecis inscriptionibus congeratur, omnes scimus. Itaque mirandum non est quod pauci tantum in argumento hoc per se difficili et ambiguo tractando operam collocare voluerunt, quorum quotquot mihi innotuerunt disputationes[2]), si exceperis Mommseni de praenominibus commentationem[3]), quanquam sua laude non fraudandae, tamen eo fere omnes vitio laborant, quod in paucis tantum exemplis observandis

---

[1]) De eponymologici eius manu scripti fatis post C. G. Müllerum (in Wolfii analectis 2 p. 256 ss.) I. Bakius egit in actis academiae Amstelaedamensis (*verslagen en mededeelingen*) VI 1862 p. 340 et VII 1863 p. 141 ss. Cf. etiam mus. Rhen. XIX 1868 p. 293 ss.

[2]) Sunt autem hae fere disputationes nostratium hominum M. W. Heffteri *über die römischen Personen- und Geschlechtseigennamen* in *Zeitschr. für Gymnasialwesen* XVII 1862 p. 511 ss. 636 ss.; G. Lahmeyeri *über die Reihenfolge der Eigennamen bei den Römern* in Philologo XXII 1865 p. 468 ss., C. Angermanni *die römischen Männernamen auf* a in G. Curtii *Studien* V 1872 p. 377 ss. (qui Iacobum Grimm opusc. 3 p. 359 ss. sequitur); Francogallorum Grellet-Dumazeau *note sur les noms propres chez les Romains* (Clermont-Ferrand 1864 8.) et R. Mowat *les noms propres Latins en* atius in *mémoires de la société de linguistique de Paris* 1868 p. 98 ss. et *les noms familiers chez les Romains* ibidem 1871 p. 293 ss.

[3]) *Die römischen Eigennamen in republicanischer und augusteischer Zeit* in quaest. Roman. I p. 1 ss. Adde eiusdem disputationem de gentibus patriciis quae sequitur ibidem p. 71 ss.

iisque partim dubiis versantur; quare leges quas inde deducere student generales parum certae sunt. Quod siquis vitium omnino vitare volet, ei a quaestionibus onomatologicis nunc quidem prorsus abstinendum est. Nihilo vero setius visum mihi est e re esse ex studiis olim incohatis neque vero unquam sepositis in singulare quoddam nominum genus illustrandum quid redundare possit utilitatis iudicio peritorum subicere, etiamsi quaestionis fundamentum non usque quaque firmum et absolutum esse non ignoro.

Quod grammatici docent nomina gentilicia Romana in *ius* formari solita esse, id usu quoque comprobari notum est; nam nomina gentium patriciarum quotquot novimus nullo excepto, item nobilitatis plebeiae tantum non omnia in *ius* terminantur[1]). Tamen praeter suffixum quod est *ius* (sive *ja*, ut cum grammaticae comparatae doctoribus loquamur) quae etiam origine ab ipso non diversa videntur fuisse *aeus* (quod antiquitus *aius* fuit, Oscis fortasse *avus*, rustice *eus*) et *eius* suffixa omni tempore gentiliciorum propria fuerunt, ut in *Annaeus Poppaeus* et *Lucceius Pompeius* cum similibus[2]). Sed ne in hac quidem *aeus eius ius* suffixorum cognatorum varietate gentiliciorum nominum formatio sese continuit. Ut novae semper gentes nomini Latino accesserunt indeque paullatim succrevit populus Romanus per Italiam et extra eam in provincias sparsus, ita novae propagatae sunt gentiliciorum nominum formae, quae, ut illas proprie Latinas dicere licet, peregrinae quidem fuerunt origine, sed tamen eodem atque illae iure communi usu receptae. Ita Tuscae originis nomina novimus in *erna* (quod *arna* antiquitus fuit ut in *Mastarna*) et *enna*, veluti *Perperna Tapsenna*, quaeque cum his arte coniuncta sunt in *ina* et *inna*, velut *Caecina Spurinna*; Umbriae et Sabinorum propria sunt formata in *anas enas* (quod antiquitus fuit *anatis enatis*) et *inas* (*inatis*), cuius generis etiam cognomina nonnulla in usu fuerunt[3]). Accedunt rariora quaedam in *acus* Galliae, in *icus* Africae et Lusitaniae propria, velut *Avidiacus Caturicus Pagusicus Sammonicus*.

Atque ab oppidorum nominibus derivata esse nomina in *anas* (cuius solum innotuit exemplum *Mefanas* Orell. 4080) *enas inas* (*Adenas Asprenas Carrinas Felginas Fidenas Fulginas Larinas Maecenas Sassinas Sentinas Sufenas Surinas* **Ufenas*, quibus etiam adnumeranda sunt *Antias* et *Menas Menates* C. I. L. I 633 et Umbrorum *Capidas*) aut per se patet, cum oppida unde derivantur nota sint, aut perquam probabile est, praesertim cum idem indicet Varronis testimonium (de l. L. 8 extr. *hinc quoque illa nomina Lesas* Ufenas Carrinas Maecenas; quae cum essent ab loco, ut Urbinas*, et quae secuntur). Videntur igitur homines ex oppidis illis oriundi originis indicationem pro familiae nomine in posteros propagavisse, fortasse ut post-

---

1) Vide Mommseni indices in quaest. Rom. I p. 107 ss.

2) Quae non satis accurate distinxit is qui nuper in formationis eius generis leges inquisivit Leo Meyer grammaticae Graecae et Latinae comparatae 2 p. 449 ss.

3) Eorum generum exempla quae ante hos viginti annos composui in quaestionibus onomatologicis (Bonnae 1854 8.) non paucis augeri nunc possunt et in quibusdam emendari; ut consentaneum est.

quam civitatem Romanam adepti erant etiam nominum ratione Romanis sese aequiperarent. Similiter iudicandum de Tuscis in *arna enna ina inna*; scilicet Tusci homines patriis nominibus, forma eorum aut nullatenus aut leviter immutata, pro gentiliciis Romanis uti perseverarunt; ab oppidorum autem nominibus illa quidem non videntur originem duxisse. De Gallicis Africanis Lusitanis parum constat; sed possunt illa utraque ratione aut ab oppidis aut ab hominibus peregrinis originem duxisse. Quod a Tuscis Umbris Sabinis tempore vetusto factum esse probabile est, id tempore recentiore repetitum esse frequenter ab hominibus peregrinis militum potissimum nomina docent; milites enim cuiusvis fere generis nomina barbara in gentilicia Romana convertere solebant.

Sed praeter nominum genera illa, quae primo statim adspectu peregrinae originis esse deprehendimus, aliae extant gentiliciorum classes non in *ius* terminatorum, quae proprie Romana aut certe Italica esse certum est; scilicet in *ānus īnus ēnus* terminata. Atque de iis, quae in *inus* et *enus* formata sunt, pauca monebo [1]), nomina vero in *anus* accuratius tractabo.

Praeter alius generis adiectiva inprimis a locorum nominibus in *īnus* solent adiectiva formari, ut *Latinus Sabinus* multaque alia; ipsaque locorum nomina, ut *Larinum Sentinum* alia, eiusdem sunt formationis. Talia non admodum raro in gentiliciorum usum conversa esse (veluti *Pomptinus*) ab uno, nisi fallor, G. F. Grotefendio in transcursu aliquando dictum, non satis accurate explicatum est [2]).

Difficilius iudicandum de nominibus in *ēnus*, quae diu est quod pro cognominibus haberi solent omnia a viris doctis; veluti *Alfenus* Horatianus. Proprie Latinum esse *ēn* suffixum, quanquam non admodum frequens, docent *catēna habēna harēna verbēna cantilēna laniēna venēnum egēnus serēnus aliēnus terrēnus* et similia. Simili ratione a radice, quae est *Alf* (ut in *Alfius*), *Alfenus*, a *Pontio Pontienus*, a *Satrio Satrienus* recte derivantur. A locorum nominibus aperte ea non sunt derivata; tamen haec quoque no-

---

[1]) Illud tantum moneo occasione data, amicam Mamurrae decoctoris Formiani Catullianam (c. 41 et 44) eius generis nomen habuisse, non cognomen. Nam in iis quae traduntur litteris *A me a na* certo non *Ammiana* aut *Anniana* latent cognomina vulgaria et ne satis antiqua quidem; quae placuerunt Fröhnero et Schwabio. Sunt enim talia feminarum nomina liberae rei publicae tempore paene inaudita; deinde dupliciter peccatum esset et geminatione omissa, quae ante Catullum omitti omnino desiit, et in *e* pro *i* rustice posita. Sed quod Hauptius scripsit *Ametina* proxime accedit ad litteras traditas et commendatur nominibus geographicis. Plinius enim *Amitinum* Latii oppidum (3 § 68) et Tuscos *Amitinenses* (§ 52) nominat; *Ametini* (Latini puto) redeunt in titulo, quem ex Marinii schedis habuit Kellermannus Vig. p. 44 (inde Henzen 5136). Indidem fortasse derivatum est Volumniorum cognómen *Amintinus*, quod in fastis est (a. 293); fortasse non recte ita scriptum a doctis hominibus, qui fastos confecerunt.

[2]) In quaestionibus de geographia et historia veteris Italiae fascic. V 1842 p. 42, qui libelli multa confusa sed etiam non pauca recte de his rebus observata continent.

mina non proprie Latinae videntur fuisse originis vel, ut accuratius dicamus, consuetudinis; frequentissima enim esse in certis quibusdam Italiae mediae partibus, in Piceno potissimum (cuius nomen ipsum similiter formatum est) regionibusque vicinis observavit Mommsenus [1]). Indicare possum eius formae nomina ducenta plus minus, maximam partem ex inscriptionibus regionum earum quas dixi.

Certo Latinum est suffixum *ān*, quod componi solet tam cum radicibus e quibus vocabula in *a* sive primae declinationis formata sunt, ut ab *insula* fiebat *insulanus*, a *decuma decumanus*, quam cum radicibus in consonantes terminatas aut in *o* secundum tertiam alteramque declinationes, ut a *fonte fontanus*, ab *oppido oppidanus*, a *castello castellanus* facta sunt. Frequentissimum est in adiectivis quae breviter dicimus ethnicis, sed eadem atque in reliquis formis libertate usurpatum; nam ut a *Roma Romanus*, ita a *Tusculo Tusculanus* derivatur. Non frequens est in vetustis deorum nominibus, veluti in *Diana* [*Ianus*] *Silvanus Summanus Volcanus*, item in recentioribus indigitamentorum qui dicuntur *Aesculanus Tutanus Vagitanus Praestana Patellana*; frequentius, ut expectaveris, in locorum nominibus, quae non raro secundum adiectivorum analogiam formantur, veluti sunt *Cluana Ficana Novana Numana Urbana*, *Aeclanum Anxanum Bovianum Iuvanum Pallanum Teanum Tegianum*; accedunt montes *Garganus Vaticanus, Pantanus* lacus, flumen *Vomanum*. Pertinent huc etiam *Sacrani* ex Reatinorum vere sacro orti teste Paulo Festi p. 321, quorum nomen ad similitudinem *Campanus Lucanus* nominum formatum esse patet.

Per *ān* suffixum coniunctum cum *ius* gentiliciorum sollemni similiter atque per *ōn*, *ēn*, *īn* et fortasse etiam per *ūn* nomina gentilicia multa formata sunt in *ānius ōnius ēnius īnius* [2]), veluti *Geganius Sempronius Ducenius Vatinius*, rara in *ūnius*, velut *Sepunius Sepunnius* et similia quaedam. In adiectivorum quoque formatione *ān ōn ēn īn* suffixa satis frequentia sunt, *ūn* rarum, ut in *importunus oportunus*; rara etiam deorum nomina per *ūn* suffixum formata, veluti *Neptūnus Portūnus Mutūnus Tutūnus Vacūna Vesūna* et Sabinorum *Albŭnea*; nam in *Fortuna* antiquiorem *Fortona* formam novimus, similem nominibus *Angeronae Orbonae Pomonae*. In locorum nominibus *un* videtur deesse; nam *Belunum Camuni Virunum* barbara sunt. Commune illud habent nomina in *anius onius enius inius* (non in *unius*), quod nusquam in iis *n* littera geminata est. Nam quae extant in *ennius* nomina non pauca (veluti *Herennius Pescennius*) et in *innius* perpauca (veluti *Avinnius*), ea diversae originis putanda sunt et fortasse componenda cum terminatis in *enna* et *inna*; in *annius* autem et *onnius* formata nulla fuerunt. Itaque *Turannius* pro *Turranius* et *Verannius* pro *Veranius* formae, quas editores scriptorum veterum adhuc tolerare solent, omnino removendae sunt. *Verannius* formae

[1]) In libro de dialectis Italiae inferioris p. 362 adn. 8; cf. quae Henzenus adnotavit ad Borghesii opera 1 p. 246 et 4 p. 318.

[2]) Scio etiam in *ĭnius* fuisse, ut *Cominius Flaminius Stertinius Volsinii*; sed hanc prosodiae differentiam nunc non curo.

nullum unquam exemplum repperi; *Turannius* ter scriptum est in titulo urbano apud Fabrettium p. 386, 227 itemque in titulo christianae aetatis apud eundem p. 386, 324, *Turannia* bis apud Muratorium p. 1282, 6 in titulo ex schedis Accursii desumpto, quae bonae fidei sunt. Sed potest in his exemplis aut erratum esse a lapicidis descriptoribusve aut derivatum esse nomen cum pravo doctrinae studio a τύραννος Graeco vocabulo. Compara Verrii Flacci explicationem a Festo p. 355, 15 servatam: *Turannos Etruscos appellari solitos ait Verrius a Turrheno duce Lydorum, a cuius gentis praecipua crudelitate etiam tyrannos dictos* [1]).

Adiectivis formatione aequalis est similisve magna cognominum pars; neque desunt cognomina in *anus* formata. Itaque de nominibus gentiliciis in *anus* quaesituro tam cognomina in *anus* quam gentilicia in *anius* respicienda sunt. Non dico in *anius* gentilicia derivata esse omnia ex nominibus aut cognominibus in *anus*; sed redeunt in uno quoque trium illorum generum radices eaedem similesve. Cum vero per se probabile sit in nominibus similiter atque in appellativis *an* suffixum originem localem, ut breviter dicam, indicasse, ea tantum ex cognominibus in *anus* gentiliciisque in *anius* hic considerabo, quae certo probabiliterve ad eius generis radices possunt referri.

Aliud enim praeterea extat cognominum frequens adiectivorumve genus (nam utrumque dicere possis) in *anus* formatorum, quae originem non a locis, sed ab hominibus traxerunt. Qui ex sua gente per adoptionem in aliam transierunt, eos prioris gentis indicationem servavisse notum est cognominibus ex gentis primariae nomine per *anus* suffixum formatis; ut Paulli Aemilii filius dictus est Scipio Aemilianus. Hoc utrum necessario semper ita institutum fuerit necne hic non curo; certum autem est cognomina eius generis extitisse non pauca, et ab eius formae cognominibus etiam gentilicia formari potuisse in *anius*. Pariliter servi publici (ut Mommsenus exposuit *röm. Staatsrecht* 1 p. 252) servique nobilium, qui in aliam domum transierunt hereditate vel alio modo (ut *emptu Germanianus* ille C. I. L. II, 2641), prioris domini nomen servaverunt additis adiectivis in *anus* formatis (qua de re Mommsenus dixit Hermae 2 p. 157 s.). Sic servos libertosve novimus *Acteanos Agrippianos Galbianos Maecenatianos Drusianos Germanicianos Drusillianos Claudianianos Pallantianos Poppaeanos* [2]). Postremo sollemnis est *anus* terminatio in agrorum camporum fundorum hortorum praediorum vinearum villarum rusticarum nominibus a dominis derivatis; praeter tabulas alimentarias, quas habemus, Mommseni ad inscriptiones Neapolitanas (p. 463) et Henzeni ad syllogen Orellianam (p. 22) indices multa eius generis exempla praebent.

Haec de quibus ultimo loco dixi genera id commune habent, quod cum a nominibus gentiliciis in *ius* terminatis derivata sint longe plurima,

---

1) De Oscorum *dekmannuis* (oe supra u) in Mommseni dial. It. inf. p. 225 fortasse aliter iudicandum.

2) Cf. Orelli 2991 ss. Henzen 6255. 6351.

i illud ante *an* suffixum servant; in *ianus* igitur formata sunt proprie, non in *anus*.

Haec praemonenda erant, priusquam ad propositum accedere licet. Nam dici potest etiam de quaestionibus hisce onomatologicis, quod de aliis rebus dictum est: siquis unum nominum genus novit, nullum novit; si omnia novit, unum novit. Deinde qui in nominibus propriis tractandis versatur, ei cum quasi in oceano quodam exemplorum natandum sit prodest quidem haec copia, nam ex multarum rerum vel aequabilitate vel similitudine usus leges plene perspici possunt, sed eadem etiam difficultates creat non parvas; nam quot exempla, tot etiam fere in usu libertates observandae sunt. Certum tamen est ex nominum propriorum formatione multa disci posse, quae tam ad artem grammaticam pertinent, quam faciunt ad rerum hominumque historiam rectius intellegendam. Itaque periculum faciendum atque ab uno aliquo genere incipiendum est.

Composui igitur indices tres, primum gentiliciorum in *anus*, alterum cognominum in *anus*, quae quidem a locis videri possunt derivata esse, tertium gentiliciorum in *anius*, quae eiusdem similisve originis esse probabile est. Plenos eos non esse scio; recepi autem quotquot collegi exempla ex scriptoribus et syllogis inscriptionum editis maioribus, quae fide dignae sunt. Corporis inscriptionum Latinarum etiam ea volumina adhibui, quae nondum publici iuris facta sunt, item schedas ad futura volumina collectas ex parte; Henzeni schedas urbanas inspicere potui Romae a. 1856. Ex syllogis minoribus, quae singulorum locorum titulos continent, paucissimas usurpavi; quod probabunt periti. Incertae lectionis exempla multa sciens omisi; nonnulla recipere utile visum est, sed dubitationis signo (asterisco) adposito.

I. Nomina gentilicia in *anus*.

ABELLANVS *C. Abellanus Felix* Romae Fabretti p. 1, III = Gori 1, 61, 158. Idem homo, ut videtur, apud Gorium 1, 61, 163 *C. Abillanus Felix* dicitur; sed E et I litterae in litteratura tabellarum, quales solebant in columbariis adfigi parietibus, saepe vix distinguuntur.

Abella Campaniae nota est.

ACERRANVS *M. Acerranus* [*M.*] *f. Ae*[*m*(*ilia*)] *Secundus* nescio quo loco Doni 193, 124 (inde Murat. 665, 5); sed titulus suspicioni non obnoxius.

Acerrae Campaniae item notae.

AEFOLANVS s. AEFVLANVS *Ser. Aefolanus* in Carthagine nova C. I. L. I 1555 = II 3408; titulus Augusto vetustior.

Μάρκος Αἰφουλανός Smyrnae C. I. Gr. 3187 videtur Asiam pro consule rexisse sub Nerone (cf. Waddingtonii *fastes des provinces asiatiques* p. 133 s.).

Aefulana C. f. Polla Florentiae Gori 1, 158; 87 = Murat. 1623, 12 et 1779, 42.

Aefulam sive *Aefulum*, non Aesulam Aesulumve appellatum esse vetustum Latii oppidum prope Tibur situm (cuius meminerunt Horatius carm. 3, 29, 6 et Livius 26, 9, 9. 32, 29, 2) optimorum librorum fide stat, ut dixi Hermae I p. 426.

AEQVANVS *Sex. A[equa]nus*

Aequana M. f. Musa Patris Achaiae C. I. L. III 510 in titulo aevi Augusti.

Etiam in titulo picto Pompeiano C. I. L. IV 133 *Aequanus* potest gentile esse.

Aequi et Aequum Italiae, item Aequum Dalmatiae (C. I. L. III p. 360), pagus Aequanus Beneventi ex tabula alimentaria Ligurum Baebianorum nota. Cf. etiam *Aeca.*

AFILANVS *L. Afilanus L. f. An(iensi) Provincialis* Afilae in Sabinis Orell. 2251. Lapidem vidit Henzenus (cf. Borghesii opp. IV p. 318).

Afilae Plinius 3 § 63 meminit.

AFRICANVS *M. Africanus Mercurius* Salonis C. I. L. III 6386.

ALBANVS *L. *Albanus Martialis* Aeserniae I. N. 5052 non satis certus.

M. Albanus Paternus Coloniae Agrippinae Grut. 86, 9 'ex Arn. Mercatore' (inde Brambach I. R. 385 qui Albanius correxit fortasse non recte).

Albana Sabina Emeritae C. I. L. II 551. Ita traditur; correxi *Albania*, non recte.

Albae praeter longam et Fucentem Italiae notae Pompeia Liguriae, Augusta et Helvia Galliae (Alba Iulia Daciae nulla fuit).

ALBINOVANVS *P. Albinovanus* Marianorum dux notus ex Appiano b. c. 1, 60. 91, Floro 2, 9, Pseudo-Asconio ad Verrin. 2, 1 § 37 (p. 168 Orell.).

Qui cenae pontificali celeberrimae de qua rettulit Macrobius sat. 3, 13, 11 interfuit P. Albinovanus pontifex minor ab illo fortasse non diversus est (meminit eius in transcursu tantum Bardtius noster in commentatione de sacerdotibus quattuor collegiorum maiorum p. 2).

Albinovanus P. Sestii accusator apud Ciceronem interrogationis in P. Vatinium 1, 3. 17 quater appellatur. Is propterea quod Cicero Quinto fratri 2, 3, 5 scripsit P. Sestium 'postulatum esse eodem die a quodam M. Tullio de vi', creditur nomina habuisse M. Tullii Albinovani Drumanno 6 p. 665, Halmio in praefatione ad Sestianae editionem, Orellio in Onomastico, aliis. Etiam T. Claudius et Cn. Nerius homines aliunde non noti postulare voluerunt P. Sestium; num is, quem Cicero de vi postulasse

ait, idem fuerit atque Albinovanus, quem in interrogatione compellat, mihi videtur dubitari posse. Certum autem est, non recte hanc ob causam etiam P. Albinovanum Marianum adscriptum esse genti Tulliae; ut fecerunt interpretes.

Albinovanus Celsus poeta Horatii amicus ita recto nomenclaturae ordine aut casu aut optimorum auctorum fide appellatur a Porphyrione aliisque scholiastis ad epistulam 1, 8. Idem praeterea in epistula 1, 13, 15 nudo cognomine Celsus dicitur; scholia ibi nihil praebent. Inscriptio epistulae prioris in codicibus deterioribus *ad Celsum Albinovanum* ut per se fidei est nullius, ita ordinem nomenclaturae aperte desumpsit ex epistulae initio

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano.

Apud Ovidium ex Ponto 1, 9. 1. 41. 44, siquidem idem re vera indicatur, item *Celsus* dicitur simpliciter. Praenomen ignoratur.

Albinovanus Pedo poeta epicus, qui diu creditus est epicedion Drusi composuisse (cf. Hauptii eius carminis editio p. 17) ab Ovidio semel in epistula ex Ponto 4, 10, 4 (quae etiam inscripta est 'Albinovano') ita 'Albinovane' appellatur; in eadem epistula v. 65 *Pedo* dicitur itemque 4, 16, 6; ubi iuxta Marsum et Rabirium nominantur 'Iliacusque Macer sidereusque Pedo'. Item apud Senecam maiorem eo loco (suas. 1, 14), quo versus eius de navigatione Germanici proferuntur nuper saepius tractati (videantur Hauptius Hermae 3 p. 208 ss., Bergkius in indicis rerum ab Augusto gestarum retractatione p. 97. 124), *Pedo* dicitur nude, sed apud eundem loco non minus claro, qui est de Ovidio rhetore (controv. 2, 2 [10] p. 180, 16 Kiessl. itemque in excerptis p. 233, 23) plene et iusto nomenclaturae ordine *Albinovanus Pedo.* Minor Seneca epist. 122, 15 'fabulatorem elegantissimum', cuius de Sp. Papinio 'lychnobio' lepidam narratiunculam refert, *Pedonem Albinovanum* dicit transpositione usus vulgari, cuius iam apud Varronem et Ciceronem exempla extant non nulla (cf. Mommseni quaestiones Romanae 1 p. 41 adn. 67), sed plura inde a saeculo primo reperiuntur. Cognomen solum contenti fuerunt ponere Martialis (2, 77, 5) Quintilianus (6, 3, 61. 10, 1, 90) Tacitus (ann. 1, 60): videtur enim Pedo praefectus equitum Germanici, quem ibi nominat, re vera non diversus fuisse a poeta. Apparet igitur ut in Tibullo Statio Martiali Iuvenali cognomen poetae nomen fuisse usque quaque notum, non gentilicium, ut in antiquioribus Horatio Vergilio Propertio. Haec sola sufficit ratio ad redar-

guendam opinionem aliquam ab O. Haubio nuper prolatam in dissertatione de carminibus epicis saeculi Augusti (Vratislav. 1870) p. 14, scilicet versus Albini poetae ignoti ex rerum Romanarum primo, quos Priscianus servavit (7, 5, 22 p. 304, 20 H.), Albinovano tribuendos esse. Etenim Ovidius solus in carmine poetam solo gentilicio appellat; praeterea vero ubique aut utrumque ponitur nomen, gentilicium et cognomen, aut cognomen solum, ut usus postulat; gentilicium solum praeterea nusquam deprehenditur. Gai praenomen, quod inde a Scaligero Pedoni tribuitur, omni fide caret.

Mire sane accidisset, si utrique poetae cognomen duplex fuisset (id quod quanquam interdum iam reperitur eo tempore, v. Mommsenum Hermae 2 p. 158s., tamen rarissimum est), gentile autem utriusque obrueretur oblivione. Contra ambo, tam Celsus quam Pedo, Albinovanae genti omnino adscribendi. Num fratres fuerint an pater et filius diiudicari nequit; sed utrumque fieri potuit. Parentela aliqua eos fuisse coniunctos perquam probabile est.

P. Albinovanus nihil amplius scriptum litteris bonis legitur in titulo musei Vaticani (Gall. lap. incert. I), quem Henzenus vidit. In titulis aliis Albinovani nomen nondum comparuit, quantum scio.

Locus, siquis fuit omnino, unde nomen originem duxit, potest fuisse aut Alba nova aut Albium novum sive Albinovium (ut Albingaunum et Albintemelium); ab utroque recte derivatur Albinovanus, ut a vico Tusco Tuscivicanus cognomen, de quo dicetur infra.

ANNIANVS *L. Anniani Sperati* Luguduni Boissieu *inscriptions antiques de Lyon* p. 528, 124.

APSCILLANVS *C. Apscillanus C. l. Ero*
C. Apscillanus C. l. Rufio
C. Apscillanus C. l. Suavis
Apscillana C. l. Secunda Allifis in Samnio I. N. 4789.

Trium libertorum nomina in hoc titulo genetivo casu exhibentur, qui potest etiam formae in *anius* esse; sed libertae nomen oportune additum rem conficit.

Loci nomen Apscilla vel simile notum non est; sed *Ap* radix in Appiorum nomine Sabino atque in derivatis veluti *Apisius Apusius Apstidius* (Sorae I. N. 9519 teste Gudio) nota etiam in locorum nominibus vetustis *Apina* Dauniae (Plinius 3 § 104) *Apiolis* ab Anco iam eversis (Livius 1, 35 ex Valerio Antiate secundum Plinium 3 § 70) *Apicilia* (sita illa inter Concordiam et Aquileiam; itiner. Hierosolym. p. 559 Wess.) deprehenditur. Ad Apscillanum Apstidius proxime accedit.

APVLANVS *P. Apulanus P. f. Pol(lia) Sabinus domo Epored(ia)* Delminii in Dalmatia C. I. L. III 2711.

Tam Apulorum et Apuliae Italiae nomina nota quam Apuli Daciae oppidi comparari possunt.

BABIANVS *Babiana Fortunata* Venafri I. N. 4464 (Mommsenus descripsit) in titulo saeculi circiter secundi.

BAEBIANVS *M. Baebianus Iucundus* Capuae I. N. 3568 in laterculo magistrorum Iovis Liberi a. p. C. 15.

Comparari fortasse possunt Ligures Baebiani Corneliani.

BOLANVS *Bolanus* apud Horatium sat. 1, 9, 11.

Bolana P. f. Rufina Romae in cippo litteris bonis mus. Vatic. *gall. lap.* inc. I, quem vidit Henzenus.

M. Bolanus M. f. Aniens(i) Marcellus

Bolana M. f. Secunda Mediolanii C. I. L. V 5849.

L. Bolanus Callistinus

L. Bolanus Felix

Bol(ana) Prima Ammaedarae in Africa Renier *inscriptions de l'Algérie* 3203.

Cognomen Bolani in Vettiorum gente Mediolaniensi (ut tituli docent C. I. L. V 5849. 5900. 6118. 6123; 5199 5272) notum; Vettius Bolanus Neronis in Britannia legatus a Tacito ann. 15, 3 (ubi Nipperdeii adnotatio legenda) et Statio silv. 5, 2, 30 ss. memoratur. Cognomen derivandum fortasse ex gente Bolana Mediolaniensi Mommsenus adnotavit ad titulum eius gentis modo indicatum. *P. Lucceius Bolan(us)* in titulo Africano *des Oasis* Renier *inscr. de l'Alg.* 1648. *L. Mindius Bolanus* aliquis in nummis Patris in Achaia cusis memoratur. Potest cognomen fuisse etiam in Bolano Horatii; sed tempori magis convenit gentile solum positum in homine plebeio.

Bola Aequorum oppidum notum a Vergilio Aen. 6, 775 et ab aliis memoratur.

BOVIANVS *C. Bovianus C. f.*

Boviana Cariana

Boviana Romae Fabrett. 610, 80 'fragmentum in aede SS. Cyri et Io. via Portuensi'.

Bovianum utrumque in Samnio situm, a bove gentis olim duce, ut ferebant, dictum; cf. Mommsenus de dialectis Italiae inferioris p. 173 ss.

*BOVILLANVS *Bovillanus* in fragmento ex Lucilii satirarum III apud Nonium 25, 27 ex *novitlanus* codicum Turnebus restituit (v. Mülleri Lucilius p. 11).

A Bovillis, Latii oppido suburbano, nomen, non cognomen derivatum esse probabile est.

CALPETANVS *Calptana* in olla sepulcreti urbani apud aedem S. Caesarii C. I. L. I 848.

C. Calpetanus Rantius Quirinalis Valerius Festus vir clarus aevi Vespasiani ex Tacito multisque titulis notus; quae omnia indicat Mommseni index Plinianus p. 427.
C. Calpetanus Theorus Romae I. N. 6769 II in laterculo tribulium tribus Sucusanae a. 70.
C. Calpetanus Faor in tegulis a. 147 apud Marinium Arv. 144.
C. Ca[l]petanus Livianus in mortario Pompeiano I. N. 6703, 17.

Hi tres ultimo loco dicti ad clientelam domus Valerii Festi possunt pertinuisse.

Quod in Calpetani nomine inest *et* suffixum frequentissimum est in nominibus geographicis Hispaniae, veluti in *Callet Osset, Edeta Toletum*, *Ilergetes Indigetes*, *Ausetanus Bastetanus Carpetanus Cerretanus Cessetanus Iaccetanus Laeetanus Laletanus* (de quibus dixi Hermae I p. 377 ss.) *Mauretania Sedetanus Suessetanus Turdetanus*; similia etiam Africana Gallica Hispana, veluti *Aquitanus Gaditanus Gracurritanus Igaeditanus Icositanus Lusitanus* atque derivata ab oppidorum nominibus in *i* vel *is* desinentibus *Accitanus Aruccitanus Bilbilitanus Saetabitanus Subitanus* (fortasse a Subi flumine, cf. C. I. L. II 3297) *Suburitanus Vessitanus* alia. In Bithynia flumen est et portus Κάλπας sive Κάλπης dictus (testimonia vide in Benseleri onomastico); promonturium Iberiae Calpe notum est. Utrumque nomen erunt fortasse qui Punicae crediderint originis. Graeculorum enim tantum doctrina, ut Müllenhoffius perspexit (*deutsche Alterthumskunde* 1 p. 83. 144), promonturii eius nomen a κάλπις sive κάλπη vocabulis Graecis derivare voluit, id quod legimus in Avieni orae marit. v. 348, apud Melam 2, 6, 95 et in scholiis ad Iuvenalem 14, 279; nam rupes illa longa et utrimque praeceps atque 'cavus teresque urceus' sive 'urna' omnino dissimilia sunt, ut testabuntur qui viderint, neque omnino quemadmodum rupes qualiscumque comparari possit cum urceo urnave vel stante vel iacente perspicio. Verum nomen inde suum derivasse familiam aliquam plebeiam Romae inde a saeculo fere septimo, quamquam fieri quidem potuit, tamen probabile non est. Sed idem *et* suffixum etiam in locorum Italicorum nominibus reperitur, velut in *Arretium Caieta Nepet Peucetia Pometia Soletum Spoletium Vicetia*, in *Bubetanis Caeretanis Cusuetanis* Plinii (3 § 69) itemque *Tannetanis* (3 § 116), etiamsi illa fortasse non omni ex parte recte tradita sunt, item in formis adiectivorum *Aegetinus Aletinus Alsietinus Argetinus Neretinus Veretinus*. Comparanda sunt vocabula velut *buxetum dumetum lauretum temetum* similia. Accedit cognomen magistratus monetarii C. Mamilii *Limetani* (C. I. L. I 429), a *limine*, dea *Limentana*, *limitaneus* adiectivo fortasse omnino

3*

diversum. Similiter etiam *it* suffixum non plane deest in Italicis, ut docent *Amiternum Uritinus Lanita* (pagus Nolanus I. N. 1983 = Henzen 5165), et ex Graeco usu derivandis (ut *Anconitanus*) in Italia et in reliquis provinciis, veluti in Dalmatia *Neditanus Praevalitanus Risinitanus Salonitanus Scardonitanus*; comparandum praeterea **Tesuitanus* nomen infra recensendum. Radix nominis quod est *Calpetanus* extat praeterea, sed raro tantum, scilicet in *Calpio* (*Calpia Quartilla* Romae a. 68 I. N. 6855) et *Calpurnio*; itaque etiam Calpetanus originis esse Italicae rectius putabitur a *Calpet* (ut *Nepet*) vel *Calpeta* (ut *Caieta*) fortasse derivandum.

CARDANVS *Cardana P. f. Procula* in Piceno Orell. 85 = Henzen 7127, uxor octoviri Firmi et Falerione.

CARFANVS *M. Carfanus M. f. Stel(latina)* decurio

Carfanus (aut -*ius*) *Achilles* Sentini Henzen 6042 *b* (2, 5) in laterculo cultorum dei Mithrae.

Carfani Restute [i. e. *Restituti*] vigilis nomen in basi urbana a. 205 Marinius (*iscr. Alb.* p. 204, 1, 144) et Kellermannus (Vig. 2, 4, 54) legerunt, *Carpani* Fabrettius p. 613, *Carfami* Henzenus et Bormannus C. I. L. VI 1056, 53. Puto fuisse Carfanum vel Carfanium.

Carfam sive *Carfum* oppidi nomen fuisse Mommsenius olim suspicatus est de dial. It. inf. p. 243.

CARIANVS *L. Carianus Ↄ.* (i. e. *mulieris*) *l(ibertus) Severus*

L. Carianus Ↄ. l. Zosimus Romae in lapide musei Capitolini Guasco n. 633, quem etiam Henzenus descripsit.

L. Carianus Cosmus Romae Reinesius 736, 52 ex Piccarti codice.

CASPILANVS *M. Caspilanus M. f. Marcellus* Luceriae I. N. 974.

Comparanda *Casp-eria* Sabinorum oppidum, cuius Vergilius meminit Aen. I 714; praeterea similia non reperio.

CATICANVS *Q. Caticani Bithi* 'in cippo ex Tiburtino lapide apud Nomentum' Fabretti 613, 111.

Nihil impedit quominus *Caticanus* nominativum esse ponamus, non *Caticanius*, ut Fabrettius fecit.

CERELLIANVS *P. Cerellianus P. l. Asyncritus* Augustalis Uriae in Calabria I. N. 571, ubi etiam pater eius cognominis memoratur.

Phoebus Cerellianes Procles servos Brundisii I. N. 524.

Inter Bruttiorum oppida Strabo 6, 1, 4 nominat Κηρίλλους πλησίον Λάου; apud Silium 8, 580 *Cerillae,* in tabula Peutingerana *Cereli* dicuntur, hodie *Cirella vecchia*. Unde iam a Mommseno de dial. It. inf. p. 72 Cerellianorum nomen ad Messapicam originem refertur; a Caerelliorum nota gente videtur diversum esse.

Cf. infra *Gerellanus.*

Clepianvs *Clepiana Augustina*

Clepiana Secundina Beneventi I. N. 1589 (ex schedis Gudii). Cf. *C. Clepius C. l.* in Piceno Servanzi-Collio p. 43.

Cleppius Venusiae I. N. 736, 13.

Τιβέριος Κλεπίτιος dux Lucanorum in excerptis Diodori 37, 2 (p. 172, 14 Bekk.).

Alia quae ad originem nominis explicandam proferam non habeo; potest loci nomen subesse Clepia.

Conetanvs *L. Conetanus Proculus* in tabella columbarii Romani Oxonii servata, ubi descripsi; Maittaire marm. Oxon. p. 39, 84 *Conetanius* habet.

Ut in Calpetano hic quoque siquis originem Hispanam statuere velit, poterit cogitare de Cynetibus Cynesiisve, qui etiam Κόνιοι sive Κούνεοι dicuntur a recentioribus scriptoribus (cf. Müllenhoffii *deutsche Alterthumskunde* 1 p. 112 s.) in Portugalliae regione maxime versus meridiem sita olim degentibus. Sed hic quoque magis crediderim subesse nomen aliquod Italicum.

Coranvs *Coranus* Horatii sat. 2, 5, 57. 64 ut Bolanus nomen hoc gentile habuisse putandus, non cognomen.

L. Coranus L. f. Ste(llatina) Valens domo Graviscis, mil(es) coh(ortis) XIII urbanae Romae in S. Pauli extra muros Marini Arv. 778.

L. **Coranus Ursinus* Patavii Grut. 553, 2 incertus est; cf. Furlanettus *lap. Patav.* p. 189.

Cora Volscorum oppidum notum ex Livio 2, 16 et aliunde[1]).

Cosanvs *C. Cosanus C. f. Gal(eria) Rusticus flamen provinciae Baeticae* cum suis Cordubae C. I. L. II 2220.

Cosana C. f. Fidentina in Aurgi oppido Tarraconensis provinciae C. I. L. II 3373.

Cosana legi etiam in tabella quadam e columbariis Romanis Londinium translata in museum Britannicum.

Quod in Ciceronis epist. ad Attic. 15, 29, 1 legitur '*quod cum Coziano, optime*' (ita codex, *Cosiano* vulg.), potest cum editoribus aliquot veteribus mutari in '*Cosano*'; nam quod antea (ad Attic. 15, 27, 1) de Cosano quodam, i. e. fundo prope Cosam sito, verba facta sunt (*non enim ego tam illum expectare, dum de Cosano rediret, debui, quam ille aut non ire, antequam me vidisset, aut citius reverti* cet.), non obstat.

Cosa vetus Tuscorum oppidum item satis notum ex Livio 14, 58 aliisque.

---

[1]) *Coeranus* Κοίρανος Graecum esse (cf. *doctor sapientiae Coeranus* apud Tacitum ann. 14, 58), non gentile, ut Fabrettius voluit p. 373, 166 cf. 166, 306, quanquam etiam Coerana reperitur, vix est quod moneam.

CVRTIANVS *Curtianus Erotus* in loco *Azel* in Africa Renier *inscr. de l'Alg.* 1615.

Fundus Curtianus memoratur in tabula alimentaria Ligurum Baebianorum.

DISTVLANVS *C.* **Distubuanus Ianuari*[*u*]*s* Venafri in laterculo cultorum Iovis I. N. 4611, 6.

Cf. infra *Distulanius.* Inde titulus emendandus, ut aut *Distulanus* aut *Distullanus* restituatur.

ERVLANVS *Erulanus Severianus* Signiae annal. instituti archaeol. 1, 1829 p. 88; titulus est saeculi secundi tertiive.

Eruli oppidum erat in Piceno, cuius nomen sola tabula Peutingeri servavit.

FAESVLANVS *T. Faesulanus Stator* Romae Donat. 286, 5; Guasco mus. Cap. n. 151; Henzenus vidit.

Faesulae prope Florentiam notae sunt.

FAIANVS *L. Faianus L. filius Sabinus* Mutinae Grut. 1160, 3.

*FIRMANVS *L. Firmanus* Aeclani I. N. 1325.

Potest etiam solvi *L(icinius) Firmanus.*

FLAVIANVS *L. Flavianus M. l. Adrastus* in titulo urbanae originis Veronae Maffei M. V. 143, 5.

FREBRANVS *Sal(vius) Frebranus T. f. Quir(ina) Baculus, has(tatus) pri(or) leg(ionis) XX* Burni in Dalmatia C. I. L. III 2836 in titulo a. p. C. 10 vetustiore, ut exposuit Mommsenus ibidem p. 280.

Frebra sive Frebrum locus mihi ignotus; in commentariis Servianis ad Aen. 11, 271 aves Diomedeae dicuntur habitasse *in insula Febra sive Electride, quae est haud longe a Calabria in conspectu Tarentinae civitatis* (inde Cluverius Ital. p. 1282, 1). Quanquam *Febra* et *Frebra* in nota *r* litterae inconstantia non inepte coniungi possunt, tamen vix Frebrani nomen inde derivatum esse crediderim. Alia quae comparem vix habeo; nisi Marsorum *Fresiliam* (Livius 10, 3) et praeterea *Feroniae Ferenti Ferentini Frentanorum* nomina aliqua ex parte similia esse dixeris; haec enim *e* priorem potuerunt amittere, ut *Tereventum Terebonius* (C. I. L. I 190) fuisse scimus iuxta *Trebonium.*

FVNISVLANVS *Funisulanus* aliquis primum quantum video memoratur in Ciceronis epist. ad Attic. 5, 4, 1 et 10, 15, 1.

L. Funisulanus Vettonianus notus ex Tacito (ann. 15, 7) titulisque duobus altero reperto Andautoriae in Pannonia C. I. L. III 4013 = Henzen 5431, ex Foro Popilii altero Henzen 5432, item ex diplomate militari, unde a. 85 legatum eum fuisse Pannoniae novimus; egit de eo Borghesius opp. 3 p. 72 ss.

Funisulana Vettulla, uxor praefecti alicuius Aegypti, Memno-

nem audivit a. 82 C. I. L. III 35; fuit fortasse praecedentis aut soror aut filia.

Funisulanus Vettonianus tribunus cohortis Dacorum in Britannia C. I. L. VII 811 videtur descendisse ab eodem Funisulano.

Λούκιος Φουνεισουλανός Χαρείσιος, στρατηγός nomi alicuius Aegyptii, a. 122 Memnonem audivit C. I. Gr. 4721. 4722.

L. Funisulanus Eperastus Romae I. N. 6795.

Qui ultimo loco nominati sunt duo viri inter eiusdem familiae clientes numerandi, ut iam praenomen Lucii docet.

Inter Britanniae legatos unus praeter alia nomina etiam Funisulani Vettoniani habuit C. I. L. VII 164.

In libello de praenominibus *Alius Fumusilleaticus* quidam memoratur (cap. 1; scripserunt ita codices secuti Kempfius Halmiusque); comparavit eum cum Funisulano Mommsenus de dial. Ital. infer. p. 355. Funisula sive Funisulum locus ignotus.

Gerellanvs *P. Gerellanus Modestus* inter patronos albi Canusini I. N. 635 I 34); non *Gerellianus*, ut Fabrettius scripsit.

M. Gerellanus Silvanus

Gerellana Victoria mater eius Puteolis I. N. 3130.

Ὑμέρτ[ιος?] Γερελλανός [Ῥου?]φεῖνος in albo quodam sacerdotum Ephesi Hermes 4 p. 206.

Cf. quae de Cerelliano dixi; sed potest etiam alius locus fuisse *Gerellae* dictus, ut *Fregellae*.

Labicanvs *M. Labik(anus) Memor* Clastidii Henzen 5117. Labic(ius) quin suppleamus cum Henzeno *k* vetat; vide quae de eo dixit Mommsenus nuper in ephemeride Taurinensi *rivista di filologia* 1 p. 251.

Lavicum Latii oppidum notissimum, a quo via nomen duxit, saepe Labicum scribitur; utrum praeferendum hic non disputo. Oppidi nomen *v* litteram habet in titulis Orell. 118. 3997, viae *b* saeculo primo Orell. 3044 Henzen 6470. 7331 (quae est mancipatio Flavii Syntrophi).

Lacvtvlanvs *Anteros Lacutulani* a. p. C. 3 Pompeiis I. N. 2223.

L. Lacutulanus M. f. Laco et *Marcellus*

Lacutulana Gemella Aquini I. N. 4384 (titulus quanquam servatus a Ligorio tantum tamen sine dubio pro genuino habendus cum Mommseno).

Paulla Lacutu[*lana*] Aquilae I. N. 5811.

Lacutulani et *Lacutulanae* varii Naronae in Dalmatia C. I. L. III 1827.

Lapillanvs *P. Lapilla*[*nus*] *Phi....*

Lapillana ..... Grumenti in Lucania I. N. 348.

*LORELANVS -. *Lorelano M. l.* in pinea sepulcrali vetusta Praeneste C. I. L. I 115 (159 idem nomen incerta tantum mutatione restitutum).

Laurela sive Lorela locus a lauris fortasse derivatus (iuxta *lauretum*) ignotus quidem; sed potuit inde originem ducere nomen patroni hominis supra scripti. Lorium sive Lorii ex vita Pii nota (*Lorium* Capitolin. Pius c. 12 et Eutropius 8, 8; *Lorio* Peutingerana, *Lorion* Ravennas 4, 3 p. 284, 8; *Loria* itinerarium Antonini p. 290, ubi Parisinus D *Lorio* habet; *Lorios* epit. de Caesaribus c. 15). Cf. etiam *Lauranus* cognomen quamvis incertum Pustulani Sabini, de quo infra dixi. *Loreius* et *Lorius* gentile rarum est.

LVCANVS *L. Lucanus Rufio*
Lucana Zosima Romae in tabellis columbariorum Iahn spec. epigr. p. 75.
Lucana Festa ibidem p. 32, 39.
C. Lucanus Severus
L. Lucanus filius eius Tergeste C. I. L. V 523.
C. Lucanus Sex. f. Pup(inia) ibidem 609.

Lucianus (nam ita bis traditur) *Lucilianus* et *Lucianus Ing(enus)* Camboduni in Raetia C. I. L. III 5771 fortasse ad *Lusianus* pertinent. Quaeritur autem utrum necessario componendum sit hoc nomen cum Lucanis et Lucania; a quovis enim *luco*, tum autem etiam a *Luca* oppido Lucanus nomen potuit derivari.

LVCVLANVS *Luculana Species* Venafri I. N. 4650 et 4720.
[*L.* **Lupulanus Lybius* Salonis C. I. L. III 2424 fortasse emendandus in *Luculanus*.]

A luco luculus, a Luca Lucula sive Luculae fiunt; inde Luculanus derivatum.

LVSIANVS *L. Lusianus Bassus* cum *L. Lusiano Hymeto* et *Lusiana* in tabella originis ut videtur urbanae Florentiae Fabretti 33, 157 Orell. 4473 = Gori 1, 216, 8.

*MACERIANVS -. *Macerianus C. f. Pal(atina) Secundus* quattuovir in castro Candelariae prope Pisaurum Fabretti 460, 85 e schedis Vaticanis; inscriptio videtur genuina esse.

Macerius gentile in Piceno apud Coluccium *Piceno* 4, 59 reperitur. Comparetur etiam Geganiorum cognomen *Macerinus*.

*MAECANVS *Maecana* (*sic* Mommsenus) *A. f. Secunda* Veronae C. I. L. V 3755.

Maicius Maecius gentile (et derivata velut *Maecilius*) cum tribu *Maecia* nota, Maeci aut Maeca Maecumve locus ignotus.

MAETILIANVS *M. Maetilianus Zosimus* Romae Marini *iscr. Alb.* p. 97, 106 (genetivus *Maetiliani* in lapide est).

MARIANVS *Mariana Calpurnia* Aesone in Hispania Tarraconensi C. I. L. II 4465.

De Mariano monte metallisque Marianis in Hispania dixi ad C. I. L. II 2269. Cognomen Mariani frequens est.

MEFOLANVS s. MEFVLANVS *C. *Mevulanus* tribunus militum Antonii in Ciceronis Sestiana 4, 9. Ita ex libris Parisino et Gemblacensi restituit Halmius; edebatur antea C. Aulanus. Quod in Gemblacensi ab altera manu correctum est *Mevolanus* antiquiorem vocalem indicat, ut in *Aefolanus Aefulanus*.

Alterum nominis exemplum certum non suppetit; nam Π. Τίτιος Μηουβιανὸς Κ[ί]λων Trallibus C. I. Gr. 2930 in titulo saeculi primi *Maevianus* cognomine altero videtur dictus fuisse. Sed latet hoc nomen nisi omnia fallunt in titulo urbano vetusto C. I. L. I 638 v. 2, quem Ryckius testis unicus ita legit ... T·MEFV.... T·F. Videtur autem initio nihil deesse. Quod Mommsenus posuit *T. Aebuti M. f.* a tradita lectione longius recedit.

Mevania Umbriae nota; sed Umbrum secundum formam gentile *Mefanas*, cuius unum novi exemplum supra iam memoratum in titulo Cremonensi (*C. Mefanati Gracili* C. I. L. V 4122 = Orell. 4080). Et Mefula Sabinorum, quae certo antea Mefola erat, propius etiam accedit, ut adnotavit Mommsenus de dial. It. inf. p. 343. Pagus Meflanus Beneventi saepius memoratur in tabula alimentaria Ligurum Baebianorum.

MVSANVS *P. Musanus A. l. Pamphilus*
P. Musanus P. l. Philogones
P. Musanus P. l. Philocrates Interamnae Nahartium C. I. L. I 1405.

Nec a Musis neque a mussando (ut Bergkium video distinguere *Musa* cognomen Latinum a Μοῦσα in editione sua indicis rerum ab Augusto gestarum p. 13), sed a loco quodam nomen hoc derivandum. Comparari potest Tuscorum Musarna (cf. annal. instit. archaeol. a. 1851 p. 51 ss.).

NEAPOLITANVS *L. Neapolitanus Liberalis* Neapoli I. N. 3275 in titulo non admodum vetusto.

NERIANVS *Sex. Nerianus Sex. f. Clu(stumina) Clemens, praefectus cohortis I Montanorum* a. 80 in diplomate militari C. I. L. III, XI.
Sex. Nerianus Felix Romae Fabretti 586, 186.
Sex. Nerianus Romulus Romae Orelli 5048.

Eiusdem familiae fuisse tres illos homines praenomen idem arguit.

Nero nomen Umbrum, *Nerio* flumen Latii, *Narius* et *Nerius* gentilicia comparanda; quae utrum partim ad *nar* radicem referenda sint necne hic non quaero. Loci nomen simile non novi.

NOMENTANVS *Nomentanus* aliquis primum nominatur bis in altero satirarum Lucilianarum libro (II 6 et 8 Müll.).

Nomentanus Horatii ab hoc diversus L. Cassius Nomentanus appellabatur secundum scholia ad sat. 1, 1, 101 et 8, 11. In scholio ad 2, 1, 22 Lucilii nomen mutandum in Horatii (ut docent verba *in priore libro*) aut delendum omnino cum C. F. Hermanno in nuntiis Gotting. a. 1843 p. 379 et Lachmanno in prooemio a. 1849. Eundem Nomentanum, cuius cocum Sallustius historicus emerat, Seneca de vita beata 11 una nominat cum Apicio, scilicet M. Gavio Apicio Augusti et Tiberii aequali (*nostra memoria* Seneca ad Helviam 10). Monuit me de his Hauptius. Itaque hoc certum est cognominis Nomentani exemplum alioquin rari; nisi forte in homine illo pro vera patriae indicatione habendum. Nam inter non paucos Cassiae gentis plebeiae homines inde a saeculo fere septimo apud scriptores nominatos nemo praeterea eo usus est. In denario quidem L. Atilii (C. I. L. I 320; v. Mommsenum de re nummaria Romanorum n. 116) *Nom*... cognomen tam est singulare, ut de lectione iure dubitent periti. Alia non novi exempla aliquanto illustria; novi *Cn. Vir*[*ei*]*um* aliquem *Cn. f. Nomentanum* in pago Phuensium Africae ex Renierio *inscr. de l'Alg.* 2448.

Nomentani Luciliani nomen quominus gentilicium fuisse existimemus, non cognomen, nihil impedit.

NORBANVS *C. Norbanus Bulbus* (non Balbus) cos. a. 671 (a. C. 83). Is antiquissimius est homo eius nominis, de quo testimonia habemus.

C. Norbanus fortasse filius eius, qui praecedit, triumvir monetalis in denario C. I. L. I 435, praetor Siciliae a Cicerone in Verrinis memoratur (v. Mommsenum de re numm. Rom. p. 608 n. 236).

C. Norbanus Flaccus cos. a. 716 (a. C. 38).

C. Norbanus Flaccus filius cos. a. 716 (ut Henzenus statuit probabiliter C. I. L. I p. 450), cos. a. 730 (a. C. 24).

C. Norbanus Flaccus cos. a. 768 (p. C. 15).

L. Norbanus Flaccus Balbus cos. a. 772 (p. C. 19).

Norbanus aliquis una cum Vibio memoratus in denario non satis certae lectionis C. I. L. I 504.

L. Norbanus Appius Maximus, bis consul et a. 88 legatus Pannoniae ex Plinii epistulis et Martiali notus (cf. Mommseni index Plinianus p. 401).

C. Norbanus Quadratus praefectus castrorum Alexandriae in Troade C. I. L. III 381.

L. Norbanus Faustus Capua oriundus miles I. N. 3625.

C. Norbanus Sorex, secundarum Pompeiis I. N. 2209.

Alii Norbani praeterea Amiterni (I. N. 5857. 5907) et in provinciis, praesertim in Hispania, reperiuntur.

Norba Volscorum oppidum vetustum notum est. In Lusitania urbs erat cognominis, postea colonia Caesarina dicta (C. I. L. II p. 81 ss.); videlicet homines Volsci ex Norba Italiae oriundi novo oppido nomen fortasse indiderunt patriae. Idem fortasse statuendum de Aequo Dalmatiae Apulo Daciae. In titulis Norbae Lusitaniae Norbani satis frequentes sunt (C. I. L. II 695. 711. 712. 713), item Emeritae (II 508) et in aliis oppidis Hispaniae (II 118*. 149*. 1005. 3238. 5068).

NOVANVS *M. Novanus M. f. Marcellus* libertique eius duo *Princeps* et *Auctus* Mutinae Cavedoni *marmi Modenesi* p. 200, 21.

Fori novi in Sabinis Plinius meminit (3 § 107), Castri novi in Piceno idem (3 § 110); Nova Augusta Hispaniae oppidum erat, cuius situs ignoratur, Novae Moesiae locus; Novanae in Piceno idem Plinius (3 § 111) mentionem fecit simulque Novani fluvii *in agro Pitinate trans Apenninum.*

ORANVS *Orana Hillara* (sic) Romae in villa Pelucchi Marini Arv. 505. Titulus videtur esse saeculi fere secundi exeuntis.

Quae in Ausonum Aurelii Auruncorum Aurinorum (Tuscorum secundum Plinium 3 § 52) Ausculi nominibus inest radix *aus* sive *aur*, rustice *or*, hic fortasse subest. Etiam Uria Oria Samnitum fortasse comparanda (cf. Mommseni dial. It. inf. p. 47. 201. 307).

*OSENIANVS *T. Osenianus L. l. Licinus* Praeneste C. I. L. I 1129 inter magistros cisiarios. Lectio non satis certa.

Origo nominis fortasse componenda cum praecedentis.

PARIANVS *Sex. Parianus Serenus* aedilis Nolae a. p. C. 31 I. N. 1968, s.

Parius gentile interdum reperitur; Parentium Histriae vix comparaverim.

PAVSCVLANVS *C. Pausculanus Rufus* pater

C. Pausculanus C. f. Quir(ina) Maximus filius aedilis Peltuini I. N. 5036.

Nisi codices consentirent Pausulas Piceni (*Pausulani* Plinius 3 § 11; *Pausulensis ager* liber coloniarum p. 226, 11. 257, 13, 15 Lachm.; *Pausulas* tabula Peutingeri; *Pausas* Ravennas p. 259, 5 et *Pausulas* p. 326, 14) Pausculas fuisse erit qui crediderit. Sed praeter Pausulas etiam Pauscula Pausculum Pausculae esse potuerunt.

*PETISANVS *Petisana Geminiana* Neapoli I. N. 3460 lectionis non satis certae.

Originis fortasse eiusdem Petelia Bruttiorum oppidum, deinde gentilicia, quae raro reperiuntur, *Petius Pettius Pitius*, item *Peticus* cognomen Sulpiciorum, *Peticenus* (Amiterni I. N. 5941) *Peticienus* (Peltuini I. N. 6073) *Petisedius* (Interamnae Piceni

I. N. 6188) *Petuellius* (Beneventi I. N. 1710 = C. I. L. I 1223).

POTIOLANVS *Potiolana Tyche* Puteolis I. N. 3336.
Potiolana Venusiae I. N. 830.
Potioli rustice pro Puteolis, quod Latinum factum esse ex Oscorum Fistelia (Mommseni dial. It. inf. p. 309) notum est.

*PVSTVLANVS *Pustulanus Lauranus* (ita libri scripti; *Pirtilianus Lavianius* antea edebatur) Sabinorum nomen auctoris de praenomine cap. 1 fortasse cum Pausculano (si *Posculanus Pusculanus* pronuntiabatur) componendus est.

RAIANVS *Raiani Rufi* servus aliquis Amiterni I. N. 5832.
Genetivus tam ad *Raianius* quam ad *Raianus* referendus: neutrius formae aliud exemplum suppetit. Comparanda *Raius* (*Rahius*) *Ragonius* gentilicia.

RANTIFANVS *Rantif(anus) Verus* Sentini Henzen 6042 *b*.
M. Rantifanus Glyco Lambaese Renier *inscr. de l'Alg.* 1121.
Rantifana Ɔ. l. Salvilla Romae Iahn spec. epigr. p. 46, 206.
Forma similis videtur subesse nominibus Allifarum in Samnio, pagi Agrifani qui fuit Nolae (I. N. 1981), Fagifulanorum item in Samnio (Plinius 3 § 107 cf. annal. institut. archaeol. 1854 p. 22, 12; Henzen 6639), Supsifani infra proponendi. *Ranius Rantius Rantanius* (ubi vide) nomina gentium rara. Cf. praeterea nomen quod sequitur.

RANTVLANVS *P. Rantulanus P. f. Ianuarius* Veronae C. I. L. V 3725.
C. Rantulan(us) **Mionid*... Brixiae C. I. L. V 4409.

RASTICANVS *L. Rasticanus Abinnaeus* in cippo Romae ad viam Latinam reperto, qui nunc Veronae servatur; descripsit Rossius.
Rastica aut Rasticum, ut Lavicum Satricum Tuficum, videtur originem dedisse huic nomini.

ROMANIANVS *Romaniana Ti. l. Urbana* in *Igno* Piceni Colucci *Piceno* 2 p. 253.

*SARCIANVS *Sarciana Marcella* Saepini I. N. 4972.
Lectio non satis tuta.

SATANVS *T. Satanus T. f. Sabinus.*
C. Satanus C. l(ibertus) Matogenes Asculi Colucci *Ascoli* p. 132 (= Murat. 742, 3) et 152 (cf. Mommseni dial. It. inf. p. 243).
Saticula Samnii (cuius praeter alios Livius mentionem fecit 7, 32) et Satricum Latii possunt comparari. Quae utrum componenda cum dei Sāturni nomine necne non decido; Săticuli a Vergilio certe Aen. 7, 729 prima correpta ponuntur.

SATRICANVS *C. Satricani C. f.*
K. Satricani K. f.
-. *Satricani L. f.* in pineis vetustis Praenestinis tribus Ephem. 1872, 102—104. Quaeritur utrum eidem familiae tri-

buendum sit fragmentum una repertum n. 129, cui inscriptum est ⌊ICANIA; quod si ita est, virorum quoque nomen Satricanius fuisse putandum, non Satricanus, Mommsenus adnotat. Solebant quidem nomina in *ius* (sive *io*) breviari in *i* in titulis illis Praenestinis; casu autem primo recentiores fere utuntur, genetivo antiquiores. Itaque potuit qui Romae Satricanus Satricanius Praenestinis dici; de Satricano autem omnino non dubitandum.

Satricum Latii oppidum notum est.

SCANIANVS *M. Scanianus Zosa* Romae Murat. 29, 2 = Guasco mus. Capit. 20, 9; vidit Henzenus.

SCETANVS *Scetanus* Horatii sat. 1, 4, 112 Bentleio inauditus nunc alio eiusdem formae exemplo confirmatur quanquam non hominis, sed fundi, qui fuit Volceiis in Campania I. N. 216 (III 13). Ita Mommsenus legit; antea *Spetianus* legebatur. Itaque nihil mutandum est in Horatii satira, sed codicum optimorum scriptura servanda.

SEIANVS *Λούκιος Σηιανὸς στρατηγός, τῷ Σηιανῷ ὠκειώμενος* cui Tiberius pepercit Dio 58, 19. Nisi eius gentile Dio tacuit.

Seiana T. l. Philumina Falerione Colucci *A. P.* 3, 233 = Mur. 1742, 14 = Donat. 427, 12.

Seius gentile notum; locum similiter nuncupatum non novi.

SORANVS *Barea Soranus* vir clarus Paeti Thraseae amicus ubicunque apud Tacitum accuratius indicatur, is ponitur nomenclaturae ordo, quem scripsi (ann. 12, 53; 16, 21. 23; hist. 4, 10); ubi breviter tantum memoratur, Soranus simpliciter dicitur (ann. 16, 30. 32. 33; hist. 4, 40). Similiter *Σωρανός* ter dicitur nude in Dionis epitome (62, 26), ubi mors eius narratur. Barea contra Iuvenali bis dicitur (3, 116 *stoicus occidit Baream* et 7, 91 *et Baream*) versu puto cogente. Secuntur eundem usum scholia Iuvenalis bis (ad 1, 33 et 3, 116); semel (ad 1, 33 secundum Iahnium, 1, 47 secundum libros scriptos) duo nomina in iisdem ponuntur atque hoc quidem ordine Soranus Barea. Ex causa eius, quam arte admirabili Tacitus narravit, filiam eius, Annii Pollionis uxorem, Serviliam fuisse discimus. Inde patri quoque Servilii nomen gentile fuisse fuerunt qui ponerent; sed nec Borghesius (in fastis ad a. 52, quo anno Soranus cos. suf. erat) nec nuper Waddingtonius (in fastis provinciarum Asiae p. 135, ubi caute haec pronuntiavit '*on ne connait pas son* nomen gentilicium; *le nom de sa fille ferait supposer qu'il s'appelait* Servilius') ei opinioni assensi sunt; recte, nam variae cogitari possunt causae, quibus filiae nomen diversum fuisse a patris explicatur. At potest sane Soranus cog-

nomen fuisse derivatum fortasse ab Apolline Saurano Soranove in monte Soracte culto (v. Prelleri mythologiam Romanam p. 239 et Corsseni *Aussprache des Lateinischen* ed. II 1 p. 485. 2 p. 64) aut ab Hirpinis Soranis cum illo cognominibus aut denique a Sora Volscorum oppido noto; quae nomina eiusdem originis esse possunt omnia. Etiamsi vero ex Servilia gente fuit Barea, potuit Sorani nomen eius alterum gentile esse, neque necessario pro cognomine habendum; videantur quae de gentiliciis duplicibus Mommsenus exposuit Hermae 3 p. 70 ss.

Soranus Ephesius medicus aetatis Traianae clarus, cuius scripta Caelius Aurelianus Latina fecit, utrum gentile an cognomen Sorani habuerit incertum, cum reliqua eius nomina ignota sint. Idem valet de Sorano iuniore Mallote item medico.

Sora Volscorum oppidum notum est.

SPANTANVS *C. Spantanus L. f. Cam(ilia) Pudens,* miles cohortis I praetoriae Romae Grut. 530, 5 ex Pighii exemplo, quod legitur in sylloge eius Berolinensi f. 136.

Spanta locus ignotus; Spaneta in Pannonia erat secundum itinerarium Antonini p. 265, 2 alios.

STATIANVS *L. Statianus Primus* Cremona Kellermann Vig. 101*a* (2, 45).

SVASANVS *M. Suasanus Decl....* et

M. Suasanus Servatus Arimini Murat. 748, 2; Tonini *Rimini* p. 347, 35.

Suasa Umbriae nota est.

*SVBITANVS *Pater nomine Subitanus* maritus Corneliae Ursae cuiusdam Castulone C. I. L. II 3297.

Comparavi Subi flumen Tarraconensis (Plinius 3 § 21).

SVPSIFANVS *T. Supsifanus T. l. Metrodorus* Romae I. N. 7106.

T. Supsifanus T. l. Nicephor

T. Supsifanus T. Ɔ. l. Frugi

Supsifana T. l. Nice Romae in sepulcro viae Appiae Henzen annal. institut. archaeol. 24, 1852 p. 312, 18.

T. Subsifanus Antiochus in tabella 'ex agro Romano' Gori 3, 260, 348.

Borghesius recte statuit, cum titulum viae Appiae primus ederet, nomen a loco quodam derivatum esse; propter sonum eius peregrinum, ut putavit, in Africa fortasse eum quaerendum esse credidit. Italicam puto fuisse Supsifam ut Allifas quaeque praeterea indicavi ad Rantifani nomen illustrandum.

TEBANVS *Teibana T. f.* Amiterni (unde domus senatoria videtur originem traxisse) I. N. 5858 in titulo satis antiquo, ut *ei* ex Oscorum more scriptum pro *e* aliaque demonstrant.

P. Tebanus P. f., Xvir stlitibus iudicandis Amiterni I. N. 5775 aetatis puto Augustae.

P. Tebanus P. f. Quir. Gavinius Latiaris, quaestor divi Claudi, tr. pl., pr., per omnes honores candidatus Augustorum Aveiae I. N. 5983. Vixit is igitur Vespasiano et Traiano fere imperantibus.

Notum est *tebam* Sabinorum collem significari; vide Mommseni de dial. It. inf. p. 243. Eiusdem fortasse originis etiam *Tibur Tiberius* (sed *Tiberis*) *Tifata Tifernus*; cf. idem Mommseni liber p. 299 s.

TEBEIANVS *P. Tebeianus Ɔ. l. Felix* Asculi in Piceno Colucci *Ascoli* p. 155. A Teba etiam *Tebeius Tebeia* potuerunt derivari.

***TESIVITANVS** *L. Tesivitanus Primio*, sevir Augustalis Reate Fabretti 408, 333.

Plinius 3 § 111 *Truentum cum amne ..., flumen Albula, Tessuinum* (ita liber Parisinus, *Tessuinum Helvinum* Leidensis fortasse ex dittographia, *Tervium* aut *Tervinum* vulg.) *quo finitur Praetutiana regio et Picentium incipit.* Cum *Tessuino Tesivitanus*, si recte traditur, potest componi; sed fuit fortasse in titulo Reatino *Tescuitanus* a *tesca tesqua* vocabulo vetusto, quod ex Horatio notum est.

TETTIANVS *Q. Tettianus Q. f. Stabilio* prope Peltuinum I. N. 6078. Tettia gens nota; locum similiter dictum non novi.

TISIANVS *Tisianus Silvester* Luceriae I. N. 1015. Tisia Bruttiorum oppidum ex scriptoribus notum.

TOFELANVS *M. Tofelanus Catullae l(ibertus) Murranus* Augustalis

M. Tofelanus M. f. Honoratus filius eius

Tofelana Murrani l(iberta) Fortunata Suessae I. N. 4041 ex Fabrettio 476, 133, qui habuit ex schedis Barberinis.

Comparandum fortasse Tuficum Umbriae.

TRAIANVS *L. Traianus Arabus* Romae Doni 3, 67; Henzenus vidit in museo Capitolino. Est aevi Diocletiani.

TREBVLANVS, TREBLANVS *L. Treblanus L. l. Acastus* prope Aquileiam C. I. L. I 1461 = V 1418 circiter aevi Augusti.

T. Treblanus Merzana (sic, cognomen peregrinum sine dubio) Romae Guasco mus. Cap. 898; vidit Henzenus.

L. Trebulanus Pamphilio

T. Trebulanus Felix

M. Trebulan[us ....] in fastis collegii Augustalium cuiusdam ex agro Romano Henzen 7165.

T. Trebulanus T. f. Cam(ilia) Nepos.

T. Trebulanus T. lib. Nepos sacerdotes Herculis Tibure Henzen 6065.

M. Trebulanus ..... Capuae I. N. 3843.

Trebulana Iustina Beneventi I. N. 1400.

Trebulana Modesta ibidem I. N. 1724.

C. Treb(ulanus) Cerialis in signaculo Neapolitano I. N. 6310, 221; ita enim videtur solvendum esse.

Trebulae Mutuesca et Sufena Sabinorum oppida nota sunt.

*TRITANVS *Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,*
municipem Ponti, Tritani, centurionum,
praeclarorum hominum ac primorum signiferumque
maluisti dici Lucilius apud Ciceronem de fin. 1, 3, 9 (inc. IX Müll.).

Corpore vesco sed eximiis viribus Tritanum in gladiotorio ludo, Samnitium armatura celebrem, filiumque eius militem Magni Pompei, ... auctor est Varro in prodigiosarum virium relatione, atque etiam hostem ab eo ex provocatione dimicantem inermi dextera uno digito superatum et postremo correptum in castra tralatum Plinius 7 § 81 secundum lectionem Detlefseni; cf. Solinus 1, 75 (ubi *Tritannum* ex libris scriptis Mommsenus dedit; quod ibidem editur *natura Samnitem* emendandum ex Plinio in *armatura Samnitem*).

Recte ni fallor Orellius onomast. Tull. p. 585 de eodem homine rettulisse statuit tam Lucilium quam Varronem. Nam quod Madvigius nuper contra dixit in editione celebri librorum de finibus, illam aetatem non vidisse gladiatorem centurionem, non recte puto obiecit. Potuit enim qui antea gladiator fuerat et ipse postea sacramento dicto miles fieri, similiter ut filium eius militem Pompeii fuisse comperimus; deinde vero ne dicunt quidem Lucilii verba, quae centurionibus, praeclaris hominibus, primoribus, signiferis Romanis Graecum opponunt, Tritanum centurionem fuisse, ut Pontius ille centurio erat, quem diserte *T. Pontium centurionem* Cicero dixit eorundem sine dubio Lucilii versuum memor in Catone 10, 33. Ceterum natione Sabinum fuisse Tritanum illum, Pontium Romanum, eadem Lucilii verba aperte indicant. Nomen vero aliunde non notum; terendi radix aliqua ratione potest comparari itemque *trutum* Oscum vocabulum legis Bantinae (v. 15).

Trica vetus Dauniae urbs, quam iam delevisse Diomedes tradebatur cuiusque cum Apinae nomen in proverbii ludicrum versum ait Plinius 3 § 104 (vide Mommseni dial. It. inf. p. 91), Tricani nomen facile explicaret; sed locum etiam aliquem extare potuisse Trita dictum quis negaverit?

TVTICANVS *Tuticanus* Ovidii aequalis et amicus (ex Ponto 4, 12, 20 ss.; 14; 12, 27 s. 16, 27), qui Phaeacidem scripsit, ita simpliciter dicitur ubique nullo nec praenomine nec cognomine adiecto.

C. Tuticanus Sophro Romae in museo Vaticano *gall. lap.* parent. II, bis in eodem lapide. Vi [illegible] sua.

T. Tuticanus Hermes in tabula vigilum a. 203 Kellermannus vig. 12, 27 legit; Henzenus et Bormannus C. I. L. VI 220 *Tuticanius* habent.

C. Tuticanus Saturninus in in diplomate militari a. 108 C. I. L. III, XXIV inter testes; genetivus *Tuticani* etiam Tuticanii esse potest, ut genetivi nominum in *ius* semper sola *i* scribuntur in diplomatis illis.

Forcellinium secutus Schömannus iam a. 1840 in programmate de meddice tutico (opusc. 3 p. 425) Tuticani nomen composuit cum Hirpinorum oppido, quod fuit Equus Tuticus (v. Mommseni dial. It. inf. p. 304), cuius nomen ab Osco *touta* κοινόν derivandum.

VARIANVS *Variana C. f. Gava* Romae C. I. L. I 1097 lectionis non satis certae.

L. Varianus Romae in museo Vaticano *gall. lap.* suppl. parent. I, descripsit Henzenus.

Varia in Sabinis ex Horatio epist. 1, 14, 3 nota est. Vareia Hispaniae Tarraconensis (ita pro *Varia* libri Plinii optimi 3 § 21; Ptolemaei 2, 6, 55 Οὐάρεια) potest origine non diversa fuisse; nam etiam *Vareius* gentile praeter *Varios* reperitur.

VAVISVLANVS *P. Vavisulanus T. f.* in *Ramo di Freto* prope Mutinam *bullett. dell' inst.* 1856 p. 50.

VEIANVS *C. Veianus C. l. Epaphra* Augustalis in Foro Sempronii Grut. 150, 4 = Fabretti 406, 316, qui vidit.

L. Veianus L. f. Vitalis veteranus ex cohorte praetoria Romae Kellermann Vig. 148.

P. Veiani Proculi in laterculo a. 210 C. I. L. VI 1067 (1, 121; apud Kellermannum Vig. 1, 2, 27 male *Velani* scribitur).

Beneventi pagus Veianus erat (I. N. 1487 = Henzen 5168); praeter Tuscorum Veios fortasse locus Veia dictus extitit.

VELINEIANVS Cippus terminalis Romae in vinea Virili a Rossio descriptus haec habet

VELINEIANORV
INFRONTE P·X

Enotavi ex schedis Henzeni. Fundi igitur domini Velineiani dicti, quod nomen, non cognomen fuisse probabile est.

Velinus lacus et fluvius prope Reate (cuius cum Velia Romae et in Lucania nomen comparatum est, cf. Corssenus in Kuhnii annalibus 3 p. 260) saepius nominantur. Inde etiam Velina, quod tribus nomen esse notum est, et Velineia (ut Teba et Tebeia) fieri potuerunt; Velleia et fundus Vellanus (prope Histonium Henzen 6432) similiter derivata sunt.

VENAFRANVS *Q. Venafranus Probus* Casini I. N. 4300 (in lapide est *Venafrani* genetivus).

Venafranus Diogenes Venafri I. N. 4611. Lectio ex parte incerta.

VERSICVLANVS *Versicula Sp. f. Agele sibi et Versiculanae Daphne matri suae* cet. Capuae I. N. 3854 (ex Pighii schedis); erravisse puto quadratarium (Pighius enim describere solet accurate), nam filiae Versiculanae, non Versiculae, nomen fuisse, ut matri, consentaneum est.

Cf. *M. Versiclanius Lucrio, vivit* in tabella ex columbario aliquo urbano Fabretti 4 XXVI et Maffei M. V. 270, 10. Is *Versicianus* dedit, male puto pro *Versiclanus* aut *Versiclanius*.

VERVLANVS *L. Verulanus Severus* consul sub Nerone notus ex Tacito ann. 14, 26 cum adnotatione Nipperdeii.

Verulana Gratilla apud Tacitum hist. 3, 69. Cf. Mommseni index Plinianus p. 412.

M. Helvius M. f. Pom(ptina) Clarus Verulanus Priscus aedilis Potentiae in Lucania I. N. 376.

L. Verulanus Agathopus Romae Fabretti 166, 302 (ex schedis Barberinis; sed titulus sine dubio genuinus).

L. Verulanus Ampliatus Salonis C. I. III 2591.

Verulana L. l. Antis (sic) Aeserniae annal. inst. archaeol. a. 1854 p. 21, 6.

Verulae Volscorum notae ex Livio 9, 42 et aliunde.

VESICVLANVS *M. Vesiculanus V(ibii* — ita enim solvendum Oscum praenomen) *f., trib. pleb., IIvir i(ure) d(icundo), praef(ectus) rebus divinis* et filius eius

Cn. Vesiculanus M. f. in Teano Sidicino I. N. 3998. Titulus aevi videtur esse Augusti.

Comparari possunt Vescia oppidum vetustum postea dirutum prope Suessam (Livius 8, 11 cet.), quod comparavit cum Vesiculani nomine Mommsenus dial. It. inf. p. 243, Vescellani Hirpini apud Plinium 3 § 105, forum Vessanum, cuius ab Obsequente solo servata est memoria (p. 122, 10 Iahn), Vesentini Tusci apud Plinium 3 § 52.

VESTANVS *Vestana Valentina* in titulo Dalmatino musei Naniani Venetiis C. I. L. III 3193.

Praeter Vestam deam et Vestinos etiam Vestum locus fuisse potest.

VIBIANVS *Vibianus Vindex* et

Vibiana Prisca Saepini I. N. 4978.

Conferendum Vibi Forum in Gallia transpadana apud Plinium 3 § 123.

VICRANVS *C. Vicranus Secundus* in titulo urbano Oxonii Maittaire marm. Oxon. 30 (p. 42, 106), quem descripsi.

Vic et *vec* radices, cum vici vocabulo eiusque derivatis fortasse componendae, in nominibus rarae sunt; a [illegible] derivata

Vecilius et fortasse *Vecellinus* (de quo dictum in Hermae 5 p. 474 et 6 p. 384), a *vic Viccius* [1]) *Vicasius Vicirius Vicrius*. His quos ultimo loco posui proxime accedit *Vicranus*.

VIPSANVS *M. Vipsanus M. l. Faustus* Flanonae in Dalmatia C. I. L. III 3031 (Mommsenus vidit).

Vipsana Surilla in insula Dalmatiae Pharia (nunc *Lesina*) C. I. L. III 3084 (exemplum est Cyriaci).

VIPSTANVS *Vipstanus Gallus* praetor a. 17 apud Tacitum ann. 2, 51.

L. Vipstanus Poblicola cos. a. 48 apud Tacitum ann. 11, 23 et filii eius

C. Vipstanus Apronianus cos. a. 59 et

C. Vipstanus Poblicola, de quibus videatur Nipperdeii ad ann. 11 adnotatio.

Vipstanus Messalla orator notus est ex dialogo; item filius eius

L. Vipstanus Messalla cos. a. 115. Eiusdem gentis est

L. Vipstanus L. f. Poblicola Messalla in titulo Gabino a. 140 Marini Arv. 101. 114, 35.

C. Vips[t]anus Eup[lus] et Vips[t]ana Tyche Romae Grut. 580, 8 e Knibbii schedis. *Vipsianus Vipsiana Eupius* traduntur.

M. Vipstanus M. C. l(ibertus) Fuscus Romae Grut. 1001, 6. Videtur genuina esse.

Vipstana Atthis in titulo musei Vaticani descripsit Henzenus.

*L. *Vipstanus* (*Vitspanus* traditur) *Secundus* Beneventi I. N. 1785 lectionis non satis certae.

Praeterea consulis a. 59 liberti quattuor *Vipstani* in titulo urbano musei Capitolini Fabretti 215, 551 = Guasco mus. Cap. 962, quem Henzenus vidit.

Gentes duas fuisse diversas *Vipsaniam* (vide infra) et *Vipstanam* perspexit Marinius (Arv. 100 et 114, 37); iam quattuor distinguendae *Vipsana* cum *Vipsania* et *Vipstana* cum *Vipstania* diversae quidem usu, sed origine sane cognatae. Nomen unde derivandum sit ignoratur; a *vip* radice *Vipsa* fieri potuit ut *Compsa Tempsa* apud Oscos; comparanda praeterea nomina Oscae item originis *Numpsius* (Mommseni dial. It. inf. p. 282) *Opsius Opsidius*. Si viperam exceperis et vipiones (grues) et pauca *Vipii* nominis exempla (*M. Vipius Anthimus* Canusii I. N. 635 IV 14; *T. Vipius Celsi lib. Verecundus*

1) Occasione data moneo in nominis forma apud Catullum c. 98 bis prave ita tradita *Victi* per se tam *Vitti* latere posse (quod Hauptius posuit), quam *Vicci*. *Viccius* enim et *Vittius* exemplis quibusdam quamvis raris confirmantur, ut *Accius* et *Attius* fuerunt, *Actius* (praeter ab Actio promonturio derivata) *Vectius Victius* omnino non fuerunt. Tamen apud Catullum nec *Vicci* neque *Vitti* nomina obsoleta, sed clarum Mediolanii (ut supra in Bolano dixi) *Vetti* nomen puto restituendum esse cum editoribus quibusdam antiquioribus.

Genavae Mommsen Inscr. Helv. 65), quae facillime cum *Ulpii* confundi potuerunt, quod componi possit solum superest *Vibius* nomen cum derivatis. Illud i longam habet ut Οὐειψτανός; e *Vib(e)sa* autem *Vipsa* (*b* ante *s* in *p* mutata) recte contrahitur. Deinde e Vipsa per *et* vel *it* suffixum, de quo dictum est in Calpetani nomine, *Vipsita* fieri potuit indeque *Vips(i)-tanus*, ut praeter *Opsium Opsidium* Amiterni et Aveiae etiam *Opsturium* nomen reperimus I. N. 5763. 5990 (cf. quae de *Opstra Ostra* formis Corssenus habet in Kuhnii annalibus 3 p. 249), quocum comparanda *Apscillanus* et *Apstidius*, item linguae vetustae formae velut *possestrix* apud Afranium (p. 161 Ribb.).

*VIRANVS *Viranus Ampliatus* archigallus m(atris) d(eum) Capuae I. N. 3583. Lectio non certa; traditur etiam *Virianus*.

VITELLIANVS *L. Vitellianus Vitalio* Romae in hortis Barberinis Fabretti 375, 173.

Vitellia Latii oppidum vetustum (ut ipsum nomen indicat) ex Livio 2, 39 notum est; conferantur etiam quae de Vitelliae gentis origine Suetonius in Vitellio cap. 1 congessit. Ceterum potest Vitelliani nomen etiam ortum esse ex cognomine.

VORANVS Si *Voranus* fur Horatianus (sive Lucilianus) auctore Porphyrione (ad sat. 1, 8, 39), qui non ficta de eo rettulit, re vera libertus fuisset Q. Lutatii Catuli, ex nomenclaturae vetustioris lege *Voranus Lutatius Q. libertus*, ex recentiore consuetudine -. (nam praenomen habuisse putandus est a patroni diversum) *Lutatius Q. l. Voranus* fuit appellatus. Sed ne cognominis quidem Vorani alterum exemplum novi. Noli autem eam ob causam nomen fictum a poeta putare e vorandi vocabulo; neque enim solet poeta in satiris nomina fingere, ut dudum observatum est. Atque etiam Pediatii pathici, qui una nominatur cum Iulio et Vorano, nomen alibi non reperitur. Singularitatis eius alia praeterea exempla praebet prosopographia Horatiana, ut Scetani nomen, de quo supra dictum est. Neque mutandum in *Boranus*; in *v* enim littera libri scripti omnes consentiunt. Itaque Vorani nomen rarum licebit gentiliciis in *anus* attribuere, quamquam dubitanter.

VRGVLANVS *Urgulanus Profuturus* Salonis C. I. L. III 2525 (ibidem 2620. 2621 idem nomen *Urgula Urgu Urg* scribitur).

II. Cognomina in *anus* a locorum nominibus derivata.

AEQVICVLANVS *Cominia Aequiculana* Forulis prope Amiternum I. N. 5849. *Aequiculi* noti.

AFRICANVS *Q. Fabius Maximus Africanus* cos. a. 744.
Iulius Africanus e Santonis apud Tacitum ann. 6, 7.
T. Sextius Africanus cos. suf. a. 59 ut Borghesius putat.
C. Tettius Africanus praefectus Aegypti a. 82 C. I. L. III 35.
Aurelius Africanus Vibone I. N. 39.
L. Marius L. f. Africanus Teani I. N. 4007.
Aelia Africana Aeserniae I. N. 5065.
Cornelius Africanus Cordubae C. I. L. II 2195.
C. Iulius Africanus in lucerna Dalmatina C. I. L. III 3214, 8.
Adscripsi exempla quaedam, ut cognomen satis commune esse demonstrarem etiam in hominibus non senatorii ordinis. Cos. a. 744 ex Scipionum prosapia nomen habuit; cos. a. 59 unde habuerit ignoro. Praeterea *Afer* frequens est; etiam *Africus* reperitur (Henzen 6460).

ALBANVS Exempla ubique frequentia certoque non ad Albam Italiae solam referenda.

AVGVSTANVS *C. Iulius Augustanus* Aquini I. N. 7247.
Cominius Augustanus Olisipone C. I. L. II 210.
Iulius Augustanus in castris Reginis Raetiae C. I. L. III 5944.
Claudius Augustanus item in Raetia C. I. L. III 5904.
Augustanus beneficiarius Celeiae C. I. L. III 5165.
Augustinus item rarum.
Augusta multa oppida dicta esse notum est.

[AVLANIVS] *M. Paquius Aulanius* actor municipi Histoniensium Campomarini Henzen 6432.

BAIANVS *Masurius Baianus* Salonis C. I. L. III 2467.

*BASITANVS *Ti. Claudius Basitanus* Miseni I. N. 3042.
Corrigendum fortasse *Bastetanus.*

BENEVENTANVS *L. Trebonius Beneventanus* Beneventi I. N. 1766.
Basseus Beneben[*tanus*] ibidem I. N. 1564.

BOLANVS Exempla cognominis rara vide supra in gentilicio.

BRIXIANVS *M. Nummius Brixianus* Amiterni I. N. 5861.

CAELIOMONTANVS Verginiorum in fastis a. 258 260 285 298 306 381 cognomen. Ita enim tabula Capitolina teste Henzeno pro *Caelimontanus*, quod scriptores habent quodque magis respondet analogiae.

CAIETANVS *M. Vinicius M. l. Kaietanus* Neapoli I. N. 3437.

CAMPANVS *M. Nonius Campanus* miles cohortis praetoriae Pompeiis C. I. L. IV 1711.
Pactumeia Campana Capuae I. N. 3804.

Q. Licinius Q. f. Campanus aedilis Sagunti C. I. L. II 3860.
Q. Caecilius Campanus Tarracone C. I. L. II 4199.
Sempronius Campanus Segoviae C. I. L. II 2749.
Lucretia L. f. Campana Tucci C. I. L. II 1663.
Scandilia C. f. Campana in Baetica C. I. L. II 981.
Sempronia M. f. Campana Obulcone C. I. L. II 2149.
Fabia Campana Reginae in Baetica C. I. L. II 1038.
Fulcinia Campana Ipscae C. I. L. II 1579.
L. Tuccius L. f. Pol(lia) Campanus Viruni C. I. L. III 4868.
L. Naevius Campanus kastrensis legionis IV Aquinci C. I. L. III 3468.
M. Publicius Campanus Iader C. I. L. III 2902.
Campanus eques alae Frontonianae in Pannonia inferiore C. I. L. III 3679.
Campanus Salonis C. I. L. III 2265.
Cassia Campana Vindobonae C. I. L. III 4550.
Claudia Canpana Salonis C. I. L. III 2284.
Saenia Campana Burni C. I. L. III 6420.
Alia exempla possunt addi. Non a Capua sola haec nomina derivanda esse omnia, sed a campis quibusvis aliis, patet.

*CAPRETANVS *Iulius Capetranus* in decreto Puteolano I. N. 2623 (inde Henzen 7169).

CARIANVS *C. Iulius Carianus* miles Bukuresti C. I. L. III 750.
Praeterea Carianae cognomen supra habuimus in *Boviana* gentilicio; nisi et ibi potius gentile est in titulo mutilo.

CARVEN[TANVS] Cognomen consulis a. 296 in fastis Capitolinis, cuius gentile interiit.
Carventum Volscorum oppidum notum est.

CESSITANVS *L. Coelius -. f. Cessitanus* Sagunti C. I. L. II 3927.
De Cessitanis Hispaniae Tarraconensis populo dixi Hermae 1 p. 83 s.

CORIOLANVS *Cn. Marcii* nomen contra usum vetustiorem fictum videri observavit Mommsenus Hermae 4 p. 21.

*CORITINESANVS *Lar Herminius Aquilinus *Coritinesanus* cos. a. 306.
Comparandi Plinii Corinenses 3 § 105.

COSANVS *Curiatius Cosanus* in tabula Caeritum I. N. 6828, 15.

CVMANVS *Q. Manilius Cumanus* tribunus plebis teste Asconio ad Milonianam § 19 p. 38 Orell.
Ventidius Cumanus procurator Iudaeae a. 59 apud Tacitum ann. 12, 54.

DACIANVS *P. Aelius Dacianus* decurio et aedilis coloniae Napocae in Dacia C. I. L. III 867.
Cognomen aperte derivatum est a provinciae nomine.

FIRMANVS Exemplum gentilicii Aeclanense, quod dubitanter posui, etiam cognomen esse potest.

Q. Sevius Q. f. Pap(iria) Firmanus Villaviçosae in Lusitania C. I. L. II 139.
C. Curius Pulli f. Quir(ina) Firmanus apud Igaeditanos in Lusitania C. I. L. II 442.
Pompeius Firmanus Emeritae C. I. L. II 583.
Laberius Firmanus Italicae C. I. L. II 1130.
Fabius Firmanus Nescaniae C. I. L. II 2007.
In Hispania saepius praeterea reperitur, videlicet derivatum a colonia Augusta Firma, quae fuit Astigi.

FISTVLANVS *Q. Caesius Q. f. Fal(eria) Fistulanus* imperante Tito Nolae I. N. 1995. Fortasse referendum ad Oscum Puteolorum nomen, quod a fistulis derivandum. Qui audaciore comparatione ad remotas sonorum origines respicit etiam *Distulanus* a Fistulano poterit putare origine non diversum esse.

FLAVIANVS Cognomen satis vulgare, notum in *Tampio Flaviano* apud Tacitum hist. 2, 86 cet.

FREGELLANVS *Pontius Fregellanus* senatu motus a. 37 apud Tacitum ann. 8, 48.
C. Licinius Fregellanus Romae Grut. 944, 8. Ita, non *Megellanus*, in lapide esse testatur Henzenus, qui lapidem vidit in museo Vaticano.
Q. Fabius Fregellanus in laterculo a. 40 I. N. 6769 (3, 43).
T. Elvius Fregellanus in Fabrateria nova I. N. 4457.
Aufidia Fregellana Aquini I. N. 4407.

FRENTRANVS *L. Iunius Frentranus* in laterculo a. 70 I. N. 6769 (5, 56).

FVNDANVS *C. Minicius Fundanus* cos. a. 105 C. I. L. III dipl. XXIV p. 867.
Q. Atilius L. f. Fundanus Olisipone C. I. L. II 274.
Q. Caesius Q. f. Gal(eria) Fundanus Olisipone C. I. L. II 4897.
Cominius Fundanus Olisipone C. I. L. II 285.
Curia Sex. f. Fundana Olisipone C. I. L. II 212.
Antonia Fundana Salaciae C. I. L. II 38.
Mumia Fundana Salaciae C. I. L. 39.
Aponia Fundana apud Igaeditanos C. I. L. II 445.
Pagusica L. f. Fundana Merobrigae C. I. L. II 28.

GADITANVS *Gaditana C(ai) s(erva)* Gadibus C. I. L. II 2277.

GAVRANVS *C. Stallius Hauranus* (sic traditur, scribendum videtur Gauranus) in epigrammate Neapolitano I. N. 3374.
Carisia Gaurana fortasse Pompeiis I. N. 6460.
Nomen a monte Gauro derivatum aut a loco cognomine.

GERMANVS *C. Gellius Germanus* Syrus veteranus Beneventi I. N. 1454.
C. Valerius Germanus miles classiarius Miseni I. N. 2719. 2826.
L. Valerius Germanus item classiarius Miseni I. N. 2827.
C. Iulius Germanus faber Puteolis I. N. 2892.

P. Aelius Germanus Puteolis I. N. 2927.
Arrius Germanus primipilaris Neapoli I. N. 6340.
L. Dasumius Germanus Romae? nunc Neapoli I. N. 6496.
Iulius Germanus centurio legionis VII Tritii in Hispania C. I. L. II 2887.
A. Publicius Germanus libertus coloniae Cordubae C. I. L. II 2229.
Iunius Germanus faber a. 348 Cordubae C. I. L. II 2211.
Caecilia Germana Emeritae C. I. L. II 535.
Numenia Q. f. Germana Barcinone C. I. L. II 4559.
Samnia Germana Hispali C. I. L. II 1237.
Germanus libertus prope Saboram C. I. L. II 1426.
Germana Norbae C. I. L. II 721 et in Asturibus C. I. L. II 2621.
M. Valerius Germanus in pede Memnonis C. I. L. III 54.
C. Iulius Germanus centurio legionis C. I. L. III 96.
C. Decimius Germanus et
Paccius Germanus inter cultores Silvani Philippis C. I. L. III 633 (II 2, 17 et III 3, 4).
T. Flavius Germanus decurio coloniae Napocae imperante Commodo C. I. L. III 865.
Aurelius Germanus Potaissae in Dacia C. I. L. III 916.
P. Publicius Germanus Naronae C. I. L. III 1875.
P. Aelius Germanus veteranus ex decurione Comagenae C. I. L. III 5652.
Cassius Germanus
Gellius Germanus
Iulius Germanus in laterculis Troesmensibus a. 134 C. I. L. III 6178, 3, 20 22 et 6179, 2, 8.
Germana Salonis C. I. L. III 2589 et Viruni C. I. L. III 4983*a*.

Nomen utrum ad Germanos ubique referendum an ad appellativum diiudicari nequit; non reperiri nisi apud milites hominesque libertinae condicionis aut originis peregrinae exempla docent. In titulo Pompeiano graphio scripto C. I. L. IV 1972 quale nomen sit non perspicitur; potest hominem Germanum designare.

HADRIANVS *C. Fabius Hadrianus* ex Ciceronis Verrinis notus (v. Orellii onomasticum p. 245) primus cognomen id videtur habuisse. Eum fortasse plebeium fuisse, non patricium, ut Fabii reliqui, adnotavit Mommsenus quaest. Rom. 1 p. 114.

HERCVLANEVS *M. Iulius Herculaneus* in titulo urbano villae olim Campana descripsit Rossius.

[HERCVLANIVS] *D. Clodius Herculanius* Nolae I. N. 2015.
Iscolius Herclanius Anxani I. N. 5292.

Q. Fulvius Herclanius Romae, nunc Florentiae Gudius 295, 3; Gori 1, 360, 85 (inde Murat. 1495, 8).

Herculanius Romae Grut. 714, 8.

Herclania Romae Murat. 410, 1.

HERCVLANVS *L. Cornelius Herculanus* centurio vigilum Romae Henzen 6752.

M. Aurelius Herculanus praetorianus Romae Henzen 6846.

Valerius Herculanus eques singularis Romae I. N. 6819.

Aurelius Herculanus Beneventi I. N. 1560.

C. Iulius Herculanus Cumis I. N. 2559.

Q. Ti... Herculanus Sulmone I. N. 5452.

Aelius Herculanus Caperae in Lusitania C. I. L. II 831.

Ti. Claudius Herculanus Gadibus C. I. L. II 1792.

P(ompeia) Herculana Gadibus C. I. L. II 1859.

Aelius Herculanus praefectus cohortis Chalcidensium a. 162 C. I. L. III 129.

Claudius Herculanus protector Aureliani Augusti Nicomediae C. I. L. III 327.

Iulius Herculanus Apuli C. I. C. III 1215 et Drobetae C. I. L. III 1583 et Aquinci C. I. L. III 3551 et in Moesia inferiore C. I. L. III 6234.

Domitius Herculanus Veczel in Dacia C. I. L. III 1339.

Aurelius Herculanus eques cohortis Intercisae in Pannonia inferiore C. I. L. III 3328.

Claudius Herculanus in laterculo a. 277 ex Moesia inferiore C. I. L. III 6150 (1, 25).

Aurelius Herculanus Tomis C. I. L. III 6155.

Idem nomen inter alia multa etiam Pompeius Falco cos. a. 110 habuit.

Alia possunt addi; sed iam in his exemplis, quorum pleraque ad tertium saeculum pertinent, multa certe insunt, quae non ad Herculaneum oppidum, sed ad fana Herculis varia videntur referenda esse. Observanda rara gentiliciorum nominum constantia potissimum in militibus.

HISPANVS *Clodia Ispana* Carnunti C. I. L. III 3412.

T. Flavius Silvanus Hispani filius Salonis C. I. L. III 2329.

Papiria Hispanilla liberta Salonis C. I. L. III 2083.

Claudia Hispanilla filia militis domo Hispano Teutoburgii C. I. L. III 3271.

Iulia Hispanilla uxor militis Carnunti C. I. L. III 4489.

Ispanilla Augustae Vindelicum C. I. L. III 5839.

Hispan(us) in amphora Eburacensi C. I. L. VII 1331, 54.

C. Annius Hispanus Abderae in Baetica C. I. L. II 1981.

Q. Fabius Hispanus Mentesae in Bastitania C. I. L. II 3379.

M. Iunius Quir(ina) Hispanus Segoviensis Baeticus Hispali C. I. L. II 1166.

C. Iulius Hispanus Barcinone C. I. L. II 4556.
Iulius Hispanus prope Bracaram C. I. L. II 2397.
Q. Marius Q. f. Hispanus Urgavone C. I. L. II 2117.
C. Mummius C. f. Quir(ina) Hispanus Anticariae C. I. L. II 2025.
-. *Quintius Q. f. Q. n. cet. Gal(eria) Hispanus* Obulcone C. I. L. II 2129.
... *us Hispanus* Gandiae prope Valentiam C. I. L. II 3612.
Verginia Hispana Mediolanii C. I. L. V 6119.
Ispana in castris Legionis VII C. I. L. II 2680.

Adde *Baebium Hispanum* et *Fabium Hispanum* ex Plinii epistulis 1, 24 et 3, 9, 12. In titulis parietariis Pompeianis C. I. L. IV 1514 et 1848 patria Hispania indicatur. Nomen extra Hispaniam rarum esse apparet.

ITALICIANVS *C. Vibius C. f. Gal(eria) Porcianus Quintius Italicianus Libisosanus*, flamen provinciae Hispaniae citerioris Tarracone C. I. L. II 4254.

Cum Libisosa patria hominis indicetur, Italicianus pro vero cognomine habendum (quod a Quintio quodam Italiciano aut Italico Vibius is potest hereditate consecutus esse), non pro alterius patriae indicatione, quae esse debuit Italicensis. Tribus Italicae, quae tum praeter Galeriam indicanda erat, incerta est; sed videtur fuisse Quirina (cf. C. I. L. III 1136). Vix refutatione dignum est, quod non raro etiam hodie ne dubitanter quidem affirmatur (veluti ab Ellendtio in libello de cognomine et agnomine Romano p. 8) quodque Hispanis dudum pro certo habetur, scilicet Silium poetam (quem nunc demum sero moniti a Mommseno pleno nomine novimus Ti. Catium Silium Italicum dictum fuisse ex fastis sacerdotalibus apud Gruterum 300, 1 v. 8) ex Italica Hispaniae oriundum ideoque Italici nomen habuisse. Cognomen Italici in Hispania (C. I. L. II 264 1038 3309 3340) et in reliquis provinciis (cf. tituli Sinuessani apud Henzenum 6178 et Camponensis Pannoniae inferioris C. I. L. III 3410) in senatorii etiam ordinis hominibus (cf. C. I. L. III 6154) non admodum rarum est; ab oppido autem Italica, vico olim veteranorum Italicorum (C. I. L. II p. 146), ethnicum formatur *Italicensis*.

LABICANVS *Herennius Labicanus* in laminis plumbeis Marruvii detectis I. N. 5537.

Indicatur fortasse patria hominis.

LVCANVS *M. Annaeus Lucanus* poeta Hispania oriundus et *Cn. Domitius Afer Titius Marcellus Curvius Lucanus* (v. Mommseni indicem Plinianum p. 409) celsioris dignitatis viri.
Aelius Lucanus tribunus(?) legionis III Augustae prope Brovonacas in Britannia C. I. L. VII 305.

Caecilius Lucanus praefectus cohortis II Lingonum prope Eburacum C. I. L. VII 209.
P. Latinius Lucanus IIvir Atinae in Lucania I. N. 243.
L. Arruntius D. l. Lucanus Atinae in Campania I. N. 4583.
L. Fabricius Lucanus Grumenti in Lucania I. N. 342.
M. Ovilonius L. f. Lucanus Tegiani in Lucania I. N. 288.
Q. Varius Lucanus Augustalis Carsiolis I. N. 5696.
L. Nepotius Lucanus in laterculo a. 70 I. N. 6769 IV 70.
Lucanus servus Romae I. N. 6833, 1, 12.
T. Helvius Lucanus praefectus alae Aprianae a. 170 in pede Memnonis C. I. L. III 49.
Q. Kaninius Lucanus beneficiarius Celeiae C. I. L. III 5166.
Q. Cominius Lucanus in Norico C. I. L. III 5066.
Q. Claudius Lucanus Savariae C. I. L. III 4153.
Claudia Lucana Augustae Vindelicum C. I. L. III 5841.
M. Racconius Lucanus in Norico C. I. L. III 5638.
Sicinius Lucanus veteranus legionis XIII in Dacia C. I. L. III 1606.
Lucanus decurio alae Ituraeorum Arrabonae in Pannonia superiore C. I. L. III 4368.
Lucanus in Norico C. I. L. 5521 et 5617.
L. Alfius Lucanus Curigae in Baetica C. I. L. III 1043.
Sex. Annius Sex. f. Galerius Lucanus Gadibus C. I. L. II 1761.
Annia C. f. Lucana Gadibus C. I. L. II 1757.
M. Antonius M. f. Lucanus Gadibus C. I. L. II 1767.
*L. *Arelius Lucanus* prope Cordubam C. I. L. II 2182.
Mamilius Lucanus centurio legionis VII Bracarae C. I. L. II 2425.
Octavia M. f. Lucana in Carthagine nova C. I. L. II 3437.
Octavia Lucana Castulone C. I. L. II 3326.
C. Tadius Lucanus centurio legionis VII Tarracone C. I. L. II 4165.
P. Valerius Lucanus Iliberri C. I. L. II 2087.
C. V(alerius) Lucanus Matriti C. I. L. II 3057.
Vibius Lucanus Saborae in Baetica C. I. L. II 1424.
Vibia Lucana Ilurone in Baetica C. I. L. II 1947.
Lucanus in lucerna Tarraconensi C. I. L. II 4969, 30.
Lucanus Visaei in Lusitania C. I. L. II 407.
Lucana prope Murciam C. I. L. II 3551.
Lucana serva Gadibus C. I. L. II 1845.
Lucanus in patellis Londiniensibus C. I. L. VII 1336, 574 575.

MAGONIANVS *P. Magnius Q. f. Quir(ina) Rufus Magonianus* procurator Augusti ad Falernas (vites) vegetandas Osquae in Baetica C. I. L. II 2029.

Cogitari poterit de Magontano ab insula Magone; sed legisse mihi visus sum in lapide Magonianus.

MARICANVS *Iulius Maricanus* Neapoli I. N. 7033.
.... *Maricanus* in albo Herculanensi I. N. 2383*f*.
.. *Stlaccius A. l. Máric*[*anus*] Neapoli I. N. 2909.
Dea Marica nympha Minturnensis nota; Marici Galliae transpadanae populus, Mariccus Boius a Tacito hist. 2, 61 memoratur.

MEFITANVS *C. Iunius Tadius Mefitanus* magister Arvalium a. 81 Marini Arv. tab. 22. 23.
Nomen loci videtur subesse. Cf. *Mefulanus* supra.

MVGILLANVS Papirii Mugillani tres, cos. a. 310, cos. a. 327, tribunus militum a. 336 ex fastis noti.
Mugilla aut Mogillae vetustum Latii oppidum (Dionysius ant. Rom. 8, 36), quod Coriolanus fertur delevisse (v. Mommsenum Hermae 4 p. 10).

NEAPOLITANVS *L. Pomponius Neapolitanus* libertus Neapoli I. N. 6609.

NOMENTANVS *Cn. Vir*[*ei*]*us Cn. f. Nomentanus* in pago Phuensium Africae Renier *inscr. de l'Alg.* 2448.
De *L. Cassio Nomentano* dictum est supra ad *Nomentanus* gentile.

NORBANVS *C. Numitorius Norbanus* in tessera gladiatoria a. p. C. 2 C. I. L. I 756.
M. Salvius Norbanus Fab(ia) inter signatores diplomatis a. 74 C. I. L. III IX.
C. Vibius Norbanus Teani I. N. 4913.

NOVANVS *Aurelia Novana* uxor militis Pannonici, ut videtur, in titulo urbano, quem Marinius *iscr. Alb.* p. 112 et Arv. p. 477 ex schedis Caroli Morenii Barberinis habuit.

*OCTANVS Pro cognomine est in titulo aliquo urbano, quem in claustro coenobii S. Laurentii in agro Verano descripsit Rossius.

PARIANVS *T. Salvius Parianus* duovir Nolae a. p. C. 22 I. N. 1968.

PRAETVTTIANVS *T. Statius T. f. Vel(ina) Praetuttianus* praefectus cohortis et frater eius
C. Statius Praetuttianus Interamnae Praetuttianorum I. N. 6148 (inde Henzen 6764).

PVTEOLANVS *M. Gavius Puteolanus* duovir Puteolis I. N. 2517. 2518.
C. Iulius C. f. Puteolanus adlectus in ordinem Puteolis I. N. 2519.
P. Aelius Puteolanus Puteolis I. N. 2927.
Aurelia Puteolana Puteolis I. N. 2985.
Vettius Puteolanus Beneventi I. N. 1777.
N. Acerronius Puteolanus Potentiae I. N. 392.
Lurcia Puteolana Lambaese Renier *inscr. de l'Alg.* 1409.
Puteolanus Caesaris n(ostri) servus Romae Fabretti 692, 134.

Regianvs *M. Cestius L. f. Quir(ina) Regianus* Sitifi Renier *inscr. de l'Alg.* 3272.

Romanvs *C. Annius C. f. Romanus* decurio in titulo originis incertae ex museo Borgiano I. N. 6778.

Similia Romana Ostiis in titulo saeculi quarti I. N. 6826.

Vergilius Romanus scriptor mimiamborum apud Plinium epist. 6, 21, 2.

T. Marius Romanus in laterculo a. 70 I. N. 6769 IV 68.

Romanus iunior sacerdos a. 387 Capuae I. N. 3571.

C. A.... Romanus Neapoli I. N. 6310, 2.

M. Ampius M. l. Romanus Neapoli I. N. 6410.

C. Herbacius Maec(ia) Romanus duovir Neapoli I. N. 2454.

Maria Romana Neapoli I. N. 3248.

Veratia Romana Aeclani I. N. 1198. 1245.

.....s Romanus Aeclani I. N. 1158.

Aurelius Romanus eques singularis ex castra nova (sic) Luceriae I. N. 939.

P. Brinnius P. l. Romanus Herculanei I. N. 2383*a*.

P. Paccius Romanus Marruvii I. N. 5532.

Magullia Romana Compsae I. N. 206.

Aelius Romanus et

Numisius Romanus classiarii Miseni I. N. 2804. 2819.

Romana conserva Amiterni I. N. 5860.

Licinius Romanus in titulis pictis Pompeianis C. I. L. 699. 829*a*.

L. Gavius Romanus Vibius Tromentina Secundus flamen provinciae Tarracone C. I. L. II 4219. 4515.

L. Cornelius C. f. Gal(eria) Romanus duovir Tarracone C. I. L. II 4267.

C. Terentius Romanus Barcinone C. I. L. II 4588.

C. Licinius Voconius Romanus Sagunti C. I. L. II 3865*a*. 3866, cuius etiam in Plinii epistulis saepius mentio facta est; cf. Mommseni index Plinianus p. 430.

C. Cornelius L. f. Gal(eria) Romanus Tucci C. I. L. II 1700.

Sempronia Romana Baesucci C. I. L. II 3259.

Trebia Romana Cordubae C. I. L. II 2309.

M. Valius Romanus M(arci) l(ibertus) Astigi C. I. L. II 1506.

Romanus in patella Tarraconensi C. I. L. II 4970, 426.

Romana Gadibus C. I. L. II 1877.

Adiutorius Romanus Augustae Vindelicum C. I. L. III 5787.

P. Aelius Romanus veteranus Scarbantiae C. I. L. III 4232.

Aelius Sept(imius) Romanus miles legionis Sarmizegetusae C. I. L. III 1471.

Aelia Romana uxor procuratoris Augustorum a. 238 Sarmizegetusae C. I. L. III 1423.

Fl. Antonius Romanus beneficiarius Troesmi C. I. L. III 6161.

Avetontia Romana Bedaii in Norico C. I. L. III 4471.
C. Aurelius Romanus Latobicis C. I. L. III 3990.
M. Aurelius Romanus domo Antiochia veteranus legionis Savariae C. I. L. III 4183.
C.... Romana Salonis C. I. L. III 2252.
Caesidia Romana Salonis C. I. L. III 2254.
C. Caesius Romanus inter signatores diplomatis a. 129 C. I. L. III dipl. XXXII.
Claudius Romanus duplarius alae Aurianae in Raetia C. I. L. III 5899.
Decidia Romana in Dalmatia C. I. L. III 3177.
Fabia Romana Apuli C. I. L. III 1213.
C. Iulius Romanus Celeiae C. I. L. III 5299.
Iulius Romanus miles legionis Carnunti C. I. L. III 4452.
Iulia C. lib(erta) Romana Salonis C. I. L. III 2097.
Ulpius Romanus veteranus legionis Aquinci C. I. L. III 3453.
....s Romanus in tegula Dalmatina C. I. L. III 3214, 10.
Romanus in Pannonia superiore C. I. L. III 3820 et Sisciae 3990 et in Norico 5492. 5621. 6010, 184.
Romanus Augusti nostri } in Dacia C. I. L. III 1303. 1622.
Romanus Augusti libertus }
Audac(ius) Romanus centurio legionis Magnis in Britannia C. I. L. VII 749.
Romanus item centurio Petrianis C. I. L. VII 904.
Romanus in amphora et in patellis Britannicis C. I. L. VII 1331, 93 et 1336, 927.
Romana Aesicae C. I. L. VII 728.

SALANVS -. *Arrius Salanus* praefectus quinquennalis Tiberii Caesaris Formiis I. N. 4094.

SEIANVS *L. Aelius Seianus* Sei Strabonis Volsiniensis filius naturalis inde cognomen duxit. Alia eius cognominis exempla non habeo in promptu.

SERPICANVS *Cn. Badius Cn. f. Vol(tinia) Serpicanus* Saepini I. N. 4949.

SORANVS *Cn. Valerius Cn. f. Soranus* Atinae in Campania I. N. 4581.
C. Gavius Sorani l(ibertus) Blandus Romae Murat. 1786, 6.

Q. Valerius poeta, *litteratissimus togatorum omnium* a Cicerone dictus (de or. 3, 11, 43) et alibi praeterea non raro memoratus eiusque filii duo Quintus et Decimus, quos *in dicendo admirabiles* Cicero (in Bruto 46, 169) praedicat *vicinos*que *et familiares suos* appellat (propterea quod Sora Arpino proxima est), Sorani dicuntur utpote Sora oriundi.

Atilia Catonis Uticensis uxor filia erat Atilii Serrani cuiusdam sive Sarrani, non Sorani, ut in Plutarchi vita Catoniana cap. 7 adhuc scribitur.

*SVBINCANVS *C. Licinius C. f. Ter(etina) Subincanus* IIvir (Allifis ut videtur) Saepini I. N. 4938.

TEMPSANVS *L. Postumius Tempsanus* praetor a. 569 apud Livium 39, 23.

TETTIANVS *C. Mustius Tettianus* miles Celeiae C. I. L. III 5175. 5176.

*TIFLANVS *C. Segulius C. f. Cam(ilia) Tiflanus* Vibone Bruttiorum I. N. 49.

TORASIANVS *P. Meclonius Proculus Torasianus* filius C. Torasii C. f. Hor(atia) Severi Spoleti Henzen 7115.

TRAIANVS *M. Ulpius Traianus* pater imperatoris a Traio patre naturali nomen duxit (Victor epist. 13). Traii Beneventi I. N. 1726 et Arvae in Baetica C. I. L. II 1065 reperiuntur.

TVDITANVS *Sempronii Tuditani* ex fastis noti quattuor consules a. 540. 550. 569. 625.

TVRITANVS *Flaviae Hygiae* liberta *Turitana* Venusiae I. N. 783.

TVSCIVICANVS *P. Terentius Tuscivicanus* praetor a. 587 apud Livium 45, 17.

TVSCVLANVS *C. Mummius Tusculanus* Ilipae in Baetica C. I. L. II 1100.
Caecilia Tusculana Cordubae C. I. L. 2264.

TVTICANVS *Caecilia Tuticana* Romae Fabretti 641, 349.

VARIANVS *C. Valerius C. f. Varianus* Olisipone C. I. L. II 322.
C. Iulius Varianus Apuli C. I. L. III 1097.
.... *Varianus* in laterculo a. 134 Troesmi C. I. L. III 6179, 3, 16.

VATICANVS *T. Romilius Rocus Vaticanus* cos. a. 299 in fastis.
P. Sestius Q. f. Vibii n. Capito Vaticanus cos. a. 302 in fastis.

VEIENTANVS *T. Pomponius Veientanus, quem populantem temere agros in Lucanis ductu Hannonis priore anno* (i. e. a. 541) *ceperunt Carthaginienses* Livius 25, 3.

VELLANVS *C. Vibius L. f. Q(uirina) Vellanus* Sigus Africae Renier *inscr. de l'Alg.* 2515.
**Velani* in signaculo in Bruttiis reperto I. N. 6319, 230 potius *Veiani* legendum puto.

VENAFRANVS *T. Alfenus Venafranus* sevir Augustalis Marruvii I. N. 5506.

VENVSIANVS *Venusianus* simpliciter in titulo aetatis christianae Romae Maffei M. V. 305, 6 = Guasco mus. Cap. 694.

VERANVS *C. Seius Veranus* consul sub Tiberio frater fortasse Seiani Salonis C. I. L. III 2028 cum Borghesii observationibus opp. 4 p. 446.
*D. Fabius D. f. Pal(atina) Florus *Veranus* honoratus a. 202 Ostiae Henzen 6029.
Q. Sabinius Veranus conductor portorii Illyrici Poetovione C. I. L. III 4015. 4017. 5146.
L. Barbius Veranus praetorianus Iuennae in Norico C. I. L. III 5073.
L. Septimius Veranus veteranus legionis Stuhlweissenburg C. I. L. III 3344.

Ulpius Veranus filius militis Camponae in Pannonia inferiore C. I. L. III 3410.
Coelia C. f. Verana Neapoli I. N. 6484.
Valeria Verana Tarracone C. I. L. II 4278.
Pompeia Verana ibidem C. I. L. II 4335.
.... *Veranus* centurio praetorianus I. N. 2845.
Cf. *D. Fabius Verianus* Tubursici Renier *inscr. de l'Alg.* 2981.

VIBIANVS Cognomen frequens, cuius exempla adscribere non attinet.

VIBVLANVS *Fabios Vibulanos* consules annorum 269. 270. 271. 287. 312. 331. 333. 342 fasti capitolini referunt.

*VOLTEIANVS -. *Cornelius* -. *Gal(eria) Volte[ian]us* Emporiis in Hispania ephem. 1872 n. 146 (p. 48).

III. Nomina gentilicia in *anius* a locorum nominibus derivata.

ACANIVS *Q. Akanius Q. f. Rufus* Nemausi Orell. 4016 (inde Herzog Gallia Narbonensis appendix p. 12, 30).
Acania Q. l. Lepida Romae Henzen *bullett. dell' instit.* 1857 p. 65.
Aca vel *Acanum* locum non novi; in *Accio Acilio Aconio* nominibus gentiliciis et similibus eadem fortasse radix inest. Componendum etiam *Atanius* nomen (*Atania Noe* et *Atania Firmina* in titulo urbano Oxonii marm. Oxon. p. 36, 60).

AECLANIVS *Q. Aeclanius Hermias* vir perfectissimus agens vices praefectorum praetorio a. 306 Cordubae C. I. L. II 2203.
Aeclanius Maximianus et
Aeclania Marcella Aeclani I. N. 1166 (Henzen 6394).
Aeclanum notum est.

AEQVANIVS *Sex. Aequanius Sex. f. Stel(latina)* I. N. 1860.
Vide supra *Aequanus*.

AFRICANIVS *C. Africanius Capito* Maffei M. V. nescio quo loco, in indice enim erratum est in numero.

ALBANIVS *C. Albanius* proximus vicinus hortorum Scapulanorum apud Ciceronem ad Att. 13, 31, 4 (si hoc recte traditur).
Sex. Albanius C. f. Maxum(us) Interamnae Praetuttianorum I. N. 6167.
C. Albanius Speratus in laterculo tribus Sucusanae a. 70 I. N. 6769 III 1.
L. Albanius L. f. Quintillus Gadibus C. I. L. II 1754.

Albanius Artemidorus medicus ocularius Gadibus C. I. L. II 1737.

Albania Anchiale Conimbrigae C. I. L. II 380.

Alia exempla poterunt addi. Vide supra *Albanus*.

BAIANIVS *C. Baianius C. l(ibertus) Auctus* Auximi Fabretti 608, 69 (si titulo fides habenda).

L. Baianius ex fundo Baiano fortasse fictus in pacto fiduciae Hispano C. I. L. II 5042.

BOVIANIVS *C. Bovianius C. f. Celer* Potentiae I. N. 385 in titulo lectionis non nimis certae.

Vide supra *Bovianus*.

BVCANIVS *M. Bucanius Paternus* inter vigiles a. 210 C. I. L. VI 1057 V 95 = 1058 V 20 (Kellermann Vig. 2, 3, 29 = 6, 3, 37).

Buca Frentanorum portus erat, propterea fortasse ita dictus, ut Ostia. Ipsorum Frentanorum nomen cum *freto* composuit Ebelius in Kuhnii annalibus 4 p. 443.

CAMPANIVS *M. Campanius M. f. M. n. Marcellus* Capuae I. N. 3596.

C. Campanius col(oniae) lib(ertus) Ursulus Capuae I. N. 3683 (inde Henzen 6395).

L. Campanius Sosimenes Capuae I. N. 3644.

*D. *Campanius Atimetus* Brundisii I. N. 480.

Campania Felicissima Capuae I. N. 3793.

Campania Phronime Capuae I. N. 3819.

C. Campanius Victor legionarius in Germania inferiore Brambach C. I. R. 560.

Campanius Materninus in Germania superiore Brambach C. I. R. 1782.

A Capua adiectivum fieri Campanus notum est; sed potuit nomen Campanii etiam a quovis campo derivari.

CARFANIVS *Carfania M. l. Tertia* Beneventi I. N. 1496.

Cf. *C. Cafranius Ingenus* in laterculo tribus Sucusanae a. 70 I. N. 6769 III 32. Transposita enim esse potest *r* littera secundum vetustam rusticorum hominum in Italia consuetudinem.

CARIANIVS *L. Karianius Severus* Romae apud Ficoronium Maffei M. V. 302, 1.

Cf. etiam *Carania Ↄ. l. Pilumina* tituli Campani I. N. 3783 = C. I. L. I 1211.

CARISTANIVS *C. Caristanius C. l(ibertus) Hermaescus* Capuae I. N. 3864.

Brevi hac narratione palam fit templi Iovis latiaris ruinas fortuitis casibus variis temporum intervallis temptatas, nunquam esse ordine exploratas: litteratorumque lapidum non minimas facile partes ruinis illis obrutas etiam nunc delitescere. Quare et Henzenus et ego, oblatis a Berolinensi quoque academia subsidiis, diligenter egimus, ut optatis fossionibus quam primum manus admoverentur. Possessorum autem eius loci iura eo nunc statu sunt, ut hac de re transigi omnino nequeat; itaque patientia utendum necessario sit. Dilato in incertum tempus tam probabilis expectationis successu, nonnihil interim est, quo latinarum feriarum fastos augeam eorumque historiam aliquatenus illustrem.

Henzenus l. c. p. 135, 6 fragmentum dedit, cuius in ephemeride nostra nulla habita ratio est: de eo quippe interpretando suumque in locum restituendo sagax editor desperaverat:

T V R · A V T E M
i N F R A · S C R I P T
sc R I B E N D I S T R I B V
scribe N D I S T R I B
I N T R I B \

Vocabulum quidem *scribendis* bis repetitum ad *decemviros legibus scribendis* pertinere Henzenus vidit: sed negotium facessebant sequentes in singulis versibus litterae TRIBV... In decemviros tribunicia potestas convenire mi—


———

[1]) V. Borghesi, opp. VII, 572. 573.

[2]) Quos Mommsenus (*Hermes* V, 371) annos dixit aut 106—109 aut 107—110, ego illis adscripsi, edoctus diplomate militari anni 107, de quo Renier ad Borghesii opp. VIII, 56, Waddington, *Fastes asiatiques* p. 198. Non me praeterit hoc ipsum diploma anno 108 a Mommseno adsignari (C. I. L. III p. 866): sed quomodo is annus cum XI. tribuniciae potestatis Traiani possit componi minime intelligo (cf. Henzen in *Bull. dell' Ist.* 1872 p. 51). [Erravi ego. Th. M.]

nime potest: eos *consulari imperio legibus scribundis factos* capitolini fasti testantur. In ipso quoque feriarum latinarum frustulo, cuius summae litterae in decemviratus tempus cadere videbantur, Henzenus suppleverat *decemviris consul*ARI PO*testate*. Quare propositum fragmentum cum fastorum serie nullo videbatur posse pacto componi. Re vero subtilius perpensa, tota evanescet difficultas. Litterae TRIBV... ter repetitae alteram efficiunt columnam ab ea, quae decemviros legibus scribendis exhibet, interiecto spatio seiunctam. Illis igitur annis, quibus tribuni militum eponymi fuerunt, altera huius fragmenti columna est restituenda: prior decemviros legibus scribendis offert: utraque eponymos hos extra ordinem creatos solo magistratus vocabulo indicat, singulorum nominibus (quoniam nimis prolixa eorum series erat) brevitatis gratia suppressis. Superiores maioris moduli litterae ad praescriptionem pertinent supra omnes horum fastorum columnas perpetuo ductu continuatam.

Rem ita esse felix praeter spem inventio confirmat. Nam veterum saxorum in albani montis cacumine supra terram iacentium diligenti facta conquisitione eam partem fastorum, quae decemviratus biennium et proxime sequentem annum 305 complectitur, totam fere recuperavi. Ecce illam quattuor compositis fragmentis paene in integrum restitutam.



Fragmenta 1, 2 servantur in coenobio montis albani; illud haud ita pridem, ut dixi, repertum, hoc anno 1869: 3, 4 Romam advecta anno 1870 egomet vidi in horreis praefecturae operum publicorum. Nunc 3 repositum est in Palatino; 4 periit aut latet.

V. 1—3. Apicem litterae in priore editione neglectum, summa fractura diligenter inspecta, supra syllabam TVR deprehendi. Praescriptio igitur fastorum non minus tres versus obtinet, neque tamen plures: summus quippe la-

pidis margo ita est diffractus, ut litterae quidem perierint, planae vero superficiei vestigia appareant; et vix unius supra versum 2 litterae altitudinem ad summum lapidem pertingere dimensa spatia demonstrent. Versus tertii initio prima littera (I vel T vel F) a lapidis extremo margine ita distat, ut ad rigorem subiectae fastorum columnae sit collocata. Id mihi non leve indicium videtur praescriptionem fastorum supra ipsam hanc columnam incipere. Universi latinarum fasti lapidi incisi num a tempore decemviratus demum inceperint, hoc uno non ausim indicio definire. Id certe praescriptio docebat, cuius prolixum textum fuisse e superstitibus v. 2 litteris ... TVR AVTEM satis intelligitur: eaque quid subiecti fasti continerent esse explicatum v. 3 verba ... INFRA SCRIPTVM manifesto indicant. Sub praescriptione fasti in columnas distributi procedunt.

Col. I v. 5. Litterarum ... VN vix summa et minima, ea tamen certa, vestigia deprehendi: quae cum historiae romanae annalibus egregie concordant. Nam decemvirum aetate *idus Maiae sollemnes ineundis magistratibus erant* (Liv. III, 36; cf. Mommsen *R. Chron.* p. 91 ed. 2): vere igitur non ante Iunium circiter mensem a novis magistratibus, quorum id officium erat, celebrari tum latinae potuerunt. Fragmenta annorum 536—554 latinas Aprili vel Maio fere constanter adsignant: iis annis idibus Martiis consules magistratum inibant (Mommsen, l. c. p. 97, 98). Hanc feriarum latinarum cum romanorum magistratuum annalibus concordiam v. 11 insigni exemplo confirmat.

V. 7. Sollemnium notarum L · F · (*latinae fuerunt*) altera desideratur; unico in his fastis, quantum ad hanc diem novimus, exemplo [1]). In fragmento, quod Henzenus edidit l. c. p. 132, 4, v. 4 littera F haud omissa a lapicida est, sed periit.

V. 8. Antequam fragmentum 1 esset repertum et 3 suo loco restitutum, quae in summa fractura lapidis 3 supererant exigua litterarum vestigia Henzeni ingenium valde torserunt. Bormannus quidem in ipso monte albano ea recte descripserat: iis vero idonea supplementa nulla videbantur posse adhiberi. Ab Henzeno rogatus lapidem ego inspexi Romam adportatum. Extremum angulum ita detritum vidi, ut eo loco potius ᴧ quam N appareret: quo factum est ut Henzenus suppleverit *consul*ARI PO*testate*. Nunc quamvis lapide deperdito ea vestigia nequeant iterato subiici examini, nullum reliquum dubium est, quin Bormanni lectio verissima sit. Id clare docent fragmenta apte composita et ipsius lapidis ectypum uda charta expressum in monte albano, antequam longi itineris attritu superstites apices faciem mutarent.

Lectione constituta non mediocris pretii locum pergo illustrare. M. Horatio Barbato consuli a. 305 duplex heic cognomen adscribitur; litterarum enim vestigia ... ᴧIN, sive illa ... ARIN sive .... RRIN suppleamus, nil

---

1) [Si quid video, in feriali fuit: *Xviris legib[us scribe]ndis L(atinae) non [f(uerunt)].* Scilicet alteris Xviris utpote iniustis hoc quoque exprobrabatur ferias publicas eos non fecisse. TH. M.]

nisi cognomen dant. Ultima littera O more in lapideis fastis legitimo suppressa est, ne scriptura lineam excederet. Sic in capitolinis MONTAN · CAPITOLIN, ESQVILIN · AVGVRIN (C. I. L. I p. 426), atque ita porro M. Horatium consulem a. 305 duplici cognomine usum esse hoc primum monumento discimus. Idque eo magis praeter exspectationem accidit, quod alterius eiusdem anni consulis L. Valerii unum tantum hi fasti cognomen exhibent; quem Poplicolam Potitum acta triumphorum appellant (l. c. p. 454). Sed quaecumque causa fuerit, cur maiorem in Horatii quam in Valerii nominibus diligentiam auctor noster praestiterit, de re ipsa et de reperto duplici Horatii cognomine ambigi plane nequit. Nunc quale illud cognomen sit, videamus. Quaerenti cognomen in ARINVS desinens plura statim occurrent, ut CARINVS, MARINVS, similia, sed ea antiquissimae M. Horatii aetati vix satis convenientia. Quae desinunt in .... RRINVS cognomina, Verrinus, Turrinus, alia (neque enim singula persequor) antiquitatem magis redolent. Turrinum consulum fasti offerunt a. u. c. 515. Is in capitolinis tabulis scribitur C · MAMILIVS · Q · F · Q · N · TVRRINVS (l. c. p. 435). Hoc ipsum Turrini cognomen M. Horatio a. 305 consuli feriarum latinarum fragmenta cum Diodori siculi fastis collata meo iudicio vindicant. Diodori (XII, 26) codices [1]) anni 305 consules hoc ordine ponunt:

Κάγκος Ὁράτιος
Λεύκιος Οὐαλέριος Τούρπινος.

In Horatii praenomine error manifestus: sed codicum vetustate et librariorum inscitia *Κάγκος* factum e *Μάρκος* nemo peritus mirabitur. Multo maior et cuius non adeo plane reddi ratio possit corruptela est cognominis L. Valerii, qui cum Ποτῖτος fuerit in Diodori codicibus dicitur Τούρπινος. Verum si attendes Τούρπινος a Τουῤῥῖνος vix quicquam distare, hac lectione cum latinarum fastis collata, opinor, intelleges librarios M. Horatii cognomen ad L. Valerium transtulisse, et in Diodoro Μάρκος Ὁράτιος Τουῤῥῖνος, in lapide M · HORATIO · M · FI*l* · *l* · *n* *tu*RRIN esse restituenda. Tam rarum cognomen M. Horatio in ipso fortasse consulatu et triumpho esse adtributum quaedam mihi coniectura suggessit. Ille enim de Sabinis triumphavit; et in Sabinis latifundium est *Torri,* pelasgici, ut Nibbyus vult, templi aliisque monumentorum ruinis nobilitatum (Nibby, *Dintorni di Roma* I, 538); quod *Turrim et civitatem antiquam Gabis* vetera Farfensis coenobii diplomata appellant (Galletti, *Gabio antica città della Sabina scoperta ove è ora Torri,* Roma 1757). Quidni igitur utrumque loci nomen antiquum sit et M. Horatius eo loco Sabinos fuderit, idcircoque Turrinus honoris causa sit appellatus? Huic tamen coniecturae Dionysius et Livius parum favent; qui Sabinorum castra circa Eretum munita narrant; Turris vero septem circiter passuum millibus supra Eretum sita Roma longius abest.

[1]) [Antiquissimus omnium Patmi nuper repertus hoc loco a vulgaribus eo tantum discedit, quod ibi est *κάγκων ὡράτιον.* Th. M.]

V. 11—13. Latinas, post primam earum celebrationem IIII eid. Ian. iterum III non. Febr., tertio kal. Mai. (sic, non MAIS, in his fastis perpetuo scriptum) hoc anno instauratas versibus 12, 13 sagaciter suppletis docuit Henzenus. Quod vero mense Ianuario singulari exemplo latinae hoc anno sint celebratae, id e romanorum magistratuum historia plenam accipit lucem. Decemvirali enim imperio abrogato, consulari restituto, novi consules Decembri mense extra ordinem sunt creati (Mommsen, *Hermes* l. c. p. 381): iisque, nisi latinis peractis, in ingruentes hostes proficisci minime licuit. Cur iterum et tertio instauratae feriae sint, utrum quod primae itemque alterae vitiosae fuissent an ob prosperos successus publicae supplicationis gratia, ne ipse quidem Mommsenus potuit definire (l. c. p. 384). Triumphorum certe causa decretae illae non sunt; idibus enim Sextilibus et VII kal. Sept. huius anni triumphos capitolini lapides adsignant. Odericius et Marinius dubitarunt, num his fastis feriae tantum extraordinariae, praesertim triumphales, non vero annales, fuerint inscriptae. Novis nunc fragmentis repertis non modo ea dubitatio est tota sublata, sed praeterea discimus ordinarias pariter et extraordinarias ferias in has tabulas relatas esse (cf. Mommsen l. c. p. 383) earumque memoriam a decemvirali saltem aetate in pontificum libris diligenter esse servatam.

Columna II v. 4—7. Alterius columnae vix supersunt litterae TRIBV... ita ter repetitae, ut tres continuos annos repraesentent. Ad illa igitur tempora haec fastorum pars pertinet, quibus tribuni militum consulari potestate terni, quaterni, seni, octoni longa annorum serie rempublicam rexere: quorum nomina, quemadmodum et decemvirum, prolixitatis vitandae gratia hae tabulae praetereunt. Continuo triennio tribuni militum primum creati annis 320—322; deinde ab anno 328 ad 387 raro reditum ad consules est. Prior igitur horum fastorum columna ab anno 303 ad annum processit non infra 319, non ultra 384. Eam tamen mediocri altitudine fuisse litterarum modulus in ipsa quoque summa praescriptione exiguus demonstrat [1]).

Illa certius definiri mensura potest, qua pagina fuit annorum exeuntis saeculi a Christo primi, ineuntis secundi. In binas enim columnas partitae erant feriae annorum 71—74, 106—109; ita ut anno prioris columnae 71, alterius annus 106 fere responderet et sic deinceps. Quare singulis columnis 35 circiter annos esse comprehensos subductis rationibus fit manifestum. Si eadem omnium tabularum mensura fuit, a decemviratus ad Traiani tempora necesse est hos fastos viginti saltem columnas implesse.

Sed fragmentum annorum 536—542 duplicem videtur columnam exhibere (vide eph. I, 43). Nam singulis annis maiores litterae sunt adscriptae, quae alteram columnam efficiunt sic:

---

[1]) Litterae vv. 1—3 altae sunt mill. 21; vv. 4 et seqq. fere mill. 18—19.

a. 536 L.....
537 L · V....
538 L · FA....
539 A · L....
540 M · V.....
....


Haec 'nominum principia', Bormannus ait, 'constat non pertinuisse ad fastos consulares; quinam vero homines nominentur ignoramus' (l. c.). Bormannus nempe de ordinariorum consulum fastis loquitur: nam ad suffectos haec nominum principia minime posse pertinere quis adfirmabit? Immo vero si ab Arvalium tabulis exemplum petimus, pronum erit coniicere hanc esse columnam fastorum aevi multo posterioris, quibus suffecti ignotique nobis consules latinas celebrarunt: eosque loco non suo esse descriptos, quod deficiente iam spatio quidquid vacui parietis supererat, interpolata temporum serie novis fastorum laterculis implebatur. At hanc coniecturam fragmentum, quod subiicio, prorsus evertit:

....ƆVIV.................
...*a*EBVTI*us*..............
....CLVTVRIVS SE*x*. *f*........
MAIOR
....POBLICIVS · NIC.........
...*q*VINCTILIVS............

Iam Henzenus monuit has litteras ad earum seriem, quae adscriptae erant annis 536—540, fortasse pertinere (*Bull. dell' Ist.* 1870 p. 135): quod attento instituto examine ego verum esse repperi. Nomina recto casu a consulum notatione sunt necessario diversa. Quodnam hominum genus illa significent, difficilis quaestio est. De praefectis, qui feriarum latinarum diebus urbi praeerant et singuli singulis annis creabantur, primo cogitavi. Iine sexto urbis conditae saeculo latinarum fastis adscribi coepti? Flaviorum certe aetate, ad quam mariniana fragmenta pertinent, huiuscemodi praefectorum in his fastis mentio nulla. Praeterea Henzenus monuit v. 5 litteras NIC..., graecanici cognominis initium, libertinum hominem prodere videri: id quod omissa patris mentio confirmat. De humiliori igitur civium ordine vel coetu cogitandum. Inscriptio cum his fragmentis in monte albano reperta et ab Henzeno edita et illustrata *Cabenses sacerdotes feriarum latinarum montis albani* nominat. Horum sacerdotum facile cura latinarum fasti sunt incisi: eorumque album illa nominum series, opinor, exhibet. Neque opponas eam ita esse dispositam, ut singulis annis singula nomina respondeant et cum fastis necessariam videantur coniunctionem habere. Id in fragmento annorum 536—540 solo casu neque omnino ad amussim fit. In altero vero, quod proposui, fragmento ...CLVTVRIVS SEX. *f*. ....MAIOR duorum annorum spatium obtinet. Cur album hoc, mea coniectura, sacer-

dotum dextrum latus occupet columnae annorum saeculi sexti, fastorum per parietes aedis Iovis latiaris distributio, si quando ea nobis innotescet, declarabit.

Nam quemadmodum capitolinos sic et albani montis fastos marmoreis non tabulis sed lapidibus, quibus constructa aedes erat, veteres inscripserunt. Reliquiae nuper repertae valde exiguae sunt, e magnae tamen molis saxis diffractae. Illa vero fastorum pars, quae superiore saeculo in Vaticanum venit, incisa erat quadratis lapidibus, quorum accuratam delineationem manu Marinii vidi in codice vaticano 9127 p. 30. Alterius lapidis duae facies sic erant inscriptae:



Alterius una tantum facies annos exhibebat aetatis incertae; in aversa facie corona (*cornice*) erat insculpta. Id fortasse indicio est fastos per totam templi basim eiusque procurrentes antas fuisse dispositos; quemadmodum et de capitolinis templo Castorum restituendis Rodulphus Lanciani coniecturam nuper proposuit sane probabilem (*Bull. dell' Ist.* 1871 p. 266). Sed de Iovis latiaris aede eiusque forma vix quicquam scimus (vide Piranesi, *Antichità di Albano* tab. II). In barberiniano codice XXIX, 215 diagramma vidi veterum ruinarum, quae in summo monte albano saeculo XVII supra terram eminebant. Totius templi, id est areae consecratae, saeptum et substructionem lapide quadrato diagramma exhibet; intra aream cellae absidatae vestigia. Sed quoniam plures eo loco cellae et latericia aedificia extiterunt, de ipsa aede Iovis latiaris nihil inde discimus.

Nunc quo primum tempore latinarum fasti his lapidibus sint incisi, ad quem annum continuati, restat quaerendum. Interna, quae dicimus, indicia suadere mihi videntur fragmentum annorum 727—732 eo ipso, cuius memoriam refert, tempore esse exaratum. Nam praeter nomina consulum et latinarum diem singulis ibi annis adnotatur, utrum imp. Caesar praesens necne in monte fuerit et qua de causa abfuerit: *Imp. Caesar valetudine impeditus fuit — in Hispania fuit — in monte fuit* (Cardinali in *Atti della pont. accad. di arch.* II, 271). Quod si dicas id horum fastorum lege fieri omni tempore debuisse, alterius vel utriusque consulis absentiam in superioribus quoque tabulis esse adnotatam facile concedam (tametsi nihil ea de re scimus), praesentiam superstites columnae negant. Ea igitur singularis prorsus in-

dolis et formulae diligentia, ut id etiam saxo incideretur *imperatorem Caesarem in monte fuisse*, aequalem eorum temporum auctorem, ni fallor, prodit. Sane ipsa fragmenti, de quo agimus, scriptura rationes meas confirmat. Est enim illa superiorum aeque ac posteriorum columnarum dissimilis, minutior, densior, ne uberiorum rerum copiae spatium deesset. Ceterum tota horum fragmentorum palaeographica ratio aliquid perplexi habet, de quo nonnisi propositis formis ad archetypa expressis disseri potest. Sed tutius est hanc quaestionem differre in tempus, quod spero brevi felicique cum successu venturum, cum aream Iovi latiari olim sacram ordinata fossione explorabimus.

Ad quem usque annum hi fasti sint continuati, nullo possum argumento definire. Suffectorum consulum aetatis incertae, qui inscripti sunt fragmentis a Marinio editis, nondum ullam quantum scio notitiam nacti sumus (vide C. I. L. II, 2344). Ferias latinas exeunte saeculo tertio vel ineunte quarto celebrari haud desiisse testatur basis statuae *M. Aur. Victori C. V. praef. feriar. latin. sacerdoti dei Solis religiosissimo* a *Iovino Callidiano condiscipulo* dedicatae (Orelli 3154); cuius titulus et stilo et scripturae genere aetatem, quam dixi, meo iudicio prae se fert. Harum feriarum institutum tertio vertente saeculo viguisse item lapis docet certa temporis nota insignis, anno 275 vel 276 a *sacerdotibus Cabensibus feriarum latinarum montis albani* Tacito Augusto dedicatus (*Bull. dell' Ist.* 1870 p. 136). Inter fragmenta in eius aedis ruinis reperta frustulum vidi litteris saeculis quarti exeuntis vel quinti exaratum. Christiani scriptores ludos urbanos Iovis latiaris ethnicis saepe exprobrarunt: nam dum latinae in monte albano agebantur, ludi Romae fiebant, et fuso a gladiatoribus sanguine Iovis simulacrum conspergebatur (cf. Marquardt, *Handbuch* IV, 442). Quare Prudentius: 'Funditur humanus latiari in munere sanguis' (contra Symm. I, 396): quo loco poeta de Romanorum sacris loquitur ante Theodosii de Eugenio tyranno victoriam. Nicomachum porro Flavianum Eugenianae factionis ducem a. 394 ethnicas caerimonias Romae instaurasse notissimum est: eumque *de Iove latio sperasse salutem* nuper editum e parisino codice carmen testatur (*Hermes* IV, 358; *Bull. d' arch. crist.* 1868 p. 63; Riese, *Anthol. lat.* I p. 17). Quae verba cum Prudentii versu collata et maxime Nicomachi erga veterum instituta et sacra ardens superstitio probabili indicio sunt illum consulares fasces anno 394 summa cum potestate Romae tenentem nonnisi peractis religiosae legis praescripto latinis contra Theodosium arma movisse. Quare a. 394 antiquissimum festum diem instauratum eodemque anno Theodosii triumphatoris lege in perpetuum abolitum templumque Iovis latiaris occlusum verisimile iudico.

I. B. de Rossi.

OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE.

XVI. S. C. DE THISBAEIS RECOGNITVM.

(Supplementum ad obs. XV a. 1872 p. 278—298.)

Qui summo loco litterarum curam Athenis publice agit Eustratiades postquam senatusconsultum de Thisbaeis mense Septembri anni proximi ex ignobili vico, ubi prodiit, Athenas deferendum curavit, ibi iam prostantem lapidem in museo ad viam Patissiam publice expositum mea causa denuo inspexit et diligentissime recognovit Otto Lueders horum studiorum fideli societate nobiscum coniunctus. Ea recognitio etsi in universum confirmavit id de quo ne antea quidem dubitari recte poterat, Foucartum officio non admodum facili functum esse strenue et perite, nihilo minus emendationes quasdam suppeditavit, quibus egregium et paene dixerim primarium instrumentum quibusdam locis emaculatur et nova luce illustratur. Quamobrem mei officii duxi eas quam primum fieri potuit cum iis quorum interest publice communicare.

V. 6—10 ita mutanda sunt: Περὶ ὧν Θισβ|εῖς λόγους ἐποιήσαντο περὶ τῶν καθ' αὐτοὺς πραγμάτων, οἵτινες ἐν τῇ φιλίᾳ τῇ | ἡμετέρᾳ ἐνέμειναν, ὅπως αὐτοῖς δοθῶσι[ν, | ο]ἷς [1]) τὰ καθ' αὐτοὺς πράγματα ἐξηγήσωνται [2]). Id est: *Quod Thisbaei verba fecerunt de suis rebus qui quidem in amicitia permanserunt, ut dentur sibi quibus ipsis res suas exponant.* Quae orationis forma quantopere praestet ea, quam antea (p. 292) admiseramus rerum nexu flagitatam, sed sermonis vix tolerabilis, non opus est enarrare.

---

[1]) Foucartus legit ΑΥΤΟΙΣ (vel Δ) //Β(?)ΘΩΣ//|/ΙΣ, supplevit αὐτοῖ διόρθωσιν εἰς. Quod posui, Kirchhoffius invenit.

[2]) Foucartus legit Ε . . ΗΓΗΣΩΝΤΑΙ, supplevit εἰσηγήσωνται.

V. 12. ἄνδρας in lapide neque est neque umquam fuit; eoque facile carebimus.

V. 14. Προτέρᾳ εἰδυῶν Ὀκτωμβρίων in lapide est nec quicquam deest initio versus, ubi supplerat ἐμ. Foucartus, τῇ Kirchhoffius.

V. 18 legendum est περὶ λιμέ[ν]ων, non περὶ τεμενῶν. Foucartus utrumque proposuit, legens //ΜΕ/ΩΝ; ego p. 293 utrumque recte poni potuisse dixi, hoc praeferens; iam vero Lueders deprehendit ΛΙ/ΛΕ/ΩΝ. — ΟΡΕΩΝ vere esse in lapide etiam Lueders adseverat. — In versu extremo cernitur ΕΠ//.

V. 19 est in lapide quod ex coniectura posui ΕΧΕΙΝΕΞΕΙΝΑΙΕΔΟ.

V. 24 ΤΟΕ//ΠΕΙΤΑ Lueders.

V. 25. 26 ΑΥΤΟΙΣΟΥΠΟΤΕ//|/ΤΙΑΥΤΩΝ lapis. Videtur igitur sic fuisse: περὶ χώρας οἰκιῶν καὶ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς ὃ ὑπὸ τέ[λει | ἔ]τι αὐτῶν γέγονε, id est *de agro et aedificiis et bonis suis quae sub vectigali adhuc eorum fuerunt.* Cogitaram ego antea iam de vocabulo ἔτι, sed abieci utpote hoc loco parum Graece positum. Lapis nihilominus id flagitat addendumque est ad similia commissa eius, qui haec 'vortit barbare'.

V. 27. 28 ΟΠΩ/|ΟΙ Lueders, vetans nos dubitare de lectione. Videtur igitur sic fuisse in decreto: ὅπως οἱ αὐτόμολοι οἱ ἴδιοι ἐκεῖ φυγάδες ὄντες τὴν ἄκραν αὐτοῖς ὅπως τειχίσαι ἐξῇ, pro eo quod est: ὅπως τοῖς αὐτομόλοις τοῖς ἰδίοις, οἳ ἐκεῖ φυγάδες εἰσί, τὴν ἄκραν τειχίσαι ἐξῇ.

V. 33 ΤΟΥΤΟΙΣ lapis.

V. 36. 37 ΕΝ/|//ΑΤΟΙΣ lapis.

V. 43. 44 ΠΕΡΙ ΤΟΥΤΟΥΤΗΙ/ // |///ΟΙΑΙΠΡΟΣΕΧΗΙ Lueders, adnotans determinari non posse, quot elementa margine effracto perierint. Idem locum recte sic interpretatus est: ὅπως περὶ τούτου τῇ α[ὐτοῦ ἐνν]οίᾳ προσέχῃ, cum Foucartus deprehendisset ΤΟΥΤΩΝ | ΝΟ/ΝΠΡΟΣΕΧΗΙ, interpretatus ὅπως περὶ τούτων νοῦν προσέχῃ.

V. 48 ΘΗΒΩΝΑΥΤΑ est in lapide.

V. 50—52 ita emenda: Ὡσαύτως περὶ οὗ ταύτας τὰς γυναῖκας ὑδρίας συναφίσ[και[1]) | πρὸ]ς τὸν στρατηγὸν ἐνεγκεῖν ἐπὶ ἀξίαν, περὶ τούτου τοῦ πράγ[ματο]ς [πρ]ότερον ἔναντι Γαίου Λοκρετίου βουλεύσασθαι ἔδο[ξεν], id est: *Item quibus de rebus has mulieres sitellam placet ad praetorem ferre in aestimationem, de ea re antea coram C. Lucretio deliberandum esse censuerunt.* Iam igitur de lectione constat. *Sitellam* autem sive *urnam ferre ad praetorem* quamquam quod sciam sine exemplo est, quid significet nihilo minus liquet,

---

[1]) ΥΔΡΙΑΣΣΥΝΑΦΕΣ/Ι Lueders, lectionem evidentissimam esse testans; ΥΒΡ///Δ(?)Ι(?) ΣΑΝΙ/// Foucart.

nimirum recuperatores a praetore postulare. Nam in iudice uno quamquam sortitio fortasse locum non habet, quippe quem aut petitor reo ferat aut magistratus partibus det, recuperatores 'sors et urna adsignat' [1]), nec quicquam impedit, quominus mulieres eae de quibus agitur cum C. Lucretio recuperatores sumpserint. Lucretio autem satis explicatur, si ab eo ipso qui recuperatores postulabat urna ad eos sortiendos in ius afferenda erat; id quod cur ita non fuerit non video.

[1]) Plinius paneg. 36 collato Suetonio Ner. 17. Cf. Plinius h. n. praef. 8: *plurimum refert, sortiatur aliquis iudicem an eligat.*

Formis Academicis (G. Vogt).

LEX COLONIAE
IVLIAE GENETIVAE VRBANORVM SIVE VRSONIS
DATA A. V. C. DCCX.
ADDITAMENTVM AD CORPORIS VOLVMEN II.

Sub finem a. 1870 vel. ineunte a. 1871 repertae sunt tabulae aereae tres prope Ursonem, quae hodie *Osuna* est, in Hispania Baetica[1]), loco quodam, quem accuratius is qui invenit indicare noluit. Qui primum propagati sunt per amicos Hispalenses de hoc invento rumores vagi et paene fabulosi (scilicet quindecim vel adeo tres et viginti tabulas inscriptas repertas esse illi nuntiaverant) quanquam postea comprobati non sunt, tamen fieri posse, ut praeter tres tabulas postea prolatas aut una aut plures amplius detectae sint, sed celatae, qui hominum lucri cupidissimorum astutiam novit non negabit; tertiae a se editae partem quae desideratur et ipsam extare, sed adhuc celari, etiam Berlanga probabile esse iudicat. Emptae sunt a. 1871 tabulae illae tres a Francisco Caballero-Infante y Zuazo, civi Hispalensi, et Hispalim translatae in domum ipsius, ubi adhuc servantur. Ibi postquam amplius annum integrum ineditae remanserunt, vidit eas mense Martio a. 1872 Emmanuel Berlanga Malacitanus is, qui ante viginti annos tabulas Malacitanam et Salpensanam (C. I. L. II, 1963. 1964) primus ediderat, et a domino rogatus cum edendas eas suscepisset, octavo mense editionem Malacae absolvit inter turbas civiles, quae ut patriam per aliquod temporis spatium relinqueret et in Africam migraret coegerunt. Prodiit liber mense Decembri a. 1872, typis ex parte excussus Berolinensibus, apud Ambrosium Rubio et Alphonsum Cano librarios, titulo hoc

Los bronces de Osuna que publica Manuel Rodriguez de Berlanga. Malacae MDCCCLXXIII. 8. mai. (pp. 256).

---

1) Cf. vol. II p. 191.

Liber venum non datur, sed dono destinatus est ab editore iis, qui haec studia praecipue fovent. Dedicatus est Mommseno et mihi; continet post praefationem directam ad Franciscum Caballero-Infante, quae quomodo acciderit ut tabulas edendas susciperet scriptor enarrat (p. 1—5), primum textum tabularum secundum archetyporum formam dispositum, deinde lectionem editoris (p. 9—20) cum versione Hispanica (p. 21—32). Tum pergit ad descriptionem tabularum, formam earum externam enarrat, item argumenta capitum, compendia scripturae et similia, vitia quaedam quae putat ab eo qui conscripsit aut qui aeri incidit commissa esse, rationem scribendi, locum et tempus legis (p. 33—83). Denique proponit commentarios ad singula capita (p. 84 ss.) cum addendis nonnullis (pp. 254* et 254**). Adiectae sunt tabulae lithographae quinque, quae scripturae formam atque adeo aeris colorem fideliter imitatae (ut tabulae Ritschelianae) trium tabularum initia singulis imaginibus, deinde caput unum (CXXIX) tabulae tertiae, denique fragmentum quoddam non magni pretii alienum, scilicet tabulae aereae Italicae repertum, quod infra dabimus, repraesentant.

In editione id potissimum spectasse se Berlanga ait, ut textum tabularum exhiberet quam accuratissime et fidelissime expressum, eumque promisso stetisse res ipsa docet; vix enim umquam talis ambitus inscriptio videtur repraesentata esse in ipsa editione principe tam recte et castigate. Quod in commentariis non omnia recte assecutus est editor, id in tanta rei novitate et maxime in luctuosa quae fuit eo tempore Hispaniae condicione nequaquam ei vitio vertent lectores periti. Immo tabularum dominum laudem sibi peperisse non interituram vindicatis iis ab interitu, nec minus bene meruisse de orbe litterarum universo editorem antea quoque propter similia beneficia apud suos exterosque merito celebratum grato animo agnoscent quicunque monumenta haec insignia in lucem prodiisse nobiscum gaudebunt.

Prodit infra textus a Mommseno, uti par erat, constitutus cum brevi eius commentario; ego pauca additurus sum de forma tabularum externa earumque scriptura.

Tabulae sunt tres, quarum prima larga est m. 0.93/4, alta paullo plus 0.59, secunda larga 0.68, alta 0.59, tertia larga 0.93/4, alta 0.60; videntur igitur omnes olim uno ordine publice expositae fuisse. Ordines scripturae prima tabula habet tres versuum 34 et 36 et 37, secunda duos versuum 36 et 37, tertia tres versuum 48 et 52 et 47; in hac secundi ordinis v. 32—52 et tertii v. 1—13 exarati sunt litteris minoribus. Tabula secunda primam continuat; inter secundam tertiamque tabula una pluresve exciderunt. Ipsa aera integra fere ad nos pervenerunt; nam in solo tertio elementa quaedam in fractura perierunt maxime in mediis versibus 7, 42—52 extremisque 8, 44—47.

Tabulas primam et alteram unam olim effecisse fractura ipsa marginum dexteri alterius alteriusque laevi docet ita ut a Berlanga repraesentatur (scilicet minor pars, tabula altera, vi avulsa est a maiore), quod confirmatur diserto editoris testimonio (p. 35 libri eius). Tabula tertia cum

longitudinis aequalis sit atque prima, videtur itidem tertia fere eius pars tempore recenti demum vi avulsa esse; inde hanc partem una cum reliquis repertam esse sed celari conclusit Berlanga probabiliter, ut supra dixi. Tabulae igitur omnes eiusdem fere etiam longitudinis videntur fuisse, ut altitudine sunt aequales. Margo cum foraminibus utrimque olim circumdatus et ex parte servatus docet eas affixas fuisse parieti alicui ita sine dubio, ut *de plano recte legi* possent; quod notum est ubique observatum esse in eius modi tabulis inscriptis, quae publice propositae erant. Tabulae igitur omnes textum videntur continuisse in paginis sive columnis quinque iuxta collocatis perscriptum; ut etiam in antiquissima voluminum scriptura fieri notum est. Prima singulorum capitum vocabula versum incipiunt, ita ut paullo magis in marginem excurrant; his subscribitur capitis numerus; rubricae littera (-R) nusquam adiecta est. Cum supersint capita XCI ad CVI in tabulis duabus prioribus et capita CXXIII ad CXXXIV in tertia, interciderintque capita I—XC, CVII—CXXII, CXXXV et sequentia, probabile est in una quaque tabula perscripta fuisse capita circiter XV ad XVI in quinis columnis, ut recte exposuit Berlanga. Quod si ita fuit, interierunt fere tabulae sex priores, octava, nonae pars tertia; servatae sunt septima et nonae partes duae priores. In fine non multum deesse probabile est.

Exempla lithographa a Berlanga utiliter adiecta intuenti statim demonstrant scripturam huius legis, quam a. 710 latam esse constat, prorsus diversam esse a Caesarianae aetatis litteratura, quam qualis fuerit novimus ex legis Iuliae municipalis a. 709 reliquiis, quas Ritschelii P. L. M. tabulis XXXIII et XXXIV exhibent. Scilicet illae litteras habent crassas breves quadratas, E et M potissimum formae aliunde notae antiquioris, O saepe reliquis minorem, omnino scripturam simplicem et rectis tantum lineis alte incisis formatam, apicibus nullis litterarum singularum (veluti in A M F et similibus) nec magis ulla linea recta, veluti in Q H ī, in curvam lineam deflexa. At in tabulis Ursonensibus indicia haec aevi sequioris adsunt omnia, atque in omnibus aequabiliter; quamquam tabulae tertiae scriptura reliquarum minor et magis compressa alius incisoris manum prae se fert atque primae et secundae, quae una fuit. Convenit autem ad amussim haec litteratura, quae elementa exhibet tenuia alta longiuscula, apicibus et curvationibus ornata, cum legum Flaviarum scriptura, qualem Berlangae imagines eodem atque archetypi modulo lapidibus incisae monstrant. Itaque quod et ex rebus et ex sermone Mommsenus infra demonstravit comprobatur item forma litterarum, scilicet publice propositam esse hanc legem Iuliam non eo quo lata est tempore, sed saeculo fere primo exeunte.

Aem. Hübner.

. . . .
erit, tum quicumque decurio augur pontifex huiusque | col(oniae) domicilium in ea col(onia) oppido propiusve it oppidum p(assus) ∞ | non habebit annis V proxumis, unde pignus eius quot satis | sit capi possit, is in ea col(onia) augur pontif(ex) decurio ne es|to, qui[q]ue IIviri in ea col(onia) erunt, eius nomen de decurio|nibus sacerdotibusque de tabulis publicis eximendum | curanto, u(ti) q(uod) r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet), idq(ue) eos IIvir(os) s(ine) f(raude) s(ua) f(acere) l(iceto).

XCII IIviri quicumque in ea colon(ia) mag(istratum) habebunt, ei de legatio|nibus publice mittendis ad decuriones referunto, cum | m(aior) p(ars) decurion(um) eius colon(iae) aderit, quotque de his rebus | maior pars eorum qui tum aderunt constituerit, | it ius ratumque esto. Quamque legationem ex h(ac) l(ege) exve | d(ecurionum) d(ecreto), quot ex h(ac) l(ege) factum erit, obire oportuerit | neque obierit qui lectus erit, is pro se vicarium ex eo | ordine, uti hac lege de(curionum)ve [decreto] d(ari) o(portet), dato. Ni ita dederit, in | res sin(gulas), quotiens ita non fecerit, (sestertium X milia) colon(is) hu|iusque col(oniae) d(are) d(amnas) e(sto) eiusque pecuniae [q]ui volet petitio | persecutioque esto.

XCIII Quicumque IIvir post colon(iam) deductam factus creatusve | erit quive [praef(ectus)] ab IIvir(o) e lege huius coloniae relic|tus

Quae leguntur intra uncos [ ], ea aut non leguntur in aere eo loco hiante, aut aliter in eo leguntur. Hoc ubi evenit, in aere quid sit in adnotatione perscriptum est. Interpolationes, quae quidem aut sententiam aut orationem turbent, indicavimus lineola subducta. — **1**, 1—7 *proponuntur in tabula* || 2 e[ius] col(oniae) *B*(*erlanga*) || 5 quique] *B*: QVIVE || 6 EXIMENDM || 7 idq(ue)] ·I·DQ· || 14 OBI·ERIT || 15 decreto] *B*: *om.* || 16 [illegible] || 17 qui] CVI || 20 praef(ectus)] PRAEF QVI

Tab. I
erit, is de loco publico neve pro loco publico neve | ab redemp- 1, 22
tore mancipe praed(e)ve donum munus mercedem | aliutve quid 23
kapito neve accipito neve facito, quo | quid ex ea re at se suo- 24
rumve quem perveniat. Qui at|versus ea fecerit, is (sestertium 25
XX milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) d(are) d(am-
nas) e(sto), eius|que pecuniae [q]ui volet petitio persecutioque 26
esto.

XCIIII Ne quis in hac colon(ia) ius dicito n[e]ve cuius in ea colon(ia) | iuris 27. 28
dictio esto nisi IIvir(i) aut quem IIvi[r] praef(ectum) | reliquerit 29
aut aedil(is), uti h(ac) l(ege) o(portebit). Neve quis pro eo | im- 30
per(io) potestat(e)ve facito, quo quis in ea colonia | ius dicat, 31
nisi quem ex h(ac) l(ege) dicere oportebit.

XCV Qui reciperatores dati erunt, si eo die quo iussi erunt | non iudicabunt, 32. 33
IIvir praef(ectus)ve ubi e(a) r(es) a(gitur) eos rec(iperatores) |
eumque cuius res a(gitur) adesse iubeto diemque cer||tum dicito, 34. 2, 1
quo die atsint, usque ateo, dum e(a) r(es) | iudicata erit, facito- 2
que, uti e(a) r(es) in diebus XX | proxumis, quibus d(e) e(a) 3
r(e) rec(iperatores) dati iussive e|runt iudicare, iudic(etur), u(ti) 4
q(uod) r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet). Testibusque | in eam rem 5
publice dum ta[xa]t h(ominibus) XX, qui colon(i) | incolaeve 6
erunt, quibus [i]s qu[i] rem quaere[t] | volet, denuntietur facito. 7
Quibusq(ue) ita tes|timonium [d]enuntiatum erit quique in tes|- 8
timonio dicendo nominati erunt, curato, | uti at it iudicium at- 9. 10
sint. Testimoniumq(ue), | si quis quit earum rer(um), quae res 11
tum age|tur, sciet aut audierit, iuratus dicat faci|to, uti q(uod) 12. 13
r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet), dum ne omnino amplius | h(omi- 14
nes) XX in iudicia singula testimonium dice|re cogantur. Neve 15
quem invitum testimo|nium dicere cogito, [q]ui ei, [cuia] r(es) 16
tum age|tur, gener socer, vitricus privignus, patron(us) | lib(er- 17. 18
tus), consobrinus [sit] propiusve eum ea cogna|tione atfinitat[e]ve 19
contingat. Si IIvir | praef(ectus)ve, qui ea[m] re[m] colon(is) 20
petet, non ade|rit ob eam rem, quot ei morbus sonticus, | vadi- 21. 22
monium, iudicium, sacrificium, funus | familiare feriaeve de[n]i- 23
cales erunt, quo | minus adesse possit, sive is propter magistra|- 24
tus potestatemve p(opuli) R(omani) minus atesse poterit: | quo 25. 26

1, 23 ALIVIVE || 25 HS CCIↃↃ CCIↃↃ || 26 qui] CVI | VOIET || 27 NIVE || **28** **IIvir**] ***B***: IIVIRI || 29 REIIQVERIT | eo] *fortasse* quo || 33 PRAEIVE || **2,** 1 AT EO || **5** **taxat**] TAMT || 6 is qui] HISQVE || 7 quaeret] QVAERERE || 8 denuntiatum] RENVNTIATVM || 16 qui ei cuia] CVI·EI·QVAE; *cf. Cicero Verr. l.* 1, 54, 142: **ut optima condicione** sit is, cuia res est || 13 sit] *B*: *om.* || 19 atfinitateve] ***B***: ATFINITATEMVE || 20 eam rem] EA RE || 21 *post* non aderit *talia videntur* ***excidisse***: **cum de** ea re iudicium fieri oportebit, eo absente de eo cui is **possit** **facesset** reciperatores sortiuntor reiciuntor res iudicator: si non 4 **denicales**] *B*: DEDICALES

T

magis eo absente de eo cui [i]s negotium | facesset recip(eratores) sortiantur reiciantur res iu|dicetur, ex h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur). Si privatus petet et is, cum | de ea re iudicium fieri oportebit, non aderit | neque arbitratu IIvir(i) praef(ecti)ve ubi e(a) r(es) a(getur) excu|sabitur e[i] harum quam causam esse, quo minus | atesse possit, morbum sonticum, vadimonium, | iudicium, sacrificium, funus familiare, feria[s] | de[n]icales eumve propter mag(istratus) potestatemve | p(opuli) R(omam) atesse non poss[e]: post ei earum [rerum, quarum] | h(ac) l(ege) quaestio erit, actio ne esto. Deq(ue) e(a) r(e) siremps || lex resque esto, qu[a]s[i] si neque iudices [d]el[e]cti neq(ue) recip(eratores) | in eam rem dati essent. 2, 32. 3,

XCVI Si quis decurio eius colon(iae) ab IIvir(o) praef(ecto)ve postulabit, | uti ad decuriones referatur, de pecunia publica de|que multis poenisque deque locis agris aedificis | publicis quo [p]acto qu[a]eri iudicarive oporteat: tum | IIvi[r] qui[v]e iure dicundo praerit d(e) e(a) r(e) primo | quoque die decuriones consulito decurionum|que consultum facito fiat, cum non minus m(aior) p(ars) | decurionum atsit, cum ea re[s] consuletur. Uti m(aior) (pars) | decurionum, qui tum aderint, censuer(int), ita ius | ratumque esto. 11

XCVII Ne quis IIvir neve quis pro potestate in ea colon(ia) | facito neve ad decur(iones) referto neve d(ecurionum) d(ecretum) facito | fiat, quo quis colon(is) colon(iae) patron(us) sit atoptetur|ve praeter eum [c]u[i] c(olonis) a(grorum) d(andorum) a(tsignandorum) i(us) ex lege Iulia est eum|que qui eam colon(iam) deduxerit liberos posteros[q]ue | eorum, nisi de m(aioris) p(artis) decurion(um) [qui tum ad]erunt per tabellam | sententi[a], cum non minus L aderunt, cum e(a) r(es) | consuletur. Qui atversus ea feceri[t], (sestertium V milia) colon(is) | eius colon(iae) d(are) d(amnas) esto, eiusque pecuniae colon(orum) eius | colon(iae) [q]ui volet petitio esto. 13

XCVIII Quamcumque munitionem decuriones huius|ce coloniae decreverint, si m(aior) p(ars) decurionum | atfuerit, cum e(a) r(es) consuletur, eam munitionem | fieri liceto, dum ne amplius in annos sin-g(ulos) in|que homines singulos puberes operas quinas et | in 21 27

2, 26 is] IIS || 31 ei] ET || 33 ferias] FERIAE || **34 denicales]** *B*: DEDICALES || 35 posse] POSSIT | rerum quarum] QVARVM · R · R || **36** SI · REMPS **3**, 1 quasi] QVOS | delecti] RELICTI || 4 VII || 6 pacto quaeri] *Huschkius*: FACTO QVERI || 7 IIvir] *B*: IIVIRI | quive] QVIQVE | iure] *B altero loco, altero* IVRI || 10 CVM *in ipso aere inter versus suppletum est* | res] RE: *ubi in hac lege formula redit* 3, 19. 25. 6, 19. 34, *hoc vocabulum non est perscriptum: in epistula de Bacch. v. 7. 9 est* quom ea res cosoleretur *similiterque in lege Iulia municipali v. 150 et alibi* || 16 cui] QVE || 17 posterosque] POSTEROSVE || **18 qui tum aderunt]** *B*: ERVNT || 19 sententia] *B*: SENTENTIAM || 20 HS ꟾↃↃ || **22 qui]** CVI

Tab. I

iumenta plaustraria iuga sing(ula) operas ter|nas decernant. 3, 29
Eique munitioni aed(iles) qui tum | erunt ex d(ecurionum) d(e- 30
creto) praesunto. Uti decurion(es) censu|erint, ita muniendum 31
curanto, dum ne in|vito eius opera exigatur, qui minor anno- 32
r(um) XIIII | aut maior annor(um) LX natus erit. Qui in ea 33
colon(ia) | intrave eius colon(iae) fines domicilium praedi|umve 34. 35
habebit neque eius colon(iae) colon(us) erit, is ei|dem munitioni 36
uti colon(us) par[e]to.

Quae aquae publicae in oppido colon(iae) Gen(etivae) || adducentur, 37. II. 4, 1
XCVIIII IIvir, qui tum erunt, ad decuriones, | cum duae partes aderunt, 2
referto, per quos agros | aquam ducere liceat. Qua p[ar]s maior 3
decurion(um), | qui tum aderunt, duci decreverint, dum ne | per 4. 5
it aedificium, quot non eius rei causa factum | sit, aqua duca- 6
tur, per eos agros aquam ducere | i(us) p(otestas)que esto, neve 7
quis facito, quo minus ita | aqua ducatur. 8

Si quis colon(us) aquam in privatum caducam du|cere volet isque 9. 10
C at IIvir(um) adierit postulabit|[q]ue, uti ad decurion(es) referat, 11
tum is IIvir, a quo | ita postulatum erit, ad decuriones, cum 12
non mi|nus XXXX aderunt, referto. Si decuriones m(aior) p(ars), 13
qui | tum atfuerint, aquam caducam in privatum duci | censue- 14. 15
rint, ita ea aqua utatur, quot sine priva|t[i] iniuria fiat, i(us) 16
potest(as)que e(sto).

Quicumque comitia magistrat[ib]us creandis subrogan|dis habebit, is 17. 18
CI ne qu[em] eis comitis pro tribu acci|pito neve renuntiato neve 19
renuntiari iubeto, | qui [in] e[a]rum qu[a] causa erit, [e] qua [e]um 20
h(ac) l(ege) in colon(ia) | decurionem nominari creari inve de- 21
curionibus | esse non oporteat non liceat. 22

IIvir qui h(ac) l(ege) quaeret iud(icium)[ve] exercebit, quod iudi- 23
CII cium | uti uno die fiat h(ac) l(ege) praestitu[tu]m non est, ne 24
quis | eorum ante h(oram) I neve post horam XI diei quae- 25
rito | neve iudicium exerceto. Isque IIvir in singul(os) | accu- 26. 27
satores, qui eorum delator erit, ei h(oras) III, qui | subscriptor 28
erit, h(oras) II accusandi potest(atem) facito. Si | quis accusator 29
de suo tempore alteri concesserit, | quot eius cuique concessum 30
erit, eo amplius cui | concessum erit dicendi potest(atem) facito. 31
Qui de suo | tempore alteri concesserit, quot eius cuique con- 32
ces|serit eo minus ei dicendi potest(atem) facito. Quot horas | 33

3, 36 pareto] PARENTO || 4, 1—16 *charta expressos misit B*: 1—8 *proponuntur in tabula* || 3 pars] *B*: PR\S (*sic*) || 11 que] *B*: VE || 13 CVM || 15 EA *in ipso aere inter versus suppletum est* | utatur] *sic aes* || 16 priva|ti] PRIVA|-TIA || 17 magistratibus] *B*: MAGISTRATVS || 18 quem] QVA || 20 in earum qua] *sic fere B ex legis Malacitanae c. LIIII*: EORVM QVAE | e qua eum] QVAE TVM *aes*, qua tum *B*, propter quam eum *lex Malac. l. c.* || 23 ve] *om.* || 24 praestitutum] *B*: PRAESTIIVM

Tab. II

omnino omnib(us) accusatorib(us) in sing(ulas) actiones di|cendi 4, 34. 35
potest(atem) fieri oporteb(it), totidem horas et alte|rum tantum 36
reo quive pro eo dicet in sing(ulas) actiones || dicendi potest(a- 5, 1
tem) facito.

Quicumque in col(onia) Genet(iva) IIvir praef(ectus)ve i(ure) d(icundo) 2
CIII praerit, [eum] colon(os) | incolasque contributos quocumque tem- 3
pore colon(iae) fin(ium) | [tu]endorum causa armatos educere 4
decurion(es) cen(suerint), | quot m(aior) p(ars) qui tum aderunt 5
decreverint, id e(i) s(ine) f(raude) s(ua) f(acere) l(iceto). [Ei]|que 6
IIvir(o) aut [q]uem IIvir armatis praefecerit idem | ius eadem- 7
que anim[a]dversio esto, uti tr(ibuno) mil(itum) p(opuli) R(omani)
in | exercitu p(opuli) R(omani) est, itque e(i) s(ine) f(raude) 8
s(ua) f(accre) l(iceto) i(us) p(otestas)que e(sto), dum it, quot |
m(aior) p(ars) decurionum decreverit qui tum aderunt, fiat. 9

Qui limites decumanique intra fines c(oloniae) G(enetivae) deducti 10
CIIII facti|que erunt, quaecumque fossae limitales in eo agro erunt, | 11
qui iussu C. Caesaris dict(atoris) imp(eratoris) et lege Antonia 12
senat(us)que | c(onsulto) pl(ebi)que sc(ito) ager datus atsignatus 13
erit, ne quis limites | decumanosque opsaeptos neve quit immo- 14
litum neve | quit ibi opsaeptum habeto, neve eos arato, neve eis 15
fossas | opturato neve opsaepito, quo minus suo itinere aqua | 16
ire fluere possit. Si quis atversus ea quit fecerit, is in | res sin- 17. 18
g(ulas), quotienscumq(ue) fecerit, (sestertios mille) c(olonis) c(o-
loniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) esto | eiusque pecu- 19
n(iae) [q]ui volet petitio p(ersecutio)q(ue) esto.

5, 2 eum] IS: *malim* quocumque tempore eum colonos incolasque contributosque || 3 contributos] contributosque *Huschkius probabiliter* || 4 tuendorum] *sic aut* defendendorum *scr.*: DIVIDENDORVM || 5 eique] ISQVE || 6 quem] *B*: DVEM || 7 animadversio] ANIMA · ADVERSIO | MII || 10 DECVMANIQVE | FACII || 13 ACER || 15 eis] *aes cum Arcer.*, eas *Guelf.* | AS *in* FOSSAS *contignatae* || 17 QVII || 18 HS ∞ | CCC || 19 qui] CVI

LEGIS MAMILIAE ROSCIAE PEDVCAEAE ALLIENAE FABIAE C. LIIII (p. 262 Lachm.)

Qui limites decumanique hac lege deducti | erunt, quaecumque 10.
fossae limites[1]) in eo agro erunt, | qui | ager hac lege[2]) datus 12.
adsignatus erit, ne quis eos limites | decumanosve[3]) obsaeptos neve
quid in eis[4]) molitum neve | quid ibi oppositum[5]) habeto, neve
eos arato, neve eis fossas | opturato neve qui saepito[6]), quo
minus suo itinere aqua | ire fluere possit. Si quis adversus ea
quid fecerit,[7]) in | res singulas, quotienscumque fecerit, VIII · S[8])
colonis municipibusve eis, in quorum agro id factum erit, dare
damnas esto, |[9]) pecuniae qui volet petitio hac lege esto.

[1]) *scr.* limitales [2]) *sic G(uelf.)*, cum *ins. A(rcer).* [3]) *scr.* decumanosque [4]) eis *del.* [5]) *scr.* opsaeptum [6]) *scr.* neve opsaepito [7]) *ins.* is [8]) *sic A*, SS IIII *G*, *scr.* HS ∞. [9]) eiusque *ins.*

Tab. II

Si quis quem decurion(um) indignum loci aut ordinis de|curionatus 5, 20. 21
CV esse dic[e]t, praeterquam quot libertinus | erit, et ab IIvir(o) 22
postulabitur, uti de ea re iudici|um reddatur, IIvir, quo de ea 23
re in ius aditum erit, | ius dicito iudiciaque reddito. Isque de- 24
curio, | qui iudicio condemnatus erit, postea decurio | ne esto 25. 26
neve in decurionibus sententiam dici|to neve IIvir(atum) neve 27
aedilitatem petito neve | quis IIvir comitis suffragio eius ratio- 28
nem | habeto neve IIvir(um) neve aedilem renunti|ato neve re- 29. 30
nuntiari sinito.

Quicumque c(olonus) c(oloniae) G(enetivae) erit, quae iussu C. Cae- 31
CVI saris dict(atoris) ded(ucta) | est, ne que[m] in ea col(onia) coe- 32
tum conventum coniu|[*rationem* 33

(*desunt c. CVI finis, CVII—CXXII tota, CXXIII principium*)

IIvir ad quem de ea re in ius aditum erit, ubi iudicibus, apud quos
[CXXIII] *ea res agetur, maiori parti eorum planum factum non erit eum*
de quo iudicium datum est decurionis loco indignum esse, eum Tab. III
qui accusabitur ab his iudicibus eo iudicio absolvi | iubeto. Qui 6, 1. 2
ita absolutus erit, quod iudicium [pr]aevari|cation(is) causa f[ac]- 3
tum non sit, is eo iudicio h(ac) l(ege) absolutus esto.

Si quis decurio c(oloniae) G(enetivae) decurionem c(oloniae) G(ene- 4
CXXIIII tivae) h(ac) l(ege) de indignitate ac|cusabit, eum[que] quem accu- 5
sabit eo iudicio h(ac) l(ege) condemna|rit, is qui quem eo iudicio 6
ex h(ac) l(ege) condemnarit, si volet | in eius locum qui con- 7
demnatus erit sententiam dice|re, ex h(ac) l(ege) liceto itque eum 8
s(ine) f(raude) s(ua) iure lege recteque fa|cere liceto, eiusque is 9
locus in decurionibus sen|tentiae dicendae rogandae h(ac) l(ege) 10
esto.

Quicumque locus ludis decurionibus datus [at]signatus | relictusve 11. 12
CXXV erit, ex quo loco decuriones ludos spectare | o(portebit), ne 13
quis in eo loco, nisi qui tum decurio c(oloniae) G(enetivae) erit
qui|ve tum magist[r]atus imperium potestatemve colono[r(um)] | 14
suffragio geret iussuque C. Caesaris dict(atoris) co(n)s(ulis) prove | 15
co(n)s(ule) habebit, quive pro quo imperio potestateve tum | in 16. 17
col(onia) Gen(etiva) erit, quibusque locus in decurionum loco |
ex d(ecreto) d(ecurionum) col(oniae) Gen(etivae) d(ari) o(por- 18
tebit), quod decuriones de[c]r(everint), cum non minus | dimidia 19
pars decurionum adfuerit cum e(a) r(es) consulta erit, | Ne quis 20

5, 31 DICI || **32** ne quem] NEQVE || **6, 1—3** *proponuntur in tabula* || **3** factum] *B*: FQCTVM || **5** que] *B a me monitus: om.* || 11 atsignatus] DE-SIGNATVS || **13** eo] IO || **16** TVM || **18** DECVRIONIS | decr] *B*: DER

Tab

praeter eos, qui s(upra) s(cripti) s(unt), qui locus decurionibus da|tus atsignatus relictusve erit, in eo loco sedeto neve | quis 6, I
alium in ea loca sessum ducito neve sessum [d]uci | iubeto s[c](iens) d(olo) m(alo). Si quis adversu[s] ea sederit sc(iens) d(olo) m(alo) [siv]e | quis atversus ea sessum duxerit ducive iusserit sc(iens) d(olo) malo, | is in res sing(ulas), quotienscumque quit d(e) e(a) r(e) atversus ea | fecerit, (sestertium V milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) esto, eiusque pecuniae [q]ui eorum | volet reciperatorio) iudicio aput IIvir(um) praef(ectum)ve actio petitio perse|cutio ex [h(ac) l(ege)] i(us) potest(as)que e(sto).

CXXVI IIvir, aed(ilis), praef(ectus) quicumque c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) ludos scaenicos faciet, si|ve quis alius c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) ludos scaenicos faciet, colonos Gene[t]i|vos incolasque hospites[que] atventoresque ita sessum du|cito, ita locum dato distribuito atsignato, uti d(e) e(a) r(e) de | eo loco dando atsignando decuriones, cum non min(us) | L decuriones, cum e(a) r(es) c(onsuletur), in decurionibus adfuerint, | decreverint statuerint s(ine) do(lo) m(alo). Quot ita ab decurionib(us) | de loco dando atsignando statu[tum] decretum erit, | it h(ac) l(ege) i(us) r(atum)q(ue) esto. Neve is qui ludos faciet aliter aliove | modo sessum ducito neve duci iubeto neve locum dato | ne[ve] dari iubeto neve locum attribuito neve attribui | iubeto neve locum atsignato neve atsignari iubeto ne|ve quit facito, qu[o] aliter aliove modo, adque uti | locus datus atsignatus attributusve erit, sedeant, ne|ve facito, quo quis alieno loco sedeat, sc(iens) d(olo) m(alo). Qui atver|sus ea fecerit, is in re[s] singulas, quotien[sc]umque quit | atversus ea fecerit, (sestertium V milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) e(sto) eiu[squ]e pecuni|ae [q]ui volet rec(iperatorio) iudicio aput IIvir(um) pr[a]ef(ectum)ve actio pe|titio persecutioque h(ac) l(ege) ius potestasque esto.

CXXVII Quicumque ludi scaenici c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) fient, ne quis in or||chestram ludorum spectandor(um) causa praeter mag(istra- 7
tus) | prove mag(istratu) p(opuli) R(omani) quive i(ure) d(icundo) pr(aerit) [e]t si quis senator p(opuli) R(omani) est erit | fuerit et si quis senatoris f(ilius) p(opuli) R(omani) est erit fuerit et si | quis praef(ectus) fabrum eius mag(istratus) prove

6, 23 sciens dolo malo] S·D·M | adversus] *B*: ADVERSVSVE || **26 HS Iↄↄ** | qui] CVI || 29 faciet] FACIEI || 31 hospitesque] HOSPITES || 36 **statutum] STATVENDO**: attribuendo statutum *Hübner* || 37 i. r. q.] ***perscriptum legitur*** *7, 24, item in lege Rubria* 1, 20 || 39 neve] NE || 41 quo] QVOD || **45 HS** Iↄↄ || 46 qui] CVI | AIVT | petitio] IE|TITIO

Tab. III
magistrat[u], | qui provinc(iarum) Hispaniar(um) ulteriorem Bae- 7, 5
ticae pra|erit obtinebit, er[i]t et quos ex h(ac) l(ege) decurio- 6
n(um) loco | decurionem sedere oportet oportebit, Praeter eos | 7
qui s(upra) s(cripti) s(unt) ne quis in orchestram ludorum | spec- 8. 9
tandorum causa sedeto neve quisque mag(istratus) prove mag(i-
stratu) | p(opuli) R(omani) q(ui) i(ure) d(icundo) p(raerit) ducito 10
neve quem quis sessum ducito | neve in eo loco sedere sinito, 11
uti q(uod) r(ecte) f(actum) e(sse) [v(olet)] s(ine) d(olo) m(alo).

II(vir) aed(ilis) praef(ectus) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) quicum- 12
CXXVIII que erit, is suo quoque anno mag(istratu) | imperioq(ue) facito 13
curato, quod eius fieri poterit, | u(ti) q(uod) r(ecte) f(actum) 14
e(sse) v(olet) s(ine) d(olo) m(alo), mag(istri) ad fana templa
delubra, que[m] | ad modum decuriones censuerin[t], suo qu[o]|- 15
que anno fiant e[i]qu[e] d(ecurionum) d(ecreto) suo quoque anno | 16
ludos circenses, sacr[i]ficia, pulvinariaque | facienda curent, que[m] 17. 18
ad modum quitquit de iis | rebus mag(istris) creandis, [lu]dis 19
circensibus facien|dis, sacrificiis procu[r]andis, pulvinaribus fa|- 20
ciendis decuriones statuerint decreverint, | ea omnia ita fiant. 21. 22
Deque iis omnibus rebus | quae s(upra) s(cripta) s(unt) quot- 23
cumque decuriones statuerint | decreverint, it ius ratumque esto, 24
eiq(ue) omnes, | at quos ea res pertinebit, quot quemque eorum | 25
ex h(ac) l(ege) facere opo[r]tebit, faciunto s(ine) d(olo) m(alo). 26
Si quis | atversus ea fecerit, quotiensque quit atver|sus ea fece- 27. 28
rit, (sestertium X milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae)
d(are) d(amnas) e(sto) eiusque pecun(iae) | [q]ui eorum volet 29
rec(iperatorio) iudic(io) aput IIvir(um) | praef(ectum)[ve] actio 30
petitio persecutioq(ue) e(x) h(ac) l(ege) | ius pot(estas) esto. 31

IIvir(i) aediles praefect(us) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) quicum- 32
CXXIX qu[e] erunt decurionesq(ue) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) qui|-
cumq[u]e erunt, ei omnes d(ecurionum) d(ecretis) diligenter pa- 33
rento optemperanto s(ine) d(olo) m(alo) fa|ciuntoque uti quot 34
[que]mq(ue) eor(um) decurionum d(ecreto) agere facere o(por-

7, 4 magistratu] MAGISTRATO || 6 erit] *B* (*add.*): ERVNT || 11 SINITQ | volet] *B*: *om.* | *excidisse clausulam de iudicio vidit B* || 12. 15. 16 suo quoque anno *dictum ut* sui quoiusque anni *in legis Iuliae municipalis v.* 92. 101: *cf. Lachmann ad Lucretium* 2, 37, *Madvig ad Ciceronem de fin.* 5, 17, 46 || 14 V·O·R·F·I·V | quem] QVE || 16 eique] EAQV/ || 18 *fortasse non ea sola insiticia sunt quae expunxi* quitquit *et* ea omnia ita fiant, *sed totum comma* quem ad modum — 23 fiant || 24 EIO || 28 HS CCIↃↃ | CCC || 29 qui] CVI | 29 *fin.* 30 *in. spatium vacat in aere* || 30—43 *charta expressos accepi a Berlanga* || 30 ve] *B*: *om.* || 32—38 *proponuntur in tabula* || 32 QVICVMQVERVNT || 33 QVICVMQE | ei] *sic potius quam* I·I *aes*

Tab.

tebit) ea om|nia agant faciant, uti q(uod) r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet) s(ine) d(olo) m(alo). Si quis ita non fecerit sive quit atver|sus ea fecerit sc(iens) d(olo) m(alo), is in res sing(ulas sestertium X milia) [c(olonis)] c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) esto, eiusque pecuniae [q]ui | [eo]r(um) volet rec(iperatorio) iudic(io) aput IIvir(um) praef(ectum)ve actio petitio persecutioque ex h(ac) l(ege) | ius potestasque e(sto). 7

Ne quis IIvir aed(ilis) praef(ectus) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae)

CXXX quicunque erit ad decurion(es) c(oloniae) G(enetivae) referto neve decurion(es) | consulito neve d(ecretum) d(ecurionum) facito neve d(e) e(a) r(e) in tabulas p(ublicas) referto neve referri iubeto | neve quis decur(io) d(e) e(a) r(e), q(ua) d(e) r(e) a(getur), in decurionib(us) sententiam dicito neve d(ecretum) d(ecurionum) scri|bito, neve in tabulas pu[b]licas referto, neve referundum curato, quo quis | senator senatorisve f(ilius) p(opuli) R(omani) c(oloniae) G(enetivae) patronus atoptetur sumatur fiat nisi de tri|um partium [d(ecurionum)] sentent(ia) per tabellam facito et nisi de eo homine, de quo | tum referetur consuletu[r, d(ecretum)] d(ecurionum) fiat, qui, cum e(a) r(es) a(getur), in Italiam sine imperio privatus | erit. Si quis adversus ea ad [dec]uriones rettulerit d(ecurionum)ve d(ecretum) fecerit faciendumve | curaverit inve tabulas p[ublicas] rettulerit referrive iusserit sive quis in decurionib(us) | sententiam di[x]erit d(ecurionum)ve [d(ecretum) scrips]erit in[ve] tabulas publicas rettulerit referendumve | curaverit, in res sing(ulas) quo[tienscu]mque quit atversus ea fecerit, [is] s(estertium C milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) | d(are) d(amnas) e(sto), eiusque pecuniae [q]ui [eor(um) vole]t rec(iperatorio] iudic(io) aput IIvir(um) interregem praef(ectum) actio | petitio persecutioqu[e ex h(ac) l(ege) i(us) pot]estasque e(sto).

Neve quis IIvir aed(ilis) praef(ectus) [c(oloniae) G(enetivae) I(uliae)

CXXXI quicu]mque erit ad decuriones c(oloniae) G(enetivae) referto neve d(ecuriones) con||sulito neve d(ecretum) d(ecurionum) facito neve 8 d(e) e(a) r(e) in tabulas publicas referto neve referri iubeto |

7, 34 quemque] CNMQ *primum, deinde* CVMQ *in aere legit B: ego in ectypo cernere mihi videor* QEMQ, *sed ut duae primae litterae incertae sint* | ea] *sic tabula*, IA *B p. 49* || 35 IACIANT || 36 HS CCIↃↃ | c(olonis) *om.* | qui eorum] CVI | QR (*sic*) *ectypum, nec quicquam v. 37 in. deest* || 37 AIVT || 39 AD DICVRION || 40 CONSVIITO || 43 c(oloniae) G(enetivae)] CC || 44 decurionum sententia] D·D·SENTEN// | HOMINI || 45 referre consulere decurionum decretum facere *cum supra v. 39 iuxta ponantur, hic quoque interpolatio grassata est*; *potest fuisse* et nisi de eo homine tum referatur consulatur d. d. fiat || 48 inve] IN || 49 CVRAVIRIT | is sestertium C milia] /X HS CCCIↃↃↃ || 50 qui] CVI | AIVT || 52 NIVE

Tab. III
neve quis decurio d(e) e(a) r(e) in decurionib(us) sententiam 8, 2
dicito neve d(ecretum) d(ecurionum) scribito ne|ve in tabulas 3
publicas referto neve referundum curato, quo quis senator | se- 4
natori[s]ve f(ilius) p(opuli) R(omani) c(oloniae) G(enetivae) I(u-
liae) hospes atoptetur, hospitium tesser[a]ve hospitalis cum |
quo fi[at, n]isi de maioris p(artis) decurionum sententia per ta- 5
bellam facito et nisi | de eo [h]omine, de quo tum referetur 6
consuletur, d(ecretum) d(ecurionum) fiat, qui, cum e(a) r(es)
a(getur) in Italiam | sine imperio privatus erit. Si quis ad- 7
versus ea ad decuriones rettulerit d(ecretum)ve | d(ecurionum) 8
fe[c]erit faciendumve curaverit inve tabulas publicas rettulerit
re|f[e]rrive iusserit sive quis in decurionibus sententiam dixerit 9
d(ecretum)ve d(ecurionum) | scripserit in[ve] tabul(as) public(as) 10
rettulerit referendumve curaverit, | [i]s in res sing(ulas), quo- 11
tienscumque quit atversus ea fecerit, (sestertium X milia) c(olo-
nis) c(oloniae) | G(enetivae) Iuliae d(are) d(amnas) e(sto), eius- 12
que pecuniae [q]ui eorum volet recu(peratorio) iudic(io) | aput 13
IIvir(um) pra[e]f(ectum)ve actio petitio persecutioque h(ac) l(ege)
ius potest(as)que esto.

CXXXII Ne quis in c(olonia) G(enetiva) post h(anc) l(egem) datam petitor 14
kandidatus, | quicumque in c(olonia) G(enetiva) I(ulia) mag(i- 15
stratum) petet, [m]agistratu[s] peten|di causa in eo anno, quo 16
quisque anno petitor | kandidatus mag(istratum) petet petitu- 17
rusve erit, mag(istratus) pe|tendi convivia facito neve at cenam 18
que[m] | vocato neve convivium habeto neve facito sc(iens) d(olo) 19
m(alo), | quo qui[s] suae petitionis causa convi[vi]um habeat | 20
ad cenamve que[m] vocet, praeter dum quod ip|se kandidatus 21. 22
petitor in eo anno, [quo] mag(istratum) petat, | vocar[it] dum 23
[taxat in] dies sing(ulos) h(ominum) VIIII convi[vi]um | habeto, 24
si volet, s(ine) d(olo) m(alo). Neve quis petitor kandidatus |
donum munus aliudve quit det largiatur peti|tionis causa sc(iens) 25. 26
d(olo) m(alo). Neve quis alterius petitionis | causa convivia fa- 27
cito neve quem ad cenam voca|to neve convivium habeto, neve 28
quis alterius pe|titionis causa cui quit d[on]um munus aliutve 29
qu[it] | dato donato largito sc(iens) d(olo) m(alo). Si quis at- 30
versus ea | fecerit, (sestertium V milia) c(olonis) c(oloniae) G(e- 31
netivae) I(uliae) d(are) d(amnas) e(sto), eiusque pecuniae [q]ui

8, 4 tesserave] TESSERASVE || 6 fiat] IIAI || 10 inve] IN || 11 cumque quit] CVMOVEOVIT | HS CCIↃↃ || 12 C IVLIAE | 12 *fin. spatium vacat in aere* || 13 praefectusve] PRAFVE *errore opinor typographi* || 17 magistratus] /AGISTRATVSVE || 18 quem] QVEMVE || 20 quis] QVIT | convivium] *B*: CONVIVM || 21 quem] QVEMVE || 22 quo] *B*: *om.* || 23 dum taxat] DVM AM////: amplius *B* | convivium] *B*: CONVIVM || 25 *post* det *ins.* donet *Hübner* || 29 donum] O//VM || 30 dato] DXIO | LARCITO || 31 HS IↃↃ | CCC | qui] CVI

Tab

eor(um) | volet rec(uperatorio) iudic(io) aput IIvir(um) praef(ectum)[ve] actio petitio per|sec(utio)que ex h(ac) l(ege) i(us) potest(as)que esto.

Qui CXXXIII col(oni) Gen(etivi) Iul(ienses) h(ac) l(ege) sunt erunt, eorum omnium uxo|res, quae in c(olonia) G(enetiva) I(ulia) h(ac) l(ege) sunt, eae mulieres legibus c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) vi|rique parento iuraque ex h(ac) l(ege), quaecumque in | hac lege scripta sunt, omnium rerum ex h(ac) l(ege) hab[en]|to s(ine) d(olo) m(alo). 8,

Ne CXXXIV quis IIvir aedil(is) praefectus c(oloniae) G(enetivae), quicumque erit, post | h(anc) l(egem) ad decuriones c(oloniae) G(enetivae) referto neve decuriones consu|lito neve d(ecretum) d(ecurionum) facito neve d(e) e(a) r(e) in tabulas publicas re|ferto neve referri iubeto neve quis decurio, cum e(a) | r(es) a(getur), in decurionibus sententiam dicito neve d(ecretum) d(ecurionum) | scribito neve in tabulas publicas referto nev[e re]|ferundum curato, quo cui pecunia publica a[liutve] | quid honoris habendi causa munerisve d[andi pol]|licendi [prove] statua danda ponenda detur do[*netur* . . . .

. . . .

8, 32 ve] *B*: *om.* || 35 MVLIERIS || 37 habento] HAB//TO || 40 NIVE || 41 NIVE || 47 prove *om.*

COMMENTARIVM.

Colonia Genetiva

Rei publicae, cuius legis partem recuperavimus, nomen fuit *colonia Iulia Genetiva*, quod cum plerumque litteris singularibus significetur, primum vocabulum perscriptum reperitur passim (e. c. 1, 19. 3, 37. 5, 2. 6, 17. 18. 30. 8, 34), secundum sexies (*Gene[t]ivos* 6, 30; *Genet.* 5, 2; *Gen.* 3, 37. 6, 17. 18. 8, 34), tertium ter (*Iuliae* 8, 12; *Iul.* 1, 25. 8, 34). Eam coloniam sitam fuisse in Hispania ulteriore sive Baetica intellegitur ex ipsis tabulis (7, 5). Tabulae autem cum inventae sint prope Osunam[1]), ibi omnino ea colonia fuit, idque confirmant quae praeterea de eo oppido tradita accepimus iam nova claraque luce illustrata. Nam duo nomina ei oppido fuerunt Hispanicum alterum Ursaonis sive Ursonis, a quo id quod hodieque obtinet derivatum est, alterum Latinum apud Plinium 3, 3, 12 sic relatum *Urso quae Genua urbanorum*, significatum autem in titulo satis antiquo vol. II n. 1404 notis his C·C·IVL, ut iam intellegatur hic legendum esse *c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae)*, illic emendandum *Gen[eti]va urbanorum* (cf. p. 133). Berlanga illud intellexit, sed in corrupta forma librorum Plinianorum et ipse adquievit[2]). Deduxisse autem videtur Caesar colonos Ursonem propterea, quod Ursonenses, quippe qui vel post victoriam ad Mundam pertinaciter sese defendissent, sine dubio agro privarat.

Colonia deducta iussu Caesaris dict.

Colonia Genetiva *iussu C. Caesaris dict. deducta est*, ut legitur 5, 31, vel, ut ibidem est paullo ante (5, 12), *iussu C. Caesaris dict. imp. et lege Antonia senat(us)que c(onsulto) pl(ebi)que sc(ito) ager* eius *datus atsignatus* est; magistratus denique commemorantur 6, 15 facti *iussu C. Caesaris dict. cos. prove cos.* Dictator igitur Caesar omnibus locis pariter appellatur; praeterea altero loco *imperator*, altero *consul prove consule*; quorum hoc cum novum accidat, significat Caesarem praeter dictaturam etiam potestatem consularem sibi sumpsisse ita perpetuam, ut quo tempore consul non esset, pro consule ageret. Itaque cum idem fecisse constet Augustum, patrem is in ea re secutus est. — Deductam autem esse coloniam non tam ab ipso Caesare quam iussu eius lege de ea re a M. Antonio lata ex additamento supra relato efficitur. Quocum componenda sunt cum alia testimonia eius modi beneficiorum ex actis Caesaris sive veris sive commenticiis ab Antonio datorum tum maxime quod ait Cicero Philipp. 5, 4, 10: *si quam legem de actis*

---

[1]) Qui aera vendiderunt Infantio cupidi homines locum unde prodiissent accuratius indicare noluerunt; *si cree*, Berlanga ait p. 33, *sin embargo, que hubieron de encontrarse en el camino de la* Via sacra *a la falda de las Canteras que existen en el cerro donde estuvo la antigua Urso, dando occasion al hallazgo el haberse tropezado con ellos labrando un olivar.*

[2]) [Genetivae nomen recte agnovisse Franciscum Matthaeum Gago professorem Hispalensem Berlanga mihi scripsit. Hübner.]

Caesaris confirmandis deve dictatura in perpetuum tollenda deve colonis in agros deducendis tulisse M. Antonius dicitur, easdem leges de integro, ut populum teneant, salvis auspiciis ferri placet. Nam quamquam de colonis in Italia deductis potissimum agi hoc loco constat, nihil impedit, quominus etiam provinciales colonias quasdam Antonius simul confirmarit. Senatus consultum plebique scitum quae deinde commemorantur ad solam coloniam Genetivam videntur pertinuisse eiusque deducendae leges accuratius ordinavisse. — Deducta igitur est colonia vel certe lex perscripta primis post C. Caesaris obitum mensibus; cui tempori recte convenit, quod is nondum *divus* dicitur. Ceterum sunt quaedam in hac lege Caesari vivo aliquantum aptiora quam mortuo; maxime quod in capite de ludis ei qui iussu Caesaris magistratum habebit locus tribuitur, post mortem eius vix scribi potuit. Videtur igitur haec lex vere dictatoris iussu scripta esse nec post mortem eius nisi supplementa quaedam recepisse.

Lex Iulia agraria

Quod scribitur 3, 16 agros eos de quibus hac lege agitur dari adsignari *ex lege Iulia*, eo significatur non lex ipsi coloniae Genetivae data, sed generalis *agraria, quam C. Caesar tulit* (verba sunt Callistrati Dig. 47, 21, 3 pr.). Quam cum dudum demonstraverimus Rudorffius egoque (gromat. 2, 323. 244; cf. Marquardt *Staatsverwaltung* 1, 447) non differre ab ea, cuius capita tria tamquam legis Mamiliae Rosciae Peducaeae Allienae Fabiae corpus gromaticorum p. 263 sq. servavit, iam ea coniectura egregie confirmatur; nam quod caput est legis Mamiliae LIIII, in lege coloniae Genetivae c. CIIII ita redit, ut ubi illa de agro in universum disponit, haec id ipsum de solo Genetivo iisdem verbis repetat. Itaque cum illa sic incipiat: *quae colonia hac lege deducta quodve municipium praefectura forum conciliabulum constitutum erit*, Genetivam apparet unam esse ex rebus publicis ad formam a Caesare propositam ordinatis. Denique qua de re dissensimus Rudorffius et ego, cum ille legem Mamiliam tribueret C. Caesari Tiberii nepoti, ego dictatori, me verum vidisse post legem Genetivae coloniae repertam extra controversiam est.

Lex data

Ipsa lex quam tenemus non rogata est (quamquam remansit 2, 28 formula sollemnis EX·H·L·N·R), sed *data* (8, 14); scilicet iussu Caesaris legeque Antonia aut ipse Antonius aut alius quidam novae coloniae leges dedit, qua de re dixi ad leges Malacitanam et Salpensanam p. 394. Data sit necesse est eo ipso tempore, quo colonia constituta est, id quod confirmant verba 1, 19: *quicumque IIvir post coloniam deductam factus creatusve erit*, ut formulae *post coloniam deductam* et *post hanc legem datam* (8, 14) re non differant.

Tabulae quando scriptae

Scribendi ratio cum ipsius legis aetate parum convenit; nam cum legem scriptam esse a. u. c. 710 demonstraverimus, et grammaticae formae et elementorum figurae tantum abest ut quicquam habeant Caesarianis Augustisque temporibus proprium, ut vulgaris consuetudo saeculi primi exeuntis secundique perpetuo ibi obtineat. Exemplar igitur quod tenemus retractatum sit necesse est et ab iis qui archetypum postea descripserunt recognoveruntque ad suae aetatis usum exactum diligentia et constantia sane mirabili.

Ceterum tabulae prima et secunda quadratarii incuriam quidem perpessae sunt inveniunturque adeo formulae quaedam per universam legem similiter corruptae. Ita notissima illa quae est *pecuniae quei volet petitio esto* omisso ex antiqua consuetudine pronomine demonstrativo[1]) in hac lege perpetuo sic affertur *pecuniae cui volet petitio esto*, quod Latine dici non potest. Pariter antiqua locutio *is cuia res est* invenitur corrupta 2, 16, *feriae denicales* bis (2, 23. 34) mutatae in *dedicales* nescio quas: et alibi quoque, ut 4, 20, eiusmodi formulas tralaticias scriptor non intellectas pessum dedit. Nihilo minus hae tabulae duae non subierunt interpolationem eam quae tertiam diverso opinor tempore exaratam foede corrupit. In ea scilicet passim, ubi enuntiata separantur interiectis determinationibus sermoni legitimo propriis, verba suo loco posita alieno male repetuntur (ita 6, 20. 7, 7. 9. 8, 35). Etiam gravius est, quod legitur 7, 6: *qui provinc(iarum) Hispaniar(um) ulteriorem Baeticae praerit obtinebit*; nam cum eam provinciam Caesaris aetate ulterioris nomen gessisse constet nec Baeticae nomen reperiatur ante imperatores Flavios (Marquardt *Staatsverwaltung* 1, 105), evidenter apparet in ipsa lege scriptum fuisse *qui provinciarum Hispaniarum ulteriorem obtinebit*, verba autem *Baeticae praerit* de sui temporis usu adiecta esse ab interpolatore. Denique eodem videtur referendum esse, quod iudicium de pecunia certa commissa in tabulis

Interpolatio tabularum

duabus prioribus hac forma effertur quater (1, 17. 25. 3, 21. 5, 19):

eiusque pecuniae cui [*immo* qui] volet petitio persecutioque esto.

ante cui *ins.* colon(orum) eius col(oniae) 3, 21 | persecutioque *om.* 3, 21.

in tertia vero septies sic est (6, 26. 45. 7, 29. 37. 50. 8, 13. 21):

eiusque pecuniae cui eorum volet recuperatorio iudicio aput IIvirum [interregem *ins.* 7, 50] praefectumve actio petitio persecutioque ex hac lege ius potestasque esto.

eorum *om.* 6, 46 | que *om.* 6, 28 | ex *om.* 6, 43. 8, 13 | que *om.* 7, 31.

Quarum duarum formularum priorem et lex, quam huiusce quasi matrem esse vidimus, Iulia scilicet agraria confirmat et sermo ratioque, alteram autem ne Latinam quidem esse quivis intellegit, ut hic quoque deprehendatur interpolatio aetatis posterioris. — Itaque cum has tabulas aliquanto post Caesarem dictatorem in aere incisas esse constet, postquam imperator Vespasianus Hispaniae oppida, quae quidem adhuc peregrini iuris essent, Latio donavit, Baeticae certe provinciae universa oppida suas quodque leges publice proponere iussa videntur esse, ut eodem tempore et leges Flaviae incisae sint Salpensae et Malacae et haec Caesaris dictatoris iussu data coloniae Genetivae vel potius huius tabulae prima secundaque. Nam tertia

[1]) Sincera forma reperitur in lege Bantina v. 9, repetundarum v. 18, Iulia municipali v. 19. 97. 107. 125. 141, Iulia agraria sive Mamilia, alibi. Dixit de ea Madvig gramm. Lat. c. 321.

posterioris aetatis est substituta, ut supra monui, exemplaris publice expositi tabulae cuidam casu deperditae.

Orthographica

In orthographicis perpauca inveniuntur notabilia; ex quibus potiora quasi per saturam composita subieci.

1. *t* in fine vocabulorum eorum, quae plerumque in *d* litteram exeunt, sollemne fere est, certe ibi ubi non sequitur *d* littera.

at sequente *c* 8, 18	*ad* sequente *c* 8, 21. 27
sequente *d* 4, 10 (*at IIvirum*)	sequente *d* 1, 9. 3, 4. 14. 4, 1. 11. 12. 7, 39. 46. 52. 8, 7. 40
	sequente *f* 7, 14
sequente *i* 2, 10	
	sequente *m* 7, 15. 18
sequente *q* 7, 25	
sequente *s* 1, 24	
	adducentur 4, 1
ateo 2, 1	
atesse 2, 25. 32. 35	*ader*- 1, 10. 11. 2, 20. 29. 3, 11. 19. 4, 2. 4. 13. 5, 5. 9; *adesse* 1, 34. 2, 24
atfinitate 2. 19	
atfuer- 3, 25. 4, 14.	*adfuer*- 6, 19. 34
	adierit 4, 10; *aditum* 5, 23
atoptetur 3, 15. 7, 43. 8, 4	
	adque 6, 41
atsign- 5, 13. 6, 21. 32. 33. 36. 40 bis. 42	
atsint 2, 1. 10; *atsit* 3, 10	
attrib- 6, 39 bis. 42	
atventores 6, 31	
atversus 1, 24. 3, 20. 5, 17. 6, 24. 25. 43. 45. 7, 27 bis. 35. 49. 8, 11. 30	*adversus* 6, 23. 7, 46. 8, 7
aliut 1, 23. 8, 29	*aliud* 8, 25
aput 6, 27. 46. 7, 29. 37. 50. 8, 13. 32	
it 1, 2. 12. 2, 10. 4, 5. 5, 8 bis. 6, 8. 37. 7, 24	*id* 1, 7. 5, 5
quit 2, 11. 5, 14. 15. 17. 6, 25. 41. 44. 7, 27. 35. 49. 8, 11. 20. 25. 29	*quid* 1, 23. 24. 8, 46
quitquit 7, 18	
quot 1, 3. 10. 13. 2, 21. 4, 5. 15. 30. 32. 33. 5, 5. 8. 21. 6, 35. 7, 25. 34	*quod* 4, 23. 6, 2. 18. 41. 7, 13. 8, 21
quotcumque 7, 23	

2. *p* in vocabulo extremo pro *b* littera reperitur in vocabulis *opsaepire* 5, 14. 15. 16, *optemperare* 7, 33, *opturare* 5, 16; at *obtinere* est 7, 6. Praepositio *ab* neque ubi seorsum effertur neque in compositis, ut *absens* 2, 26, *absolvere* 6, 1. 2. 3, in tenuem exit.
3. *k* pro *c* ante *a*: *kandidatus* 8, 14. 17. 22. 24 — *kapito* 1, 23.
4. *c* et *qu*: *huiusce* 3, 23; *huiusque* 1, 1. 16.
5. *quicumque* per *m* passim invenitur, *quicunque* semel 7, 39 errore non typographi, sed fabri.
6. *im* in compositis pro *in* ante *m*: *immolitum* 5, 14.
7. *u* pro *i* observatur in his:

dicundo 3, 7; *referundum* 7, 42. 8, 3. 44	*dicend*- 2, 9. 4, 31. 33. 34. 5, 1. 6, 10; *dividendorum* 5, 4; *faciend*- 7, 18. 19. 20. 46. 8, 8; *muniendum* 3, 31; *petendi* 8, 15. 17; *referendum* 7, 48. 8, 10; *statuendo* 6, 36
decuman- 5, 10. 14	
proxumis 1, 3. 2, 3	
recu(peratorio) 8, 12	*reciperatores* 1, 32. 2, 27. 3, 1

8. *praerit* 3, 7. 5, 2. 7, 5.
9. *anima. adversio,* id est *animadversio* 5, 7.
10. -*is* dat. abl. pl. 2: *aedificis* 3, 5; *comitis* 4, 28. 5, 28; -*iis* nusquam legitur.
11. *is* praenomen: nom. pl. masc. *ei* est 1, 8. 7, [16.] 24. 33, dat. abl. pl. *eis* 4, 18. 5, 15, *iis* 7, 18. 22; nisi forte faber his locis E litteram neglegentius expressit.
12. *aderint* pro *aderunt* 3, 11, qui soloecismus passim reperitur.
13. *largito* 8, 30 ut *censento* in lege repetundarum v. 77. Similia composuit Madvigius in opusculis 2, 241.
14. *limitalis* pro *limitari* 5, 11.
15. *invito* adverbialiter 3, 31.
16. Divisione vocabulorum ubi opus est, ea fit secundum legem syllabariam; *pra|erit* quod legitur 7, 5 componendum est cum *pra|est* diplomatis Alexandri vol. III p. 893.

A soloecismis aevi posterioris lex fere immunis est; certe quae eo referri possis pauca admodum sunt, ut *aderint* modo allegatum, *queri* pro *quaeri* 3, 6, *queadmodum* bis 7, 14. 18 omissa *m* littera, denique *in Italiam* 7, 45. 8, 6, *in orchestram* 6, 48. 7, 8.

Litteris singularibus is qui legem scripsit usus est aut aliunde notis aut certe, ut *m(aior) p(ars)* 1, 10. 3, 9. 10. 18. 24. 4, 13. 5, 5. 9, *i(us) r(atum)q(ue)* 6, 37, interpretationis facilis certaeque, ut de paucis tantum opus esse visum sit in adnotatione legi subiecta diserte monere. Exceptionem faciunt notae 3, 16, nam tribus litteris A·D·A· quamquam nemo negabit significari *agrum dari adsignari*, reliquae obscuriores sunt et fortasse corruptae. Notae

Conspectus capitum

Conspectum capitum quae supersunt subieci. Res tamen in lege perscriptae fuisse videntur certo ordine nullo; nam hoc si secutus esset qui legem conscripsit, certe c. XCVII. CXXX. CXXXI coniunxisset. Nihilominus apertum est idem argumentum saepe per plura capita continuari, id quod infra in conspectu indicavi. Adieci item ad singula capita enarrationis meae paginam.

. . . . . .	. . . . . .	. . . .	. . . . . .
[XCI]	1, 1—7	Decuriones sacerdotesque in oppido domicilium ut habeant	p. 128. 132. 134 sq. 140
XCII	1, 8—18	De legationibus publice mittendis	p. 137
XCIII	1, 19—26	Duovir ne de loco publico donum capiat	p. 139. 140
XCIIII	1, 27—32	Quibus magistratibus ius dicere liceat	p. 145
XCV	1, 32—3, 2	De iudicio recuperatorio	p. 140 sq.
XCVI	3, 3—12	Decurione postulante duovir de iudicio faciendo ad decuriones referat	p. 138. 141
XCVII	3, 13—22	Patronus coloniae ne fiat nisi decreto decurionum	p. 146 sq.
XCVIII	3, 23—36	De munitione decuriones quomodo decernere oporteat	p. 126. 127. 145
XCVIIII	3, 37—4, 8	De aquis publicis ducendis decuriones quomodo decernere oporteat	p. 137
C	4, 9—16	De aqua caduca in privatum ducenda decuriones decernere oportere	p. 138
CI	4, 17—22	Magistratus ne creetur cui decurionem esse non liceat	p. 125. 132
CII	4, 23—5, 1	De horis accusationis publicae definiendis	p. 144 sq.
CIII	5, 2—9	De colonis armandis	p. 126. 146
CIIII	5, 10—19	Limites fossaeque ne obsaepiantur	p. 120
CV	5, 20—30	Qui ordine indignus iudicatus est, ne decurio sit	p. 132. 133 sq.
CVI	5, 31. 32	Colonus coetum ne faciat	p. 134
. . . . . .	. . . . . .	. . . .	. . . . . .
[CXXIII]	...6, 1—3	Accusatus quomodo absolvatur	p. 134. 144
CXXIIII	6, 4—10	De praemio accusatoris in iudicio de decurionis indignitate	p. 134. 144
CXXV	6, 11—28	Ludis cui ius sit in loco decurionum sedendi	p. 130 sq. 139 [illegible]
CXXVI	6, 29—47	Ludis scaenicis de locis dandis ut decuriones decernant	p. 126. 130 sq. 14[illegible]
CXXVII	6, 48—7, 11	Ludis scaenicis quibus ius sit in orchestra se[illegible]dendi	p. 130 s[illegible]
CXXVIII	7, 12—31	Curatores fanorum quotannis facti ludos ci[illegible]censes sacrificiaque ut faciant	p. 128 sq. 1[illegible]
CXXIX	7, 32—38	Magistratus ut decurionum decretis obtemperent	p. 137

CXXX	7, 39—51	Senator populi Romani quando patronus adoptari possit p. 145. 146 sq.
CXXXI	7, 52—8, 13	Senator populi Romani quando hospes adoptari possit p. 145. 146 sq.
CXXXII	8, 14—33	Petitor largitiones ne faciat neve convivia publica det p. 139 sq.
CXXXIII	8, 34—38	Mulieres colonorum coloniae legibus ut pareant p. 126
CXXXIV	8, 39—47…,	Decuriones ab decretis remuneratoriis ambitiosis ut abstineant p. 138. 145

. . . .

Coloni. Tribus

Colonos divisos esse in tribus inde efficitur, quod magistratus creantur *pro tribu* (4, 18). Eas tribus non fuisse populi Romani, sed proprias coloniae huius vel inde intellegitur, quod Caesaris aetate uni soli ex populi Romani tribubus ut reliquarum coloniarum municipiorumque ita etiam coloniae Genetivae cives adscriptos fuisse certum est et exploratum. Post reperta aera municipiorum Latini iuris Malacae et Salpensae communis opinio obtinuit res publicas formae Romanae omnes distributas fuisse curiatim; ea enim ordinatio et in illis introducta est et alibi passim observatur, maxime in Africa (v. Marquardt *Staatsverwaltung* 1, 467). Iam vero cum negari nequeat coloniam hanc a Caesare dictatore cum eam deduceret tributim ordinatam esse, accedantque tituli coloniae Augustae Lilybaei eam rem publicam duodecim tribuum fuisse declarantes [1]), haud scio an Latinae formae rebus publicis et propterea municipiis tam propriae fuerint curiae quam tribus civium Romanorum coloniis ad ipsius Romae imaginem expressis. Non obstat, quod in oppidis Africanis tam municipiis quam coloniis solae curiae inveniuntur; nam ea aetate, qua instituta Romana in Africam migraverunt, coloniae municipiique proprietates per contaminationem formae utriusque iam aut evanuerant aut evanescebant. Ceterum curias tribusque nomine magis quam re differre et alibi demonstravi et notum est hodie pervulgatumque.

Incolae

Incolae commemorantur quater, scilicet ubi agitur de iure testimonii denuntiandi 2, 6, et ubi agitur de munitione et de defensione coloniae 3, 33.

---

[1]) Inventi ibi sunt tituli duo (Torremuzza cl. 2 n. 8 [= Orelli 3718]. 9), quos proconsuli Siciliae cuidam filioque eius posuerunt *XII trib(us)* tertiusque quem alii cuidam fecerunt *tribules trib. Iovis Aug.* Coloniam Lilybaeum deductam esse ab Augusto demonstravit Henzenus (ann. inst. 1857 p. 115); unum addo in titulo corrupto Reines. 3, 28, unde quidam efficere voluerunt coloniae eius cognomen sive Helviae sive Aeliae, in eo quod traditur a primario auctore Gualtero RESP COIHELY AVG LILYBIT latere. COL· FEL ◦ · AVG · LILYBIT.

5, 3 et ubi agitur de spectaculis 6, 30, ut in his omnibus colonis aequiparentur; id quod in spectaculis item pervenit ad *hospites adventoresque* eadem fere formula, quae balneis publicis inscribi solebat[1]). — Ubi agitur de colonia armis defendenda cum *incolae* dicantur *contributi*, videntur ibi intellegi non tam cives Romani originis diversae Ursone degentes (quamquam hos quoque ad defendendam coloniam adhibitos esse consentaneum est) quam populi sive Latini iuris sive peregrini novae coloniae attributi eo iure, quo Carnos Catalosque Tergestinis, Camunnos Brixianis Augustus attribuit[2]); sollemne enim est in his attribuendi sive contribuendi vocabulum, nec negari potest incolarum nomine etiam eiusmodi homines recte comprehendi. Quamquam recte fortasse Huschkius suasit ut emendetur *colon(os) incolasque contributos[que]*, ut addita particula incolae sint qui semper ita appellantur, contributi autem ab incolis distinguantur. — Eo autem loco quo de munitionibus agitur cum sic perscriptum sit: *qui in ea colonia intrave eius coloniae fines domicilium praediumve habebit neque eius coloniae colonus erit*, apparet plenius significari cum incolas tum possessores eos, qui nec cives nec incolae essent. — Denique quod aliunde quoque noramus civium uxores originis alienae in mariti civitate incolarum loco fuisse[3]), id etiam huius legis c. CXXXIII cavetur. Nam *legibus coloniae virique parere*, quamdiu matrimonium durat, idem est atque incolam esse.

Colonorum uxores

Munera colonorum incolarumque duo commemorantur notabilia omnino, scilicet militia 5, 2 sq. et munitio 3, 23 sq. Illam adhuc credidimus locum inter munera municipalia nullum habuisse; scilicet cum magistratibus populi Romani ius esset quibuscumque vellent sive civibus sive peregrinis militiae indicendae tam iusto delectu quam tumultuario, coloniarum municipiorumque magistratibus id ipsum nequaquam licuisse. Iam vero edocemur coloniae civium Romanorum in Hispania a dictatore Caesare deductae decurionibus, cum fines coloniae hostis invasisset invasurusve esset, ius fuisse de ea re decernendi decretoque facto licuisse IIviro eive, quem is suo loco armatis praefecisset, colonos incolasque qui arma ferre possent evocare educereque eique IIviro praefectove eius animadvertendi in milites idem ius fuisse, quod est tribuno militum in exercitu populi Romani. Scilicet *κύριός ἐστι*, Polybius[4]) ait, *καὶ ζημιῶν ὁ χιλίαρχος καὶ ἐνεχυριάζων καὶ μαστιγῶν*, poenae

Militia

---

1) Titulus Interamnae Praetuttianorum repertus (I. N. 6149 = Henzen 6962) sic habet: *Q. C. Poppaeei Q. f. patron(i) municipi et coloniai municipibus, coloneis, incoleis, hospitibus, adventoribus lavationem in perpetuom de sua pecunia dant.* Similes sunt Vercellensis (Bruzza *iscr. Vercell.* p. 43 = C. I. L. V, 6668), Praenestinus (Orelli 3326), Suasanus (Orell. 2287), nisi quod adduntur in Praenestino *servi eorum*, in Suasano *uxsores servei ancillaeque eorum.*

2) Marquardt *Staatsverwaltung* 1, 7. Cf. C. I. L. V p. 53. 440.

3) Dig. 50, 1, 38, 3: *mulierem quamdiu nupta est incolam eiusdem civitatis videri, cuius maritus eius est et ibi, unde originem trahit, non cogi muneribus fungi.* Kuhn *städt. Verfassung* 1, 16.

4) 6, 37, 8. Cf. Macer Dig. 49, 16, 12, 2: *officium tribunorum est .... delicta secundum suae auctoritatis modum castigare.*

autem supra multam pignera verbera, puta capitis vel ignominiosae missionis ius ei non est. Haec constitutio utrum ad universas eius aetatis Romanae formae res publicas perveniat, an propter condicionem peculiarem oppidi conditi in media Hispania ulteriore provincia parum etiamtum pacata recepta sit, determinari non potest; sed etsi hoc praeferas, certe quae eodem loco essent colonias municipiaque provinciarum longinquarum eo iure non magis caruisse consentaneum est.

Etiam de munitione quae caventur c. XCVIII (3, 23—36) tam novitate sua quam primitiva vetustate commendantur. Opera publica cum posteriore tempore perficerentur fere per redemptores, antiquissima consuetudo quae ipsis urbis moenibus nomen dedit, operarum tam hominum quam animalium ab ipsis civibus exigendarum ita oblitterata est, ut apud auctores quos habemus exilia tantum eius vestigia deprehendantur, maxime ubi agitur de via munienda[1]). Secundum hanc legem res ita ordinatur, ut decurionum sit decernere de muniendo; ita enim lex loquitur vetusto more, ut ipsum opus ne enuntiet, immo complectatur quascumque operas homines qualescumque animaliave facere possint, sive de via sternenda agitur sive de moenibus faciendis sive de aedificio aliquo extruendo. Indicuntur operae patrimoniis ad exemplum munerum eorum, quae, ut ait iuris auctor[2]), *et hi qui neque municipes neque incolae sunt adgnoscere coguntur*: scilicet tam cives et incolae, etsi possessores non sunt, quam possessores, etsi neque cives sunt neque incolae, ad munitionem compelluntur. Negotium iniunctum duplex est: quicumque iumenta plaustraria habet, in iuga singula ternas per annum operas praestare cogitur; quicumque manu operam facere potest et annos natus est plus XIIII, minus LX quive servos habet ei operae pares eiusdemque aetatis[3]), in singulos homines quinas per annum operas praestare. Ad hanc legem quae proxime accedat, constitutio est a. 417 (Cod. Th. 15, 3, 5 = C. Iust. 10, 25, 2) haec: *per Bithyniam ceterasque provincias possessores et reparationi publici aggeris et ceteris eiusmodi muneribus pro iugorum numero vel capitum, quae possidere noscuntur, adstringi cogantur*; ubi iuga ad animalia spectare videntur, capita ad servos. Finitum fuisse eiusmodi operarum numerum per singulos annos exigendarum nunc primum certiores facti sumus. Aetatis termini cum per se notissimi sint, de anno XIIII pubertatis initio legitimo omnium quae habemus testimoniorum hoc ni Munitio

---

[1]) Cicero pro Fonteio 8 [4] enarrat viae Domitiae munitionem factam iussu M. Fonteii proconsulis Galliae: *coacti sunt munire omnes et multorum opera improbata sunt* et quae sequuntur. Siculus Flaccus p. 146 postquam dixit de viis publicis quae per redemptores munirentur, *vicinales*, inquit, *aliter muniuntur per pagos, id est per magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt.* Cf. Cato de r. r. 2, 4. Cod. Theod. 15, 3. Kuhn *städt. Verf.* 1, 62.

[2]) Dig. 50, 4, 18, 22.

[3]) Nam verba *in homines singulos puberes* videntur complecti tam liberos quam servos.

fallor antiquissimum est[1]). Item sexagesimum annum cum leges recentiores de re municipali plane ignorent, antiquitus eum finem fuisse constat munerum publicorum principiumque iustae immunitatis[2]).

Pontifices, augures

Sacerdotum collegia duo sola commemorantur augurum pontificumque (1, 1), quae notum est etiam in re publica Romana sola fuisse ipsi aequalia nec defuisse in ulla ad eius similitudinem instituta. Commemorantur autem ita, ut inde appareat a sacerdotibus illis pariter atque a decurionibus magistratum pignus capere potuisse, si qui eorum officio fungi detrectaret; quod Romae quoque obtinuisse Cicero significat, ubi ait[3]) tribunum plebis pontifici *vel denuntiare* potuisse *vel etiam cogere.*

Cura fanorum

At novum omnino accidit quod c. CXXVIII perscriptum est de cura publica fanorum templorum delubrorum, scilicet singulis annis IIviros ex decurionum decreto ad singula fana magistros facere oportere, qui magistri ludos circenses, sacrificia, pulvinaria faciant. Nam *magistri fani* quidem aliquoties in lapidibus commemorantur[4]), sed quo loco fuerint, parum noramus, cum praesertim reliquis illustriores magistros Campanos apertum sit quodammodo successisse in locum magistratuum, qui eo tempore Capuae nulli erant, itaque quae de iis traduntur quatenus reliquis quoque apta sint iure dubitari poterat. Iam quod eorum tituli testantur Capuae magistros quotannis refectos esse ludosque edidisse (vol. I p. 159) id ipsum ad omnes fanorum magistros pervenire haec lex ostendit, nec facile posthac quisquam negabit magistros fanorum, quales iam didicimus in colonia Genetiva creari solitos esse, etiam in reliquis coloniis municipiisque sacrorum curam similiter egisse. At et difficilius longe est et multo maioris momenti determi-

---

1) Idem proponit Festus v. pubes p. 250. Iuris auctores Gaius 1, 196 et Ulpianus 11, 28 scholas de termino dissensisse referunt, ut eam quam Caesaris lex opinionem Proculiani secuti sint.

2) Varro apud Nonium p. 523: *cum ... habebant LX annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi.* Auctor ad Herenn. 2, 13, 20: *ut maior annis LX et cui morbus causa est, cognitorem det.* Vide de militari aetate Beckerum enchir. 2, 1, 215. 216, de senatoria ib. 2, 2, 407. — In re municipali quod postea obtinuit munerum civilium immunitatem incipere post annum septuagesimum (Dig. 50, 2, 2, 8. tit. 6. 4 [3]. Kuhn *städt. Verf.* 1, 70), non tam ad operas manu faciendas pertinet quam ac curationes similiaque.

3) De domo 45, 117. Cf. Liv. 33, 42.

4) Orell. 2218 = I. N. 3942: *mag. fani Iunonis.* Orell. 3053 = I. N. 3636: *ma fan. Dian. Tifat.* Non diversi sunt opinor *fanorum curatores* homines ingenui quattu tituli Veronensis (Henzen 5990 = C. I. L. V, 3924; cf. ibidem n. 3310. 5311) simil que alibi (Henzen ind. p. 161).

nare, cura fanorum, scilicet sacrificiorum pulvinarium ludorum circensium, Romae ad quem proprie spectarit. Magistratuum ea non fuit; nam sacra ii non faciunt nisi prout res incidit certam ob causam, et ne ludos quidem edunt nisi votivos et a cura fanorum omnino alienos; contra antiquissimi quique ludi et ex ipsa re sacra oriundi, ut Consualia et Equirria, non fiunt a magistratu ullo. Omnino si qua sacra stata annua paullo plenius cognita habemus, collegium aliquod invenitur eorum curam gerere, sacra facere ludosque edere. Ita Consualia illa edunt pontifices[1]; ita deae Diae sacrificiorum ludorumque curam agit collegium fratrum Arvalium praeside magistro; ita cum aedes Mercurii facta est, propter nova sacra mercatorum sive Mercurialium collegium sub magistris institutum est[2]; ita ludi Capitolini fiunt collegio ad ipsum constituto ex vicinia magistrorum Capitolinorum[3]. Haec collegia sunt ipsi illi magistri fanorum legis Iuliae; nam etiam in titulo Campano a. u. c. 660 (vol. I n. 571) est *conlegium seive magistrei Iovei compagei.* Verum est similem ordinationem parum apparere in diis deabusque iis qui coluntur per flamines; sed accuratius inquirenti hic quoque sese offert. Scilicet ut deae Diae sacra per collegium Arvalium ita fiunt, ut quotannis magister et flamen ex eo collegio creentur, ita dii maiores tres, minores duodecim per pontifices flaminesque ita coluntur, ut magistri locum perpetuo teneat pontifex maximus (cuius vices qui facit cum pro magistro appelletur, ipse magister sit necesse est), singulis autem flamines perpetui attributi sint, quorum maiores certum est collegio pontificum comprehendi, minores probabile. Sed haec accurate et plene enarrare non huius loci est; sufficit primis lineis rem adumbravisse. Scilicet origine res sacra ita ordinata videtur esse, ut qui rebus praeessent reges et deinde consules singulis templis quotannis certum hominum numerum ex vicinia fere delectorum attribuerent, qui sacrificia ludosque procurarent. Mature autem collegia haec ita potissimum constituta sunt, ut in vicem creationis per magistratus quotannis factae cooptatio succederet, sive ita ut officio eo functi fungentesque quotannis adlegerent qui anno proximo in suum locum subirent, ut factum est fortasse in Mercurialibus et Capitolinis, sive ita ut sacerdotes perpetui fierent ea ratione, quae postea obtinuit in pontificibus et

---

[1]) Varro 6, 20 ludos Consualibus ait fieri a sacerdotibus, quo nomine pontifices significari et ex ipso vocabuli usu sequitur et collato loco Tertulliani de spect. 5. Cf. Marquardt enchir. 4, 278 n. 1747.

[2]) Liv. 2, 38: *utri eorum* (consulum) *dedicatio iussu populi data esset, eum ... mercatorum collegium instituere.* In titulo Henzeni n. 6010 reperitur *mag. colleg. Mercurial.* Cf. vol. I p. 206.

[3]) Liv. 5, 20: *ludi Capitolini fierent* (propter Capitolium a Gallia defensum) ... *collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis qui in Capitolio atque in arce habitarent.* In titulis Henzeni n. 6010 et vol. I n. 805 est *mag. colleg. Capitolinor.* sive *mag. Capi*[*tol.*]. Cf. vol. I p. 206 quaeque de collegiis sacrorum causa instituti diligenter exposuit Marquardtius in enchir. 4, 147 sq.

fratribus Arvalibus. Sed etiam Romae fieri potest, ut Caesaris aetate fana fuerint publice dedicata, quibus cum collegia perpetua nulla attributa essent, curatores dandi essent a magistratibus. Immo quae tradita accepimus de magistris vicorum pagorumque cum liberae rei publicae aetatis tum posterioris haud scio an huc pertineant; neque enim hi magistratus sunt qui item sacra curant, sed sacerdotes praeter sacra etiam ad publica quaedam negotia vocati. Ad id exemplum cum coloniae constituerentur, duoviri eorum (nam de aedilibus vide observata p. 145) iubebantur ex decurionum decreto curatores fanorum quotannis quot oporteret facere. — De ipsis caerimoniis hoc solum adnoto antiquissimas esse omnes sacrificia, pulvinaria sive lectisternia[1]), ludos circenses; quibus scaenici non magis adiuncti sunt quam in ludis urbanis antiquissimis Consualibus et Equirribus.

Cura ludorum

De locis ludorum spectandorum causa attribuendis tria capita CXXV. CXXVI. CXXVII ita agunt, ut primum pertineat ad ludos in universum, duo alia ad solos scaenicos. Et hos quidem facere dicuntur magistratus coloniae aliive; illi circenses potissimum esse videntur, maxime opinor ii, quos magistros fanorum lex facere iubet c. CXXVIII (7, 17. 19), quod caput ob id ipsum ea excipit quae de spectaculis sunt[2]).

Decurionum in spectaculis locus

Et decurionibus quidem in ludis spectandis seorsum locum dandum esse cum in universum cavetur c. CXXV (id quod item significatur in lege Iulia municipali[3])), tum in scaenicis ludis c. CXXVII orchestra iis reservatur. Similiter Romae quoque obtinuit. Scilicet in ludis circensibus etsi certa et perpetua loca senatores a Claudio demum acceperunt, seorsum dudum ante spectabant[4]). Plane sic in colonia Genetiva non certa quaedam loca circi decurionum propria fuerunt, sed cum ludi fierent pro re locus quidam decurionibus datus adsignatus relictusve est. At in ludis scaenicis notissimum est in

---

[1]) Intelleguntur sine dubio lectisternia fanorum eorum, *in quibus*, ut ait Livius 36, 1, 2. 42, 30, 8 (cf. 40, 59, 7), *lectisternium maiorem partem anni fieri solet.* Cf. Liv. 5, 52, 6: *in Iovis epulo num alibi quam in Capitolio pulvinar suscipi potest!*

[2]) Propterea etiam ludi ibi praecedunt sacrificia.

[3]) V. 138: *nere quis eorum ludeis cumve gladiatores ibei pugnabunt in loco senatorio decurionum conscriptorum sedeto neve spectato.* Cf. v. 133.

[4]) Dio 60, 7: *καὶ ἑώρων μὲν που καὶ πρότερον ἐν αὐτῷ (τῷ ἱπποδρόμῳ) ἰδίᾳ καὶ κατὰ σφᾶς ὡς ἕκαστοι τό τε βουλευτικὸν καὶ τὸ ἱππικὸν καὶ ὁ ὅμιλος, ἀφ' οὗπερ τοῦτ' ἐνομίσθη, οὐ μέντοι καὶ τεταγμένα σφίσι χωρία ἀπεδέδεικτο· ἀλλὰ τότε ὁ Κλαύδιος τήν τε ἕδραν τὴν νῦν οὖσαν τοῖς βουλευταῖς ἀπέκρινε.* Illam separationem cum Livius 1, 35 ad ipsum circi conditorem retrahat, Dio 55, 22 ad Augustum revocare videtur; quorum illud ad verum propius accedere et Iustini de Massiliensibus narratio (v. p. 131 not. 6) ostendit et haec lex ipsa. Nam sane, nisi Caesaris tempore eiusmodi separatio in urbe obtinuisset, in lege municipali sua hacque coloniae suae eam non posuisset. Non optime de hac r egit Beckerus in enchir. 2, 1, 282; nec L. Friedländer enchir. 4, 497 satis distinxit i de quo tota quaestio pendet ius spectandi in loco separato et ius locorum certoru perpetuorumque. [Ne ea quidem quae post Beckerum et Friedländerum ego de hi rebus exposui in annalibus instituti archaeol. a. 1856 p. 54 ss. cf. 1859 p. 122 quaestionem absolvunt. Hübner.]

urbe a. u. c. 560 senatores non solum promiscue spectare desiisse, sed etiam statum in theatro locum orchestram accepisse[1]), plane ut hac quoque lege cavetur. Simile ius equitibus quoque fuisse nec haec lex significat neque Iulia municipalis, neque aliud eius iuris extra urbem propagati indicium ullum repperi, ut quae de ea re leges latae sunt, ad solam urbem pertinuisse videantur.

Quibus ius sit spectandi inter decuriones

Ut de iure decurionum non promiscue spectandi quae alibi traduntur haec lex confirmat et illustrat, ita primum accuratius determinat, quinam praeter ipsos decuriones ad eius iuris communionem Caesaris scilicet aetate admitterentur. Sunt autem hi.

1. Magistratus prove magistratu coloniae qui sint, ut in curia adsunt, licet ipsi senatores non sint, ita in theatro quoque senatoribus eos adsidere lex cavet 6, 13—17: *quive tum magistratus imperium potestatemve colonorum suffragio geret iussuque C. Caesaris dictatoris consulis prove consule habebit, quive pro quo imperio potestate tum in colonia Genetiva erit.* In urbe magistratibus tam in circo quam in theatro sua loca erant[2]), quae decurionum locis comprehensa fuisse iam intellegitur.

2. Quibus decurionum decreto locus datus est inter decuriones (6, 17—19), ii fere sunt, quibus ornamenta decurionalia data relictave sunt, nam inter ea 'locus senatorius ludis', ut Cicero[3]) ait, sive 'consessus' ab ordine datus, ut est in titulo Lugudunensi[4]), vel praecipuum est.

3. Senatori populi Romani quive senator fuit, item filio eius ius esse in coloniis municipiisve sedendi inter decuriones (7, 2. 3) cum antea quoque obtinuisset, Augustus diligentius sanxit[5]). Idem Polemo Ponti rex, cum inter socios et amicos populi Romani adscriptus esset, in suo regno senatoribus populi Romani permisit[6]). Senator qui fuit cum commemoratur, de damnato praesertim vel a censore ordine moto videtur cogitatum esse.

---

[1]) Vitruv. 5, 6, 2: *in orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata.* Sueton. Aug. 35: *servavitque etiam excusatis insigne vestis et spectandi in orchestra epulandique publice ius.*

[2]) *Staatsrecht* 1, 324.

[3]) Pro Cluent. 47, 132. Cf. quae dixi de ea re *Staatsrecht* 1, 373.

[4]) Henzen 7007: *cui ordo splendidissim. civitat. Albensium consessum dedit.* Centumviri Veientes decernunt, Cn. Caesius Athictus *ut Augustalium numero habeatur liceatque ei omnibus spectaculis municipio nostro bisellio proprio inter Augustales considere cenisque omnibus publicis inter centumviros interesse* (Orell. 4046).

[5]) Sueton. Aug. 44: *spectandi confusissimum ac solutissimum morem correxit ordinavitque, motus iniuria senatoris, quem Puteolis per celeberrimos ludos consessu frequenti nemo receperat: facto igitur decreto patrum, ut, quotiens quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus* cet.

[6]) Dio 53, 25: καὶ προεδρία τοῖς βουλευταῖς ἐν πάσῃ τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ ἐς πάντα τὰ θέατρα ἐδόθη. Massiliensibus post Romam a Gallis liberatam *locus spectaculorum in senatu datus est* (Iustin. 43, 5, 10). Etiam Traianus legatis regum Romae locum in spectaculis dedit inter senatores (Dio 68, 15). Cf. Sueton. Aug. 44.

4. Magistratum populi Romani prove magistratu consentaneum est, etsi senator non sit, exempli causa tribunus militum a populo factus, pariter atque senatorem in decurionum loco sedere (7, 1. 2). Eodem refero eum *qui iure dicundo praerit* (7, 2) qui simul nominatur; scilicet videtur intellegi legatus adsessorve proconsulis, qui cum Caesaris tempore necdum pro magistratu esset (nam postea demum legati ii facti sunt pro praetore), seorsum de eo cavendum fuit.

5. *Praefectus fabrum eius magistratus prove magistratu qui provinciarum Hispaniarum ulteriorem obtinebit* (7, 4) licet equestri loco esset, nihilo minus inter decuriones ei spectandi ius fuit.

Loci dati ludis scaenicis decurionum decreto

Denique quod in ludis scaenicis edendis c. CXXVI eorum domino ita ius datur locorum dandorum, ut si quam legem decuriones ei rei posuerint, ei obtemperandum sit, pertinet id quodammodo ad ambitus leges, quibus de hisce locis dandis diligenter cavebatur[1]), quamquam id ipsum ludos quicumque fierent senatum ita moderatum esse alibi non traditur.

Decuriones

Decurionum vocabulum in lege perpetuum est neque usquam additur, quod additur perpetuo in lege Iulia municipali et passim in Flaviis legibus, *conscriptive*. — Decurio coloniae quinam fieri posset vel non posset in lege perscriptum fuisse inde intellegitur, quod c. CI magistratus eius petitoris comitiis rationem habere vetatur, quem ob quam causam decurionem nominari non liceat, item c. CV qui propter indignitatem ordine motus est, etiam ab honoribus petendis arcetur; ut similiter in lege municipali Caesaris dictatoris[2]) cui ea lege in decurionibus esse non liceat, interdicitur ab honore eo petendo, ex quo in eum ordinem perveniatur. Propter id ipsum cum in aere 1, 1 decuriones augures pontifices annis V proximis postquam facti sint domicilium in urbem transferre iubentur, magistratus non adscribuntur, scilicet IIviraliciis et aediliciis ipso iure inter decuriones adscitis. Sed ea

Ordinis libertini

pars legis, qua continebatur decurio qui fieri posset, ad nos non pervenit; solummodo ex clausula, quae de indignitate decurionis propterea quod

[1]) Cicero pro Murena 32, 67: *dixisti senatus consultum me referente esse factum, ... si gladiatoribus vulgo locus tributus et item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri.* Id deinde enarrat c. 34. 35. Cicero in Vatin. 15, 37: *cum mea lex dilucide vetet biennio quo quis petat petiturusve sit gladiatores dare nisi ex testamento praestituta die.*

[2]) v. 135. Etiam legis Malacitanae c. LIIII magistratum petere vetatur *qui in eorum qua causa erit, propter quam, si c(ivis) R(omanus) esset, in numero decurionum conscriptorumque eum esse non liceret*; quo remittimur ad ipsam legem Iuliam municipalem. V. comm. meum p. 417.

libertinus sit quaestionem fieri vetat (5, 21), hoc intellegitur, cum praeterea decurio fieri non posset nisi ingenuus[1]), in colonia Genetiva etiam libertinos cum ad honores tum in curiam admissos esse. Neque in eo solo oppido id Caesari videtur placuisse. Ex colonia Iulia Curubi, quae in Africa est, nuper innotuit titulus hic[2]): *C. Caesare imp. cos. II[ii]* (a. 709) *L. Pomponius L. l. Malc[us] duo vir V murum oppidi totum ex saxo quadrato aedific(andum) coer(avit).* Nuperrime item Formiis alterum habuimus[3]) eiusdem fere aetatis (nam cui positus est, accensus fuit T. Sextii eius qui Numidiam obtinuit a. u. c. 710—713) *M. Caelii M. l. Philerotis Carthag(ine) aed(ilis), praef(ecti) i. d. ...., IIvir(i) Clupeae bis.* Carthaginem coloniam deductam esse a Caesare notum est; Clupea quoque oppidum Curubi proximum et ipsa inter colonias Iulias videtur fuisse[4]). Tenemus igitur tres colonias easque Iulias Caesaris dictatoris omnes, Ursonem in Hispania ulteriore, Curubim et Clupeam in Africa, ubi praeter consuetudinem libertinis licuerit honores petere et in curia sedere. Iam cum rerum auctores referant Caesarem octoginta civium milibus in transmarinas colonias distributis urbem exhausisse[5]) eosque ex libertino genere maxime traxisse[6]), primum intellegitur, cur in coloniis illis transmarinis cum primum decuriones magistratusque crearentur (nam perpetuo id licuisse nequaquam probabile est) etiam libertini homines pariter atque ingenui ad honores admissi inveniantur. Deinde item patefactum est, colonia Iulia Genetiva quam ob causam dicta sit Urbanorum (v. p. 119).

Decurionem ex ordine eici potuisse poenae nomine iudicio publico populi Romani condemnatum iura quae supersunt satis testantur[7]). At etiam apud magistratus municipales decurionem de indignitate accusari posse eoque iudicio publico condemnatum e senatu eici, qua de re cavetur legis c. CV, omnino novum est; equidem certe non repperi quod constet eo pertinere[8]). Nam quod proxime accedit Pompeia lege de Bithynia provin- Iudicium de indignitate decurionis

1) Lex Malac. c. 54 cum commentario meo p. 416. Marquardt *Staatsverw.* 1, 497.

2) Guérin *voy. en Tunisie* 2, 212. Cf. Marquardt *Staatsverw.* 1, 318 n. 8.

3) *Bullett. dell' instituto* 1873 p. 87.

4) Curubis et Clupeae, quae proximae sunt, condicionem eandem fuisse significat Plinius h. n. 5, 4, 24: *liberum (oppidum) Clupea in promuntorio Mercurio, item libera Curubis.* Denique utraque habuit vel Caesaris tempore duumviros.

5) Sueton. Caes. 42.

6) Strabo 8, 6, 23: (Corinthus) ἀνελήφθη πάλιν ὑπὸ Καίσαρος τοῦ θεοῦ ... ἐποίκους πέμψαντος τοῦ ἀπελευθερικοῦ γένους πλείστους. Idem scribit 17, 3, 15 p. 833 eodem tempore Caesarem Carthaginem misisse ἐποίκους Ῥωμαίων τοὺς προαιρουμένους καὶ τῶν στρατιωτῶν τινας.

7) Ita ordine moventur qui falsum testimonium dixerunt (Paulus s. r. 5, 15, 5 cf. Dig. 48, 10, 13, 1), item abigei (Dig. 47, 14, 1. 3), stellionatus rei (Dig. 47, 20, 3, 3).

8) Quod rescripserunt divi fratres *non admitti contra dicere volentem, quod non recte quis sit creatus decurio, cum initio contra dicere debuerit* (Dig. 50, 2, 13, 3), quamquam apud magistratus municipales contra dicendum fuit, quippe ad quos decurionum creatio spectaret, omnino diversum est ab huius legis iudicio publico.

cia ordinanda sanctum esse, quibus de causis in senatu qui essent a censoribus eicerentur[1], ad censoriam de senatoribus notionem expressum est et ab iudicio publico huiusce legis diversum. Quibus de causis eiusmodi accusatio fieri potuerit, ex legis reliquiis non apparet, quippe quae praeter caput illud generale non habeant nisi duo alia CXXIII de absolutione et CXXIV de praemiis accusatorum in iudicio de indignitate. Capitum autem ordo etsi multis locis in hac lege casu magis quam consilio effectus esse videtur, haec e contrario ita comparata esse invenies, maxime collata lege repetundarum, ubi similiter agitur de reo absolvendo v. 54. 55, de praemiis accusatorum in extrema lege v. 76 sq., ut iudicium de indignitate ordine expositum fuisse videatur a c. CV ad CXXIV, primum eorum postremaque duo superesse, media intercidisse et in his causarum indignitatis enarrationem. Quod si ita est, quae supersunt prima verba c. CVI cum agant de colono qui coetum conventum coniurationem fecerit (quibus verbis maiestatis crimen videtur significari)[2], fortasse id ipsum numerabatur inter causas indignitatis. — Ceterum quod lex accusatori permittit, si ipse decurio sit locumque in ordine inferiorem quam is quem accusat teneat, in condemnati locum ut succedat, expressum est ex legibus Romanis, quarum praemiis accusatores *praetoriam sententiam et praetextam togam* consequi potuisse Cicero[3]) testatur.

Decurionum in oppido domicilium

Ex ipso harum tabularum principio perspicitur decurionem domicilium habere oportuisse in oppido propiusve id oppidum p. M, ut qui non haberet annis V proximis postquam decurio factus est, eius nomen de decurionibus eximendum curare IIviri iuberentur. Oppidum notum est ab urbe ita differre, ut a senatoribus differunt decuriones; significatur ita locus moenibus conclusus[4]) vocabulo minus honorifico et propterea in coloniis municipiisque sollemni.

Pignus captum a decurione

Clausulam illam eo tendere, ut decurio in curiam vocatus si ire nollet, prompte cogi posset a IIviro pignore capto lex significat; neque ignotum est eiusmodi ius magistratus adversus senatorem infrequentem[5]).

---

1) Plinius ep. ad Trai. 114. 115.

2) Cf. Dig. 48, 4, 1, 1: *maiestatis crimen .. est ... quo coetus conventusve fiat*; l. 4: *cuiusque dolo malo iurando quis adactus est, quo adversus rem publicam faciat.*

3) Pro Balbo 25, 57. Dixi de eius modi praemiis ad legis repetundarum v. 77 C. I. L. I p. 70

4) Varro 5, 141: *moenus quo saepiebant oppidum.* Pro eo quod est in aere *in ea col. oppido* recte opinor Berlanga emendavit *in eius col(oniae) oppido*, nam etiam 3, 37 est *quae aquae in oppido colon(iae) Gen(etivae) adducentur.* Plane simile tamen eiusmodi locutionis exemplum alibi non repperi, licet quae de oppido Britannorum Caesar b. Gall. 5, 21 habet, quodammodo etiam coloniae oppido patrocinentur.

5) Cf. Liv. 3, 38: *patrum haud fere quisquam in foro, in urbe rari erant: indignitate rerum cesserant in agros .... postquam citati non conveniebant, dimissi circa domos apparitores simul ad pignora capienda sciscitandumque, num consulto detrectarent. referunt senatum in agris esse.* De multa senatori propter infrequentiam iniungenda dixerunt Becker et Marquardt enchir. 2, 2, 406. 2, 3, 225.

Ipsa autem lex, quam in coloniae suae legibus Caesar posuit, decurionem fieri non posse nisi in urbe degentem redit etiam in iure quod habemus, quamquam adhuc parum intellecta[1]. *Qui in fraudem ordinis*, Ulpianus[2]) ait, *in honoribus gerendis, cum inter eos ad primos honores qui creari possent in civitate numerabantur*[3]), *evitandorum maiorum onerum gratia ad colonos praediorum se transtulerunt, ut minoribus subiciantur, hanc excusationem sibi non paraverunt:* scilicet plane ut in lege est, qui in urbe degit, decurio nominari potest magistratusque creari, in praediis agens communibus tantum civilibus muneribus subiacet, vel, ut rescribit Diocletianus cum collegis[4]), *est verum, qui in territorio alicuius civitatis commorantur, velut incolas ad subeunda munera vel ad capiendos honores non adstringi.* Eodem spectat quod qui extra oppidum in territorio alicubi agit, incola esse modo dicitur[5]), modo ita negatur[6]), ut ne liceat rure degenti oppidi commodis frui[7]). Scilicet incola est ad reliqua, non est incola ad honores similiaque. Ceterum quamquam rure degens nullo tempore ad honores admissus est, inde nequaquam sequitur cuivis liberum fuisse in rure potius quam in oppido agere. Immo eo nomine cives et incolae diversi iuris videntur fuisse, ut illi, si honoribus subeundis pares essent, cogi possent domicilium in oppidum transferre, incolis autem liberum esset et commodis et oneribus urbanorum pariter abstinere. Et de civibus quidem cogitavit Ulpianus eo loco quem primum recitavi, ad incolas autem reliqui auctores respexerunt. Quod confirmat testamenti locus tituli Siccensis[8]) hic: *legi autem debebunt* (inter pueros publice alendos) *municipes, item incolae, dumtaxat incolae, qui intra continentia coloniae nostrae aedificia morabuntur.* — Ita qui toties commemorantur in titulis *municipes intramurani*[9])

Urbani

[1]) Diligentius quam felicius de civium urbanorum rusticorumque condicione diversa egit Kuhn *städt. Verf.* 1, 29 sq.

[2]) Dig. 50, 5, 1, 2.

[3]) *Honores creari possint qui in civitate munerabantur* codex.

[4]) Cod. Iust. 10, 39, 3.

[5]) Pomponius Dig. 50, 16, 239, 3: *nec tantum hi qui in oppido morantur incolae sed etiam qui alicuius oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se quasi in aliquam sedem suam recipiant.*

[6]) Modestinus Dig. 50, 1, 35: εἰδέναι χρὴ ὅτι ὁ ἐν ἀγρῷ καταμένων ἰνκόλας οὐ νομίζεται.

[7]) Modestinus l. c.: ὁ γὰρ ἐκείνης τῆς πόλεως ἐξαιρέτοις μὴ χρώμενος οὕτως οὐ νομίζεται ἰνκόλας. Ulpianus 50, 1, 29, 1: *si quis negotia sua non in colonia* (id est in rure), *sed in municipio semper agit, in illo vendit emit contrahit, in eo foro balineo spectaculis utitur, ibi festos dies celebrat, omnibus denique municipii commodis, nullis coloniarum fruitur, [videtur] ibi magis habere domicilium quam ubi colendi causa deversatur.*

[8]) Guérin *voy. en Tunisie* 2, 59.

[9]) Orelli 110. 3706.

sive *oppidani*[1]) sive *urbani*[2]), eos iam intellegimus etiam iure differre a reliquis. Quid quod cum passim titulos, intra muros scilicet, dedicarit *plebs urbana*, viro primario Veronensi titulum[3]) posuisse invenitur *plebs univer(sa)*, scilicet tam urbana quam rustica, eumque titulum non Veronae proposuit, sed extra urbem Cognolae.

Decreta decurionum quomodo fiant

Decretum decurionum ut iure fiat, plerumque certus numerus ut adsit requiritur. Nam de una tantum re, scilicet hostibus coloniae territorium invadentibus decuriones quotcumque adsunt ut decernant permittitur (5, 5); scilicet ibi periculum est in mora. Altero enim loco (7, 15), ubi de cura templorum agitur, non tam idem permittitur quam numerus decurionum legitimus non enuntiatur. Praeterea singulis locis diserte de eo cavetur neque tamen pariter ubivis. Nam quattuor capitibus requiritur, ut adsit *non minus maior pars* (sic 3, 9) sive *maior pars* (sic 1, 9. 3, 24. 8, 5), uno ut adsit *non minus dimidia pars* (6, 18), duobus, ut adsint *non minus L* (3, 19. 6, 33), quod eodem videtur redire, cum decuriones centum in municipiis esse soleant[4]). Tribus tantum locis numerus dimidio maior minorve exigitur, et duobus quidem maior, *duarum partium* (4, 1) altero, altero *trium partium* (7, 44), uno minor, ut adsint *non minus XXXX* (4, 12). Convenit igitur lex haec Iulia cum municipali Caesaris, quae et ipsa (v. 150) legatos per maiorem partem decurionum creari iubet, receduntque ambae a lege municipali ea quam Ulpianus[5]) scribit cavere, ut ordo non aliter habeatur quam duabus partibus adhibitis, quam legem et edictum Augusti de aquaeductu Venafrano et Flaviae leges Salpensana et Malacitana fere sequuntur[6]). Quapropter haud scio an vetusta lex maiorem tantum decurionum partem requirens ab Augusto demum mutata sit substituto duarum partium numero. Senatum Romanum cum constet ne liberae quidem rei publicae aetate decernere potuisse, nisi ad numerum senatores essent, is numerus qui fuerit non constet[7]), hac lege collata probabile est maiorem partem senatorum adesse debuisse, nisi speciali lege aliqua aut de maiore aut de minore cautum esset.

Eorum senatorum qui adsint ut maior pars consentiat plerumque sufficit, id quod passim (1, 9. 3, 9. 19. 4, 1. 12) diserte enuntiatur. Exceptionem faciunt duo capita de hospite (8, 5) patronoque (7, 44) eligendo; ibi enim non tantum ut adsint maior pars duaeve partes exigitur, sed etiam ut tot numero consentiant. *Per tabellam* ut suffragium feratur, cautum est

1) Henzen 6987.

2) Orelli-Henzen 75. 4052. 6986, item *plebs urbana* passim (vide Henzen ind. p. 150).

3) Vol. V n. 3341 = Henzen 5591.

4) Marquardt *Staatsverwaltung* 1, 502.

5) Dig. 50, 9, 3.

6) V. comm. meum p. 412; Marquardt *Staatsverwaltung* 1, 510.

7) Becker in enchir. 2, 2, 436. 441; Marquardt ib. 2, 3, 225.

de decretis iis, quibus patroni hospitesque fiunt (3, 18. 7, 44. 8, 5); id quod de eadem re legis Malacitanae c. LXI praescribitur. Quod additur ibidem decuriones de ea re sententiam ferre oportere iuratos, lex coloniae Genetivae non habet.

Decurionum decretis ut magistratus teneantur

Decurionum decretis non solum in certis quibusdam negotiis magistratui opus est, sed praeterea c. CXXIX legis (7, 32—38) in universum magistratus quicumque sunt itemque decuriones singuli iis *diligenter parere et obtemperare* iubentur addita multa sestertium denum milium in res singulas, si quis ita non fecerit. Quod ita obtinuisse antea ignorabamus. Nec ab iis qui rerum Romanarum statum penitus cognoscere cupiunt neglegendum est vel dictatore Caesare decurionibus id ius adversus magistratus lege diserte confirmatum esse.

Causae, propter quas magistratus decuriones consulere hac lege iubetur, hae sunt.

1. De munitione colonorum incolarumque quomodo decernant decuriones, supra p. 127 vidimus.

2. De armandis ob incursionem hostilem colonis decernere decuriones item supra p. 126 vidimus.

3. Magistros fanorum a duoviris constitui eorumque sacra ordinari ex decurionum decreto vidimus p. 128.

4. Ludis decuriones et aliis quibusdam personis permittere, ut inter ipsos spectent, et scaenicis certe dominum ludorum loca arbitratu decurionum distribuisse vidimus p. 130.

5. Patronos hospitesque coloniae quomodo adoptentur decurionum decreto, infra p. 146 enarratur.

Legationes

6. De legationibus publice mittendis quae caventur c. XCII (1, 1—18), omnia nota sunt; etiam de iure legati vicarium dandi Papinianus[1]: *Vicarius, inquit, alieni muneris voluntate sua datus ordine suo legationem suscipere .... cogitur.* Quod autem alibi legitur[2]) legatum vicarium dare non posse nisi filium suum, ita videtur accipiendum esse posse eum alium quoque dare consentientem, in filio suo consensum non requiri.

Cura aquarum

7. Ad aquas publicas quod attinet decuriones cum decernunt, per quos agros ducantur (c. XCVIIII 3, 37—4, 8), tum aquam caducam privato petenti concedunt (c. C 4, 9—16). Cum illo capite conferendum est quod scribit Frontinus de aquis c. 128: *maiores nostri admirabili aequitate ne ea quidem eripuerunt privatis quae ad modum publicum*[3]) *pertinebant, sed cum aquas perducerent, si difficilior possessor in parte vendunda fuerat, pro toto agro pecuniam intulerunt et post determinata necessaria loca rursus eum agrum vendiderunt.* Videntur itaque leges de ea re latae curatoribus

[1]) Dig. 50, 16, 14 [13].
[2]) Dig. 50, 16, 5 [4], 4.
[3]) [Ad ductum publicum? Hübner.]

operis hoc certe permisisse, ut aestimatione oblata universum agrum domino etiam nolenti auferrent; fere ut Augusto imperante senatus censuit quodcumque ad aquae ductum reficiendum opus sit ex agris privatorum aestimatum sumi licere (Frontin. l. c. c. 125). Aedificiis tamen in ductu instituendo parci lex iubet; similiter senatus consulto eo quod refert Frontinus c. 127 utraque ex parte aquae ductus quini pedes ita vacui relinqui iubentur, ut in iis locis arbores tollantur praeter eas, quae villis conclusae essent, nec deinceps ullae conserantur, aedificia nulla nova fiant, sed ante facta remaneant. — Caput de aqua caduca plane convenit cum Frontino c. 94: *apud veteres .... omnis aqua in usus publicos erogabatur et cautum ita fuit: 'ne quis privatus aliam [aquam] ducat, quam quae ex lacu humum accidit' — haec enim sunt verba legis — id est quae ex lacu abundavit: eam nos caducam vocamus.* Idem cum addat aquam caducam dari solitam esse aut in usum balnearum fullonicarumve imposito vectigali aut in domos principum civitatis concedentibus reliquis, etiam in urbe de ea aqua senatus pro re decrevisse videtur, ut modo propter publicam utilitatem petenti daretur, modo honoris causa primariis viris concederetur.

Cura pecuniae publicae redituumque publicorum

8. Ad pecuniam publicam reditusque publicos administrandos in hisce tabulis quae spectant non multa, ea hoc loco composuimus.

Capite XCVI duovir iubetur ad decuriones primo quoque die referre de iudicio, quod alicui ex decurionibus de pecunia publica multave in publicum redigenda locove publico instituendum esse videatur.

Capite CXXXIV eorum quae habemus extremo eoque imperfecto de eo, qui civitati honorem aliquem habiturus sit munusve det polliceaturve statuamve aliquam dare ponereve promiserit, cavetur, ne ob eam rem pecunia publica aliudve quid[1]) ei detur donetur. Itaque qui largitionem aliquam civibus facturus est, universam suo sumptu perficiat necesse est neque quicquam in eam rem aerarium contribuat. Comparari potest quod Paulus scribit[2]): *civitatibus legari potest etiam quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet: ad ornatum puta quod ad instruendum forum theatrum stadium legatum fuerit: ad honorem puta quod ad munus edendum venationemve ludos scaenicos ludos circenses relictum fuerit aut quod ad divisionem singulorum civium vel epulum relictum fuerit. hoc amplius quod in alimenta infirmae aetatis, puta senioribus vel pueris puellisque, relictum fuerit, ad honorem civitatis pertinere respondetur.* Neque ipsa res dubia est. *Ambitiosa decreta decurionum,* Ulpianus[3]) ait, *rescindi debent: proinde ut solent, sive aliquem debitorem dimiserint sive largiti sunt sive decreverint de publico alicui vel praedia vel aedes vel certam quantitatem, nihil valebit eiusmodi decretum.* Sed ambitiosum decretum ne tum quidem ratum esse, cum largitionem quodammodo remuneretur, ut non ambigui iuris est, ita, quod sciam, alibi non est testatum.

---

1) Aut, si magis placet, a[*ut pro ea*] *quid*; tabula enim hoc loco hiat.
2) Dig. 30, 122 pr.
3) Dig. 50, 9, 4.

Capite XCIII vetatur duovir praefectusve de loco publico prove loco publico vel a redemptore mancipe praede donum munus mercedem capere. Quod cum expressum videatur ad publica iura populi Romani, quanam lege secundum ea teneatur qui eiusmodi donum accepit difficile dictu est; nam repetundarum crimen sociale est neque aliud ullum aptum. Fortasse cogitandum est de lege ea, quam Cicero[1]) sic effert: *donum ne capiunto neve dantoneve petenda neve gerenda neve gesta potestate*; haec enim ambitu mquidem comprehendit, sed item ad ea dona de quibus quaerimus recte videtur referri. Legem autem Cinciam cum constet prohibuisse, quominus cliens patrono donum munusve daret[2]), eadem alio capite de donis a redemptore magistratui oblatis cavisse potest.

Magistratibus coloniae adscribitur imperium potestasque (*suo quoque anno magistratu imperioque* 7, 16; *quive tum magistratus imperium potestatem .... habebit* 6, 13; cf. 1, 8: *IIviri quicumque in ea colonia magistratum habebunt*). Opponitur ipsi magistratui 6, 16 *qui pro quo imperio potestateve tum in colonia Genetiva erit* similiterque 3, 13 *IIvir* ei qui *pro potestate* est; utroque loco praefectus videtur significari. Quamquam alibi 1, 29 verbis *pro eo imperio potestate* IIvir praefectus aedilisque comprehenduntur. — Verba 6, 13: *quive tum magistratus imperium potestatem colonorum suffragio geret* (*geret* del.) *iussuque C. Caesaris* ... *habebit* si recte tradita sunt, magistratus a colonis ita electi sunt, ut deinde a Caesare confirmarentur; quod quo iure fieri potuerit, nescio, neque ad confirmationem perpetuam stabiliendam satis fuit unius dictatoris C. Caesaris nomen poni. Magistratus, qui primi essent post coloniam deductam, non colonorum suffragiis creatos esse, sed a conditore factos consentaneum est intellegiturque fortasse id ipsum, quamquam tum scribendum est *iussuve*. Magistratus coloniae

Ad petitionem honorum quae pertinent c. CXXXII de largitionibus petitionis causa non faciendis (8, 25. 28), item de conviviis publicis tempore petendi prohibendis aperte in hanc legem translata sunt ex legibus publicis populi Romani de ambitu, quo praeterea probabile est spectare legem de loco ludis non dando nisi ex decurionum decreto (v. p. 132). Tempus petendi est biennium, *quo quis petat petiturusve est*, ut ait lex Tullia de ambitu[3]) itemque haec lex 8, 17, quamquam paullo post v. 23 de eo tantum anno agitur, quo quis magistratum petat. Illo loco annus petitionis futurae Lex de ambitu

---

[1]) De leg. 3, 4, 11.

[2]) Vide quae dixi *röm. Forsch.* 1, 367.

[3]) p. 132 adn. 1. Cf. *Staatsrecht* 1, 408.

distinguitur ab anno petitionis ipsius. — Convivia publica ita prohibita esse, ut candidato per id tempus liceret in singulos dies homines dumtaxat novenos ad cenam vocare, qui numerus iustus est convivii privati[1]), adhuc ignorabamus; cautum autem ita esse videtur post Ciceronem consulem, nam cum is Murenam defendit, publica quidem convivia prohibita erant, sed licitorum convivarum certus numerus nondum definitus[2]).

Duoviri

Magistratus in colonia creabantur duoviri et aediles; quaestores nulli inveniuntur fuitque colonia inter eas res publicas, ubi 'quaestura inter honores non habebatur, sed munus personale erat'[3]). — Duo viri (nam sic nude nominantur semper) quaenam iura habuerint, partim ex iis intellegitur, quae diximus de decretis decurionum; nullum enim fieri potuit nisi referente duumviro, quique ex decurionum decreto fiebant magistri fanorum et legati, ii iubente ordine electi sunt a duoviris. Ius quoque duoviro fuisse praefecti relinquendi infra (p. 146) videbimus, ut supra (p. 126) vidimus ius ei fuisse armatis quem vellet praeficiendi. Etiam vectigalium et ultra tributorum locationem conductionem ut Romae ad censorem, ita in hac colonia ad duoviros pertinuisse inde colligitur, quod hi de loco publico a redemptore mancipe praede donum accipere vetantur (p. 139). Praeterea si cuius decurionis sacerdotisve nomen de tabulis publicis eximendum est, eximunt id duoviri (1, 5). — At omnium maxime duovirum potestas continetur imperio militiae, domi autem iudicio, quorum ne illud quidem duoviris plane defuisse lex primum haec aperuit (v. p. 126). Sed de eo cum supra actum sit, hoc loco restant iudicia de quibus videamus.

Iudicium recuperatorium rei publicae

Iudiciorum duo genera ex hac lege a duoviro exercentur privata et publica. — Privata quaecumque inveniuntur spectant ad multas coloniae commissas recuperatorio iudicio exigendas; nam quamquam recuperatorium esse iudicium non adicitur nisi in tabula tertia locis omnino interpolatis (vide p. 121) 6, 27. 46. 7, 29. 37. 50. 8, 13. 32, de ipsa re interpolatorem recte referre dubitari non potest, nec magis dubium est similibus iudiciis exactas esse eiusdem generis multas quae commemorantur genere iudicii non definito (1, 17. 25. 3, 21. 5, 19). Ad eas causas item pertinent quae c. XCV 1, 32 — 3, 2 de reciperatorio iudicio in universum caventur. Nam quamquam in fine legitur *quasi si neque iudices delecti* (in tabula est *relicti*) *neque reciperatores in eam rem dati essent,* quae praecedunt omnia ad solos recupe-

---

[1]) V. 19 sq.: *Ne .. convivium habeto ... praeter quod ipse kandidatus petitor ... vocarit dum [taxat in] dies singulos h(ominum) VIIII.* Non recte de hora VIIII cogitavit Berlanga. Marquardt *Privatalterth.* 1, 310: *der Umstand, daſs der (Speise-)Tisch ebenso wie das Eſszimmer triclinium heiſst, läſst erkennen, daſs auch das Zimmer ursprünglich nur für neun Gäste berechnet und diese Zahl als normal betrachtet wurde.*

[2]) Nam senatus consultum id de quo dixi enarrans Cicero ait pro Mur. 35, 73: *num (senatus crimen putat) locum ad spectandum dare aut ad prandium invitare? minime, sed 'vulgo'. Quid est vulgo? universos.*

[3]) Dig. 50, 4, 18, 2. Marquardt *Staatsverw.* 1, 492.

ratores respiciunt, neque apparet *iudices* illi quo pertineant, ut non inepte hic quoque de interpolatione cogitari possit; certe quod expectamus hoc est: *quasi si reciperatores in eam rem dati non essent.* Ad rei privatae iudicia recuperatoria quominus item trahamus quae c. XCV leguntur, obstat cum quod ibi ubi agitur de magistratu petente excusando adicitur eum *ex re coloniae petere*, tum maxime (nam hoc additamento significatur quidem iudicium de re publica susceptum, sed non excluditur magistratum privatumve etiam de sua re similiter litem contestari potuisse) testium ratio, quam infra videbimus a privatis iudiciis alienam esse. Denique non sine causa huic capiti subiungitur XCVI, quo duovir iubetur, si cui decurioni de pecunia publica multisve poenisve locove publico quaestio iudiciumve instituendum esse videatur, de ea re primo quoque die ad decuriones referre. — Magistratus, apud quem ita agitur, duovir est praefectusve coloniae, ut est et c. XCV 1, 33 et in locis supra propositis interpolatis, nisi quod in uno eorum 7, 50 accedit interrex. Similiter in lege Caesaris agraria sive Mamilia c. LV de iudicio sestertium V milium in publicum coloniae municipiive propter terminum eiectum inferendorum cautum est sic: *de ea re curatoris qui hac lege erit* (intelleguntur IIIviri coloniae deducendae similesque magistratus) *iuris dictio reciperatorumque datio addictio esto. cum curator hac lege non erit, tum quicumque magistratus in ea colonia municipio praefectura foro conciliabulo iure dicundo praeerit, eius magistratus de ea re iuris dictio iudicisque datio addictio esto.* Iudicem quod dare iubetur magistratus, eo non excluduntur recuperatores, sed generali vocabulo lex hoc loco utitur legum de singulis coloniis postea dandarum iudiciorum ordinationes omnes simul complectens. — Recuperatores ita dantur, ut certo die iudicare iubeantur, eo die si non iudicarint, qui dedit alium diem iis praefiniat, tota tamen causa omnino intra vicesimum diem terminetur. Quae nova sunt omnia; adhuc enim hoc tantum constabat iudicium privatum per recuperatores celerius perfectum esse quam per unum iudicem[1]). Recuperatorum sortitio et reiectio commemorantur 2, 27, accuratius autem non definiuntur. — Ipsa actio sive quaestio (nam quaerendi vocabulo lex de eo iudicio utitur 2, 6. 36. 3, 6) popularis est; petit enim, ut perpetuo in multis adicitur, *qui volet.* Sed lex in ordinandi iudicio distinguit, *si duovir praefectus petet* et *si privatus petet*; quorum illud plerumque factum esse probabile est et propter causam multandi (nam agitur ubivis de delicto publico poenaque in publicum redigenda) et propterea, quod olim apud Romanos solis magistratibus eius generis poenarum petendarum ius fuisse videtur[2]); denique quod 1, 34 IIvir praefectusve et recuperatores et eum cuius res agitur adesse iubet actore omisso, facile explicatur, si quidem ipse magistratus actores partes

---

1) Cicero pro Tull. 10: *reciperatores dare, ut quam primum res iudicaretur.* Divin. in Caecil. 17, 56. Plinius ep. 3, 20, 9. Liv. 26, 48. Gai. 4, 185. In lege agraria v. 37 magistratus decimo die recuperatores dare iubetur, postquam ad eum in ius aditum erit.

2) *Staatsrecht* 1, 141.

sustinuit. Sane per se mirum est IIvirum simul et praetoris et petitoris officio fungi; sed ita in lege cautum est, excusaturque ea iudicii constitutio quodammodo eo, quod cum magistratus qui petit, quo tempore de ea re iudicium fieri oportet, sine iusta causa non adest, eo absente iudicium nihilominus perficitur[1]); satis enim inde intellegitur IIvirum nomine magis quam re actoris partibus functum esse. Nam privatus si similiter abest, non solum iudicium solvitur, sed etiam actor ab hoc genere iudiciorum in perpetuum arcetur.

Excusationes actoris

Excusationes absentis petitoris enumerantur septem: 1) morbus sonticus, 2) vadimonium, 3) iudicium, 4) sacrificium, 5) funus familiare, 6) feriae denicales, 7) magistratus potestasve populi Romani. Harum causarum sex primae videntur proficisci ex ipsis XII tabulis, ubi sic perscriptum fuit in secundae tabulae secunda lege: *morbus sonticus aut status dies cum hoste ... quid*[*quid*] *horum fuit unum iudici arbitrove reove eo die,* [*dies*] *diffisus esto*[2]). Indidem dudum intellectum est pendere causas, propter quas militi facto ad diem non adesse recte licebat, sic relatas apud Gellium: *funus fami liare, feriaeve denicales quae non eius rei causa in eum diem collatae sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve quod sine piaculo praeterire non liceat, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non possit, nisi ipsus eo die ibi sit, vis hostesve, status condictusve dies cum hoste.* Ad singula quod attinet, de morbo sontico exploratum est. Vadimonium coniunctum est cum eo qui in XII tabulis et iuramento militari ponitur *stato die cum hoste*; nam status dies cum hoste, si quid video, ipsum est vadimonium factum cum peregrino. Iudicium a iuramento abest sine dubio propterea quod eo nomine miles apud iudicem excusatur, non excusatur apud ducem. Sacrificium, funus familiare, feriae denicales redeunt in iurisiurandi formula. Septima autem excusatio propria est iudicio municipali, ut scilicet quicumque propter magistratum publicum populi Romani id obire nequit, perinde excusetur. — Denique non omittendum est de his petitoris excusationibus, certe ubi petitor privatus est, non recuperatores cognoscere, sed magistratum, apud quem ea res agitur (2, 30).

Testium denuntiatio

Duo genera, Quintilianus[3]) ait, *sunt testium, aut voluntariorum aut eorum, quibus in iudiciis publicis lege denuntiari solet; quorum altero pars utraque*

---

[1]) Nam supplementum quod adscripsi ad 2, 21, argumento a contrario omnino requiritur. IIviro absente ex iusta causa cum res integra in aliam diem reservetur, ubi abest ex causa non iusta, res absente eo peracta sit necesse est. Causa enim cadere eum non est probabile; nam hoc posito nihil interesset inter magistratum privatumque, quos tamen lex accurate distinguit. Denique iure communi cum iudicio constituto petitor abest, is autem quocum agitur adest, iudicium perficitur (Dig. 40, 12, 27, 1. 42, 2, 6, 3. 49, 1, 28 pr. Keller *Civilprozess* p. 297).

[2]) Schoell XII tabb. p. 120. Reiecta Cuiacii emendatione *vitium* pro eo quod est *unum* omnino perversa (nam excusatio non est vitium) *quid* geminavi et admisi *unumquidquid* vocabulum Lucretianum. Praeterea addidi *dies*.

[3]) inst. 5, 7, 9.

utitur, alterum accusatoribus tantum concessum est. Iudiciis publicis item comprehendi popularia multarum in publicum redigendarum et aliunde intellegitur et, quod ad hanc legem proxime pertinet, ex c. LV legis Iuliae agrariae post verba supra relata ita pergentis: *inque eam rem is qui hac lege iudicium dederit testibus publice dum taxat in res singulas hominibus*[1] *X denuntiandi potestatem facito ita ut e re publica fideque sua videbitur.* Ad haec vulgo nota et satis testata nova quaedam ex lege coloniae Genetivae accedunt. Apparet ei magistratui qui iudicium dedit ius non fuisse testimonii denuntiandi nisi in quos sibi imperium esset; similiter in causa Verrina testibus Siculis testimonium denuntiat non praetor is qui repetundarum iudicium exercet, sed is qui praeest provinciae Siciliae[2]. Testium qui coacti testimonium dicant in iudiciis recuperatoriis cum decem numerum finiat tam lex Iulia modo citata quam edicti perpetui formula[3], in hac lege numerus invenitur duplicatus. Praeter testes, quibus ante quam iudicium fit denuntiatum est, iam intellegimus etiam si qui dum iudicium fit ab horum aliquo in testimonio dicendo nominati essent, eos ad testimonium perhibendum cogi potuisse, modo ne numerus viginti excederetur. — Personae exceptae huius legis eaedem fere sunt atque quae excipiuntur lege Iulia iudiciorum publicorum. *Lege Iulia*, Paulus[4] ait, *iudiciorum publicorum cavetur, ne invito denuntietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum generum, vitricum privignum, sobrinum sobrinam, sobrino [sobrina] natum eosve qui priore [immo propiore] gradu sint, item ne liberto ipsius, liberorum eius, parentium, viri uxoris, item patroni patronae: et ut ne patroni patronae adversus libertos cogantur testimonium dicere.* Sed plenius et prudentius de his in lege publica cautum est quam in colonica. Cognati cum et in lege Iulia iudiciorum publicorum et in aliis omnibus definiantur aut sexto gradu sobrinorum aut septimo sobrino natorum[5], quod hic liberatur qui reo consobrinus sit propiusve eum ea cognatione contingat, id est cognati ad quartum gradum usque, inauditum est et fortasse contra ius receptum ab eo qui legem conscripsit temere positum. Affinium cum liberentur gener socer,

---

[1]) In libris est $\overline{\text{SS}}$ pro $\overline{\text{H}}$.

[2]) Cicero Verr. 2, 27, 65: *quibus ego testimonium denuntiavi, quorum nomina edidi Metello ..... adhuc non venerunt.* In iudicio publico populi Romani per magistratus cuiuscumque ordinis testimonium denuntiari potuisse (l. repet. v. 31) consentaneum est.

[3]) Probus de notis p. 274 ed. meae: *quanti ea res erit, tantae pecuniae iudicium recuperatorium dabo testibusque publice dum taxat decem denuntiandi potestatem faciam.* Edictum Augusti de aquae ductu Venafrano (Henzen 6428): *eum qui inter civis et peregrinos ius dicet iudicium reciperatorium in singulas res HS X reddere testibusque dum taxat X denuntiandis* [immo *denuntiandi potestatem*] *facere placet, dum reciperatorum reiectio inter eum qui aget et eum quocum agetur ita fia*[*t, ut lege Iulia*] *quae de iudicis privatis lata est licebit oportebit.*

[4]) Dig. 22, 5, 4. Post *libertos* sequuntur verba insiticia *neque liberti adversus patronos.*

[5]) Composuit locos Klenzius in eph. Savigniana iuris historici 6, 99.

vitricus privignus, iure quaeres, quinam sint qui reum propius ea affinitate contingant; et quamquam responderi potest intellegi virum uxorem, sponsum sponsam [1]), haud scio an hoc quoque incuriae magis quam prudentiae scriptoris debeatur. De patrono liberto omnino constat neque patronum in libertum nec libertum in patronum in ullo iudicio publico invitum testimonium dixisse; praeterea in quibusdam iudiciis, ut in eo quod fit ex lege Iulia de vi [2]), libertus testimonium in patronum dicere non solum non cogitur, sed etiam vetatur.

Accusatio De accusatione quae apud duovirum fiat agitur legis c. CII 4, 23—5, 1. Causa accusandi hic non ponitur, at de indignitate decurionis duovir iubetur ius dicere iudiciaque reddere; significari accusationem intellegitur ex c. CXXIII. CXXIIII, quae ad ipsum iudicium de indignitate pertinere supra (p. 134) demonstravimus. Sola haec accusatio utrum c. CII intellegatur an aliter quoque apud duovirum accusatio institui potuerit, ex legis reliquiis non perspicitur. — Accusationem facile apparet quaestionum perpetuarum formam sequi. Duovir *iudicium reddit* (5, 22. 24), *hac lege quaerit* (4, 23. 25), *iudicium exercet* (4, 23. 26), praetorisque eum in repetundarum similibusque iudiciis, id est quaesitoris officio fungi ex c. CII perspicitur. Actoris partes qui sustinet *postulat* (5, 22), *accusat* (4, 27. 28. 29. 34) distinguunturque accusatorum *delator* (4, 27) et *subscriptor* (4, 28). *Singulae actiones* iudicii (4, 34. 36) ostendunt ampliationi comperendinationive in eo locum fuisse. Quamquam fuerunt etiam quaedam iudicia ex hac lege uno die perficienda (1, 24); quocum comparari potest, quod lege Pompeia eodem die, quo dicturi essent accusator et patronus, iudices iudicare iubebantur [3]). Iudicant *iudices* (6, 1) caveturque de reo absolvendo 6, 2 sic: *qui ita absolutus erit, quod iudicium praevaricationis causa factum non erit, is eo iudicio hac lege absolutus esto,* quae formula propria iudiciorum publicorum totidem fere verbis redit in lege repetundarum v. 55. Denique praemium accusatori datur tale, qualia dari solent in eius generis causis publicis (p. 134). Sed novum in iis quae de accusatione supersunt non est

Horae accusandi nisi quod c. CII cavetur de tempore iudicii perficiendi. Scilicet exceptis causis iis, quos uno die perfici lex iubet, duovir iudicium exercere vetatur ante horam primam et post undecimam. Quod ambiguum est utrum accipiendum sit de prima coepta et undecima expleta an de prima expleta et undecima coepta; conferri potest quod apud Paulum [4]) testamenta iubentur re-

[1]) Nam hi quoque inter affines numerantur et in lege Cincia (Vat. fr. 302) et alibi. Klenze l. c. p. 109.

[2]) Collatio 9, 2, 2 = Dig. 22, 5, 3, 5.

[3]) Asconius in Milon. p. 40.

[4]) s. r. 4, 6, 2, In causa Miloniana priore die iudicium dimissum est circa horam decimam, posteriore sortitio iudicum a primo die facta est, accusatores coeperunt dicere intra horam secundam (Ascon. p. 41. 42). Cf. Keller *Civilprozess* p. 16. Marquardt *Privataltert*h. 1, 261.

citari inter horam secundam et decimam diei. — Deinde quod lex delatori quattuor horas dat, subscriptoribus singulis binas, reo patronisque eius alterum tantum temporis, quantum accusationi, id nihil impedit, quominus a iudiciis publicis quae eo tempore in urbe fierent translatum esse putemus; certe in causa Miloniana quod accusationi duae horae datae sunt, defensioni tres[1]), non quattuor, tantum abest, ut ad exemplum trahi possit, ut probabile sit iniquitatem legis adversus defensorem in ea quoque re cerni, quod ex quattuor horis legitimis unam ei auferret. Ipsum horarum numerum legitimum nec satis compertum aliunde habemus[2]) nec probabile est aequabiliter in omnibus iudiciis de eo cautum fuisse. Accusatorum autem alium alii partem temporis sibi dati concedere potuisse etiam Cicero significat[3]).

Aediles in lege cum ita nominantur, ut pariter atque IIviri creari (5, 29) iubeantur pariterque decurionibus obtemperare (7, 32), tum propria eorum officia commemorantur iuris dictio (1, 29) et munitionum indictio (3, 29), quarum illa nota est, haec aut ignota aut certe parum testata[4]). Videtur tamen eiusmodi cura, postquam locupletem auctorem nacta est, recte referri ad ipsam urbem. Nam munium quotidianorum primarium curam viarum urbis muniendarum verrendarum reficiendarum nemo ignorat proprie spectasse ad aediles; quapropter quo tempore viae similiaque non per redemptores muniebantur, sed sola civium opera a magistratibus indicta, indictio aedilium fuerit necesse est. — Sed ut haec recte conveniunt iis quae de aedilibus praeterea tradita habemus, ita mirum est in decurionum decretis faciendis de rebus sacris (7, 12), de senatore populi Romani patrono hospiteve creando (7, 39. 52), de pecunia publica decernenda (8, 39) duoviris perpetuo aequiparari aediles, cum aedili ius referendi non fuisse et rei publicae Romanae comparatio ostendat et quod in tot decretis municipalibus nullum extat ab eiusmodi magistratu factum[5]). Accedit, quod de patrono creando cum bis agatur in hisce tabulis, altero loco (3, 13) de ea re refert IIvir quique pro potestate est, id est IIvir praefectusve, altero (7, 39) IIvir aedilis praefectus. Aediles

---

1) Ascon. in Milon. p. 37. 40. 42. Cicero de fin. 4, 1, 1. Brut. 94, 324. Dio 40, 52.

2) In repetundarum iudicio, quod de L. Flacco factum est, subscriptori accusationis sex horas lex dabat (adn. 3).

3) Cicero pro Flacco 32, 82: *cui sex horas omnino lex dedit, quantum tandem ex his horis detraheret, si tibi morem gerere voluisset?* Postulavit igitur delator Laelius a subscriptore Deciano, ut parte temporis sibi cederet, quod cum non obtineret, de perfidia Deciani questus est.

4) A Marquardtio *Staatsverw.* 1, 491 aliisque qui affertur locus Papiniani Dig. 43, 10, 1, is ad curatorem municipii pertinet, non ad aedilem; nam aedilis ἀγορανόμος est, non ἀστυνόμος. Nec magis huc pertinent tituli ibi citati Orellianus 3973 et I. N. 1481; nam cum aediles in illo in viam certam summam dedisse dicantur, in hoc viam lacusque fecisse, ibi diserte additur id eos fecisse *ob honorem*, hic vero probabiliter idem intellegitur. At quae ob honorem fiunt, non fiunt pro potestate. Nec magis utiles sunt tituli similes alii, ut vol. I n. 604. 1490.

5) Vide comm. meum ad leges Flavias p. 444.

Quam ob rem cum universi loci, de quibus hic agitur, in tabulam tertiam incidant pessime interpolatam, haud scio an aedilis quoque male eis intrusus sit. Quod cavetur 6, 29 de IIviro aedili praefecto ludos scaenicos faciente, quamquam per se minime suspectum, ex societate et ipsum dubium fit, cum in tabula tertia ubicumque magistratus nominantur, tria illa vocabula composita inveniantur.

Praefectus pro IIviro

Praefectus passim subiungitur duumviro (1, 20. 28. 33. 2, 20. 30. 3, 3. 5, 2. 6, 27. 29. 46. 7, 12. 30. 32. 38. 39. 51. 52. 8, 13. 33. 39), cuius vices facit perpetuo more solito. Uno loco 3, 7 (cf. 5, 2) pro eo quod est antea *IIvir praefectusve* scribitur *IIvir quive iuri dicundo praerit*, similiterque accipiendum est quod legitur 3, 13: *ne quis IIvir neve quis pro potestate in ea colonia.* Bis (1, 20. 28) additur praefectum intellegi eum quem IIvir e lege huius coloniae reliquerit, videturque etiam alibi perpetuo significari praefectus IIviri absentis aliterve impediti. Praefectum autem interregis loco haec lex nullum novit. — Is qui armatis a IIviro praeficitur (5, 6) diversus sit a praefecto qui proprie ita dicitur necesse est. Praefectum IIviri cum praefectum relinquere posse lex Salpensana c. 25 neget, haec lex item praefecti armatis deligendi ius soli duoviro concedere videtur, id quod rationem habere periti non ignorant[1].

Interrex semel 7, 50 interponitur inter IIvirum praefectumque; quod recte convenit cum iis quae modo diximus de praefecto relicto, nec propterea quod haec verba non Caesaris sunt, sed interpolatoris (v. p. 121), in dubitationem vocandum est. Alibi quoque extra urbem, licet raro, interreges inveniri notum est[2].

Patroni hospitesque coloniae

De patronatu hospitioque bis in lege agitur. Cavet ea primum in universum c. XCVII, ut ne praeter certas personas exceptas patronus quis fiat nisi de decurionum decreto, cum non minus L aderunt, deinde specialiter c. CXXX. CXXXI, ne quis senator populi Romani senatorisve filius patronus hospesve fiat nisi et privatus sit et in Italia agat, item decurionum in patrono tres partes, in hospite maior pars adsentiant. Poena adscribitur c. XCVII V mil., c. CXXX C mil., c. CXXXI X mil. sestertium. Capita haec cum multa habeant utilia et adhuc parum nota, omnium maxime hoc proficimus, quod inter patronatum coloniae et hospitium publicum distinguitur. Observavi ego[3]) aliquando de hospitio disserens et patronatum iuris privati comparans cum patronatu coloniarum municipiorumque, hunc ex contaminatione quadam patronatus veri et hospitii originem traxisse et ita effectum esse, ut, cum vere patronus rei publicae esse non posset nisi unus origine et deinceps posteri eius, scilicet is qui civitatem in fidem recepisset, hospites autem tot fieri possent quot populus vellet, hoc etiam ad patronatum transferretur; item patronatum ab hospitio etiam

---

1) *Staatsrecht* 1, 171.

2) I. R. N. p. 479.

3) *Röm. Forsch.* 1, 334. 358. 371.

ea re differre, quod ille solo consensu perficiatur, hic quodammodo litteris de ea re factis vel potius tessera data[1]). Iam patronatus is quem nobis repraesentat lex Caesaris quanto propius ad primitivam formam accedat quam quem nobis repraesentarant documenta adhuc nota aetatis imperatoriae fere omnia, nemo est quin videat. Distinguitur in lege qui '*patronus est adoptaturve*' (3, 15) sive '*patronus adoptatur sumitur fit*' (7, 43) ab eo qui '*hospes adoptatur quocumve hospitium tesserave hospitalis fit*'. Ille honor maior est, hic minor, cum ad patronatum decernendum duae partes decurionum requirantur, in hospitio solitus numerus sufficiat, item poena adscripta sit in illo decies tanta quanta in hoc est. Iam hac lege admoniti intellegimus Gaditanos hospitium solummodo publice fecisse tessera oblata cum cive olim suo, iam Romano L. Cornelio Balbo[2]), nequaquam patronum eum sibi adoptavisse. Omnino postea demum uterque honor perpetuo necessitateque quadam coniungi coepti sunt acciditque hic quoque, ut honoribus increbrescentibus et fere pervulgatis minore nemini iam satis fieret itaque simplex hospitium quodammodo exolesceret[3]). — Praeterea notabile est in hac lege patronum adoptari, ut Cicero[4]) quoque loquitur, non cooptari, quod vocabulum ab Augusti inde aetate in ea re sollemne[5]) nihilominus ipsi actus proprietati parum aptum est; neque enim proprie a collegis futuris patronus futurus adsciscitur. Quamquam cooptandi vocabulum eo nomine excusari potest, quod certe posteriore tempore etiam patroni in albo decurionum perscribebantur et quodammo decurionibus adnumerabantur. — Accedunt alia item et nova et cognitu digna. Patronos adhuc credebamus nullos fieri potuisse nisi ex decurionum decreto; iam vero addiscimus colonias qui deduxissent quive colonis agros dedissent adsignavissent, ipsos liberos posterosque eorum ipso iure eius coloniae patronos fuisse[6]). Ita quod Cicero[7]) scribit *qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, eorum patronos fuisse more maiorum*, similiter interpretabimur qui populum devictum in fidem receperit, non ob id beneficium patronum creari, sed eo ipso, quod in fidem eum recepit, patronum effectum esse. Et vere sic redimus ad patronatus genuina primordia; nam ut in iure pri-

---

[1]) l. c. p. 341. 362.

[2]) Cicero pro Balb. 18, 41: *hospitium .... cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice dico: proferam tesseram.*

[3]) Vel gentilitates duae gentis Zoelarum eae quae a. p. Chr. 27 'hospitium vetustum antiquom' inter se renovarunt, solo eo non contenti 'ali(u)s alium in fidem clientelamque suam suorumque liberorum posterorumque receperunt' (vol. II n. 2633 = Orell. 156).

[4]) Pro Sest. 4, 9. Phil. 2, 41, 107. 6, 5, 13. Val. Max. 9, 15, 1. *Patronum adsciscere* Cicero in Pis. 11, 25.

[5]) Primum invenitur quod sciam in tabula a. p. Chr. 742 (Orell. 3693). In aere antiquissimo vol. I n. 532 supplementum quod posui *covenumis co[ptamus]* mutandum est.

[6]) Ita P. Sulla coloniae a se Pompeios deductae patronus fuit (Cicero pro Sull. 21).

[7]) De offic. 1, 11, 35.

vato manumissio patronum facit, ita in iure publico, aliquando fecit deductio vel in fidem receptio. — Aliud est adhuc ignotum, iam vero patefactum, senatorem populi Romani filiumque senatoris patronum creari non potuisse eo tempore quo imperium obtineret inve provincia esset; quod cur introductum sit, facile apparet. Similiter Augustus provincialibus interdixit, ne cui magistratui tempore magistratus intrave LX dies post eum finitum honorem haberent[2]. Patronatus tamen instrumenta quae supersunt ne melioris quidem aetatis cum ea lege satis conspirant; nam cum non desint ibi equestris ordinis patroni eo tempore creati, quo in provincia officio fungerentur[1], tres certe item repperi similiter creatos patronos ordinis senatorii, scilicet L. Domitium Ahenobarbnm cum proconsul esset Africae a. u. c. 742 (v. p. 147 adn. 5), Q. Iulium Secundum cum legatus esset pro praetore Numidiae a. p. Chr. 55 (Wilmanns n. 2852), C. Marium Pudentem Cornelianum, cum legatus esset legionis a. 222 (Orelli 956). Quamquam opponi potest, si praesidem patronum adoptare generaliter licuisset, longe plura eius generis instrumenta nos habitura fuisse, potestque res sic explicari legem eam, quam Ursonenses habuerunt, peraeque obtinuisse, sed non raro contra eam patronos adoptatos esse aut contemptu eius ignorantiave aut permissu imperatoris[3].

Magistratus populi Romani

Magistratibus prove magistratu populi Romani 7, 1 ius datur in decurionibus ludos spectandi; etiam quod sequitur *quive iuri dicundo praeest* supra p. 132 monui non ad coloniae magistratus pertinere videri, sed ad legatos adsessoresque proconsulum. Praeterea *magistratus potestasque populi Romani* 2, 24. 34 commemorantur inter causas, propter quas et IIviro et civi liceat ad causam a se agendam non adesse. *Senator senatorisque filius populi Romani* quibus condicionibus patroni hospites adoptari possint, modo vidimus; item p. 132 iisdem eique qui senator fuerit ius tribui ludos in decurionibus spectandi. Idem ius 7, 4 conceditur *praefecto fabrum eius magistratus prove magistratu, qui Hispaniam ulteriorem obtinebit*; de quo praefecto equestris ordinis homine vide quae dixi *Staatsrecht* 1, 102. 2, 92 dixeruntque quos ibi citavi. — De honoribus C. Caesari in lege attributis dictatoris imperatoris consulis proconsulis dictum est p. 119.

---

[1]) Eiusmodi decreta in honorem praefectorum fabrum facta extant a. 7 p. Chr. (Marini Arv. p. 783) et a. 27 et 28 (vol. V, 4920—4922).

[2]) Dio 56, 25.

[3]) [Fortasse decreta haec eo ipso tempore facta sunt, quo proconsules illi legative officium deponebant, ut honorum eorum, quos modo gerere desiissent, vocabula abusive iis continuarentur. Hübner.]

Th. Mommsen.

APPENDIX COMMENTARII.

Quod supra (p. 106) dixi ab editore aerum Ursonensium occasione data item publici iuris factum esse fragmentum tabulae aereae Italicae repertum, id quanquam exiguum est ideoque non magni pretii, tamen visum est non omittendum esse in hac legis Ursonensis editione.

Itaque Italicae (qui hodie vicus est *Santiponce* dictus prope Hispalim, C. I. L. II p. 145) in mediis amphitheatri parietinis a. 1868 effossum est fragmentum laminae aereae, latum m. 0.21, altum 0.16, paene undique effractum; nam dextri tantum marginis pars inferior integra servata est. Servat Hispali Franciscus Matthaeus Gago. Litterarum forma similis est eius, quam prior tabula Ursonensis monstrat; scilicet videtur et ipsa saeculi esse primi exeuntis ineuntisve alterius. Edidit Berlanga p. 121 ss. libri sui de aeribus Ursonensibus adiecta tabula lithographa, ex qua vv. 1 et 2 initio paullo pleniores (scilicet litteris dimidiatis auctos) descripsi; etiam v. 3 extremo, ubi nihil comparere dicit Berlanga, tabula hastae unius vestigium praebet; praeterea vero nihil unquam hoc versu scriptum erat. Quae restant haec sunt:

ERI
GNITIO
I
I NVNTIATIONES
OBSERVARI DEBE
M IVDICEM IBITVR
NTVR EODEM MODO
EBET QVO VT RECIPE
VR LEGE QVAM VOBIS
TIT

Particulam esse edicti vel epistulae ex *vobis* vocabulo, quod v. 9 extr. legitur, recte Berlanga conclusit. Sed quod constitutionem fuisse existimavit imperatoris Hadriani, qua is municipibus Italicensibus coloniae ius dederit, minus certum est. Primum enim ne illud quidem certo probari potest,

quod Berlanga sibi persuasit, Italicenses eos fuisse, qui v. 10 compellantur. Nam ut aes Salpensanum una cum Malacitano inventum est Malacae, ita etiam hoc fragmentum aliunde advehi potuit Italicam. Sed ut concedatur ad Italicenses referendum esse edictum si non certo, at tamen probabiliter propter locum inventi, ipsae v. 10 reliquiae suadent, ut eam legem, quae ibi memoratur, antiquiorem aliquam esse censeamus sive municipio sive coloniae datam, non hanc ipsam, cuius frustulum tenemus. Itaque quanquam quae Berlanga proposuit supplementa pleraque ferri posse non videntur, cum praesertim ne structura quidem iis efficiatur et perspicua satis et Latina, tamen adscripsi, quia non nulla recte sine dubio proposuit. Sunt autem haec:

. . . . *quod fi]eri*
oporteat in extraordinariis cog]nitio-
nibus]
quod eius in novi operis] nuntiationes
ex lege Ulp(ia) cautum sit] observari debe-
bitur et si ad unu]m iudicem ibitur
cumque nov(a) op(era) nuntie]ntur eodem modo
satis dare oporte]bit quo ut recipe-
ratores sortian]tur lege quam vobis
dius Hadrian(us) mit]tit.

Singula refellere nolui; quae probabiliter proposuisse putandus est Berlanga, iis Mommsenus usus est in restitutione, quae infra sequitur.

Aem. Hübner.

Ad nuntiationes epistulam pertinere cum pateat, Berlanga cogitavit de operis novi nuntiatione. At de ea cur imperator ad Italicenses constitutionem dederit, parum intellegitur, nec plurali numero in ea iuris auctores facile utuntur. Mihi dubium non est nuntiationes ad fiscum intellegi, scilicet commissorum, caducorum, bonorum vacantium similiumque (Dig. 49, 15, 1 cet.); de iis enim multifariam imperatores rescripserunt videnturque adeo quae in aere supersunt cum iis quae de eiusmodi iudiciis accepimus recte conciliari posse. Scilicet notum est, cum iudicia inter fiscum et privatos antea ad cognitionem praefectorum aerarii pertinuissent, ab imperatore Nerva praetorem constitutum esse, qui ius diceret inter fiscum et privatos (Pomponius Dig. 1, 2, 2, 32. Plin. paneg. 36), id est ordinem iudiciorum privatorum ad haec quoque iudicia translatum esse causasque iudicatas aut per unum iudicem aut per recuperatores. Iudicem unum supra p. 104 vidimus

datum esse, recuperatores autem sortito factos. His positis non sine aliqua probabilitate laceras reliquias ita explebimus:

Ad fiscum meum si quae cuiuscumque re]*i nuntiationes*
posthac fient, in iudice uno eadem] *observari debe-*
bunt quae cum inter privatos ad unu]*m iudicem ibitur.*
Reciperatores autem ubi de ea re sortie]*ntur, eodem modo*
ut in causa fisci sortiantur fieri d]*ebet, quo, ut recipe-*
ratores de re vestra sortiant]*ur, lege, quam vobis*
. . . . *dedit*], *fit.*

Sortiri videtur passive usurpatum esse. — V. 10 prima quae superest littera F magis videtur esse quam T. — Reciperatorum de re Italicensium sortitio, ad cuius exemplum haec fieri iubetur, ipsa illa est, ni fallor, de qua agitur in legis Ursonensis c. XCV (vide supra p. 140). Lex autem quae allegatur ipsa est data Italicensibus, cum eorum res publica constituta est. Nomen eius qui eam legem dedit coniectura supplere non audeo.

Th. Mommsen.

Prodiit d. 7 Mart. 1874.

Formis Academicis (G. Vogt).

COMMENTATIONES EPIGRAPHICAE TRES.

I.

DE TITVLO SEPVLCRALI OSCO LVCANORVM.

Nuper Th. Mommsen mecum communicavit duo inscriptionis Oscae apographa litteris Graecis conceptae, quae repperit in *Mandelli libro de Lucania manu scripto bibliothecae Neapolitanae*, a nemine eorum, qui monumentis linguae Oscae colligendis atque interpretandis operam dederunt, hucusque memorata vel in lucem protracta. Tum etiam a G. de Petra Neapolitano viro doctissimo accepi imagines Mandelli apographorum carta pellucida delineatas. Mandelli igitur in agro oppidi *Diano* Lucaniae prope fontem *S. Giovanni* invenit lapidem, quem his verbis describit, *Vol. I, p. 94.* „Non devo tralasciare di qui trascrivere l' iscrittione d' un marmo, che nel piano della città di Diano mia patria si ritrova. Questo marmo mostra non essere entiero, ma un pezzo di marmo maggiore. Egli è di lunghezza circa tre palmi, di larghezza intorno a' due, semplice e rozzo, nella di cui parte piana si ritrova quella iscrittione da me con diligeuza grande ricopiata con questi caratteri così differenti fra di loro in grandezza etc.“ Praeterea Mandelli narrat, cum viri quidam Graece docti viso apographo dubitassent de littera ϲ a se delineata, eiusque loco coniecissent Γ in lapide scriptum esse, se hunc denuo examinasse atque invenisse revera ibi ϲ exaratum esse (*l. c.*).

Mandelli vero in libro suo bis posuit titulum litteris ad lapidis similitudinem delineatis, primum loco notato primi voluminis, iterum in fine secundi voluminis, postquam data opera apographum suum cum marmore denuo contulit.



Hic alter textus tituli Dianensis (*b*) cum trium vocabulorum scriptione differat ab illo priore (*a*), facere non possum, quin utrumque eius apographum hic in conspectu ponam:

a.	ΛΑΠΟΝΙΣ ΠΑΚϹΗΙΣ ΟΠΙΣ ΠΙΩ̇Ι ΑΙΣ ΕΚΟ ΣΛΛΑϹΣ ϹΑΛΕ	*b.*	ΑΛΑΠΟΝΙΣ · ΠΑΚϹΗΙΣ ΟΠΙΕΣ · ΠΙΩ ⁝ ΑΙΣ · ΕΚΟ ΣΛΛΑϹΣ · ϹΑΛΕ

Hoc alterum apographum imprimendum curavit. St. Macchiarolli, *Diano e l'omonima sua valle. Nap. 1868, p. 271.* Apparet igitur in apographo *a* scriptum esse: λαπονις, in *b*: αλαπονις, in *a*: οπις, in *b*: οπιες, in *a*: σαλαϝς, in *b*: σλλαϝς, in *a* semel tantum interpunctum esse post πιω', ibique signo parum recto, in *b* quater puncta suis locis interposita esse et post πιω tria puncta recte restituta. Itaque neminem fugere potest, apographum Mandelli in fine voluminis secundi libri de Lucania scripti positum *b* accuratius et correctius scriptum esse, quam alterum, postquam auctoribus viris Graece doctis lapidem denuo inspexit atque examinavit, lectionem vero σλλαϝς in *b* pro σαλαϝς inde ortam esse, quod media linea litterae Α in marmore deleta aut evanescente restabat forma Graecae litterae Λ. Inde sequitur, ut textus inscriptionis Dianensis hunc in modum constituendus sit:

Α. Λαπονις Πακϝηις
Οπιες πιω αιτ. εκο. —
Σαλαϝς ϝαλε.

Haec igitur verba interpretandi munus priusquam obeam, de litterarum Graecarum usu et forma, quibus scripti sunt, habeo quod praemonendum videatur. Apparent igitur in hoc titulo cum brevium vocalium ε et ο litterae, tum longarum η et ω, at promiscuo usu adhibitae, ut ε et ο etiam longarum vocalium loco positae sint in ϝαλε pro *valē*, εκο pro *ēko*, Λαπονις pro *Lampōnis*, contra η et ω etiam breves vocales significent in Πακϝηις pro *Pakvеis* et πιω pro *pi[illegible]*, id quod ex interpretatione quae sequitur clarius elucebit. Cum in aliis monumentis Oscis Graece scriptis tum maxime in titulo Anxano Lucanorum et Messinensi Mamertinorum litteras η et ω iuxta ε et ο breves vocales significare, in commentatione de inscriptionibus Oscis litteris Graecis conceptis demonstravi (*Z. f. vergl. Spr. XVIII, 190 sq.*). Itaque ad illorum titulorum similitudinem proxime accedit litterarum Graecarum usus in marmore Dianensi Lucanorum conspicuus.

Iam ut ad ipsam huius tituli interpretationem aggrediar, Λαπονις Th. Mommsen vidit idem nomen gentile esse ac *M. Lamponi* Lucani fortissimi illius sociorum in bello Marsico ducis, qui aegre tandem ante portas ipsius urbis cum [illegible] victus est a L. Sulla. Etenim quamvis vocabula Osca [illegible] consonantem *m* sequente *p* integram servaverint ([illegible] *p. 71 sq.*), tamen con-

sentaneum est, in Lucana nominis forma Λαπονις pro Λαμπονις debilem consonantem *m* aut pronuntiatione aut scriptione omissam esse ut in Latinis nominibus *Tapios*, *Tapia*, *Poponi*, *Seproni* aliis pro *Tampios*, *Tampia*, *Pomponi*, *Semproni* (*C. Ausspr. I, 263 sq. ed. 2*). Est autem Λαπονις nominativus sing. eiusdem generis ut Oscae linguae: *Heirennis*, *Niumsis*, *Stenis*, *Uhtavis*, *Asis*, *Bivellis*, *Viibis*, *Luvkis*, *Luvikis*, *Kaluvis*, *Caisidis*, *Pakis*, *Degetasis* (*C. Z. f. vergl. Spr. V, 89. XI, 338 sq. 401 sq. XVIII, 254. 257. XX, 111, 113*). Quod sequitur nomen proprium Πακϝηις est genitivus sing. pari syllabae finalis forma atque eundem in modum scriptus ut Σταττιηις, Νιυμσδιηις in titulo Mamertinorum Messinensi (*Momms. Unt. Dial. t. XII, 39 p. 193 sq.*) et Κοττιηις in tegula Vibonensi Bruttiorum (*l. c. p. 192, p. 38*). Comparatis igitur Mamertinorum nominibus Oscis: Στενις Καλινις Σταττιηις = *Stenius Calinius Statii f.* et: Μαραс Πομπτιες Νιυμσδιηις = *Maras Pomptius Numisidii f.* cum nominibus tituli Dianensis: A. Λαπονις Πακϝηις, planum fit Πακϝηις esse genitivum sing. praenominis Osci Lucanorum. Est autem eiusdem stirpis ac praenomina Osca *Pakis* (*Momms. Unt. Dial. t. XII, p. 190*) et *Paakul* (*l. c. t. VIII, 16, p. 178. 241. 284*), quoniam in Πακϝηις κϝ sonus ex *k* in *Pakis* ortus est ut Latinorum *qu* in *Paquius* ex consonanti *c* in *Pacius*. Itaque Πακϝηις genitivus sing. a stirpe Πακϝο - repetendus est, ut genitivi sing. Osci *Púmpaiianeis*, *lúvfreis*, *minstreis*, *sakarakleis*, *tereis* alii a stirpibus verborum in o vocalem exeuntibus profecti sunt. Deinde Οπιες in titulo Mandelli est nominativus sing. in eandem syllabam finalem flexus ut nomina gentilia Lucanorum *Afaries*, *Maraies*, *Soies*, Mamertinorum Πομπτιες, Campanorum *Silies*, *Minies* (*C. Z. f. vergl. Spr. XIII, 255. XX, 10 sq.*), et Οπιες non multum differt a nominativo praenominis Capuani *Úppiis* (*Minervin. Bull. arch. Nap. nv. sr. V, tav. VIII, 1, p. 99. 100*). Sed Οπιες suo loco vim habet cognominis, quod post praenomen patris positum est, ut cognomina *Aukil*, *Mutil*, *Tafidins* in titulis Oscis: *L. Slabiis L. Aukil*, — *G. Paapii[s] G. Mutil*, — *Gn. Staiis Mn. Tafidins* — (*Momms. Unt. Dial. p. 240, C. Z. f. vergl. Spr. XIII, 253*). Nota A initio inscriptionis Dianensis praenominis est, quae quamvis in aliis titulis Oscis non reperiatur, tamen videtur non diversa fuisse a Latina nota A. praenominis *Auli*.

Itaque demonstratum videtur, nomen viri Lucani gentis Lamponiae: A. Λαπονις Πακϝηις Οπιες, Latine reddendum esse: *Aulus Lamponius Paqui filius Oppius*, et hoc nomen continere subiectum primae enuntiationis tituli Dianensis.

Inde colligitur in tribus verbis quae sequuntur πιω, αισ. εκο inesse obiectum eiusdem enuntiationis. Horum ultimum εκο in promptu est accusativum sing. eiusdem pronominis Osci esse, cuius accusativus plur. neutr. *eka*, ablativus sing. fem. *ekha-d*, *eka-k*, nominativus sing. fem. *eka-s-k*, accusativus plur. fem. *eka-ss*, locativus sing. masc. *eki-k* in aliis linguae Oscae monumentis reperiuntur (*C. Ausspr. I, 386 sq. ed. 2. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. p. 68. Gloss. p. 29*). Abiecit autem εκο litteram *m* finalem ut accusativi *comono*, *veru*, *Sarinu*, *via*, *Júviia*, *Púmpaiiana*, *tiurri* (*Brupp. Lautl.*

d. Osk. Spr. p. 93). Hoc vero antiquo accusativo Lucano εκο comprobatur mea sententia, etiam σακορο in titulo Mamertinorum Messinensi esse accusativum sing. neutr., ideoque verba eius: [Στε]νις Καλινις Σταττιηις, [Μαρ]ας Πομπτιες Νιυμσδιηις μεδδειξ ουπσενς [ειν]ιμ τουτο Μαμερτινο [Α]πελλουνηι σακορο (*Momms. Unt. Dial. t. XII, 39, p. 193 sq.*) significare: *Stenius Kalinius Statii f., Maras Pomptius Numisidii f. meddices operati sunt et civitas Mamertina Apollini sacrum*, quam quidem interpretationem etiam aliis rationibus confirmari hic non opus est, ut exponam (*C. Z. f. vergl. Spr. XVIII, 257*). Ille igitur accusativus pronominis demonstrativi εκο ipsum illud monumentum demonstrat indicatque, in quo scriptus est, atque εκο manifestum est obiectum eiusdem enuntiationis Oscae esse, cuius subiectum sit A. Λαπονις Οπιες. Iam vero hanc enuntiationem continere aliquam dedicandi sacri vel monumenti formulam eis me facile probaturum spero, qui non ignorant, in eiusmodi formulis inscriptionum Latinarum et Graecarum verbum cum sensu dandi, dedicandi vel consecrandi saepissime omissum esse, ita ut ex animo legentium supplendum sit. Cum accusativo sing. neutr. pronominis demonstrativi εκο artissimo sensus vinculo coniunctus est accusativus eiusdem generis πιω pro *pio(m)*, eadem videlicet stirpe oriundus ut Lat. *pium*, Sabell. *pio*, Osk. *piihioí*, Umbr. *pihatu* alia (*C. Krit. Beitr. p. 391 sq. Ausspr. I, 342. II, ind. vocab. ed. 2*). Habemus igitur duo obiecti casus πιω — εκο = *pio(m)* — *eko(m)* dependentes ab aliquo verbo Osco dandi, dedicandi, consecrandi, quod supplendum videtur. Ex eo colligere possumus, litteras αισ. inter accusativos πιω et εκο positas continere stirpem vocis Oscae, quae et ipsa hoc loco vim accusativi habeat. Quamobrem αισ. notam supplendam existimo αισ(ο) accusativum sing. neutr. congruentem cum πιω et εκο, atque huius accusativi sensum enucleare ausim comparata Sabellica voce *aisos* sacrificium, Umbrica *esunu* sacrificium, Volsca *esaristrom*, Osca *Aisernim* oppidi nomine, Etrusca *aesar* deus (*C. Ausspr. I, 375, ed. 2*), ita ut αισ(ο) substantivum in titulo Dianensi significet *sacrum*.

Ad subiecti casus A. Λαπονις Οπιες et obiecti casus πιω αισ(ο) εκο supplendum est Oscum verbum δεδετ, *deded*. Itaque enuntiatio Lucana: A. Λαπονις ΠακϜηις Οπιες πιω αισ(ο) εκο (δεδετ) Latine enarranda est: *Aulus Lamponius Paqui filius Oppius pium sacrum hoc (dedit)*.

Post haec verba in marmore Dianensi scripta incipere alteram inscriptionis enuntiationem, ipse lapicida eo indicasse videtur, quod post pronomen εκο spatio intermisso sequens vocabulum eius a sinistra parte lapidis scribere et maioribus inde litteris uti coepit. In hac igitur tituli parte ΣαλαϜς idem est nomen quod etiam in titulo sepulcrali Cumano legitur: *Staties Silies Salavs* = *Statius Silius Salvius*, ubi *Salavs* ex *Salvs*, *Salvius* ortum esse demonstravi *a* vocali inter sequentes consonantes interposita ut in *aragetud* = *argento* (*Z. f. vergl. Spr. X, 325 sq. XX, 97 sq. Ausspr. II, 388, ed. 2*). Ultimam inscriptionis vocem Ϝαλι non mutilatam esse fracto lapide vel detritis litteris, eo intellegitur, quod post litteram finalem eius in utroque apographo Mandelli vacuum apparet unius litterae spatium, ubi nullum scripturae detrimentum notatur. Cum igitur Ϝαλι = *vali* integra vox

Osca existimanda sit, non potest esse nominativus singularis nominis ad Σαλαϝς pertinens, quod eiusmodi nominativi sing. masc. in e vocalem desinentes a lingua Osca plane aliena sunt. Itaque illud ϝαλε = *vale* nihil aliud est nisi Osca forma imperativi, quae respondet Latinae *valē*. Hanc enim notum est in clausulis titulorum sepulcralium Latinorum aeque usitatam esse atque *avē* et *salvē* et Graecorum χαῖρε. Ergo enuntiatio Lucana: Σαλαϝς ϝαλε = *Salvius* (*Salvi*) *vale*, acclamatio eiusdem generis est ut tituli sepulcrales antiquissimi Latini, *C. I. Lat. I, 98: P. Cordi mater vale*, et, *l. c. I, 94: Euclesis Cestia l. salve vale.*

In lingua Osca nominativum Σαλαϝς sensu vocativi dictum esse non mirum est, quoniam etiam Latini nominativo secundae declinationis pro vocativo utuntur, ut Livius *I, 24:* Audi tu *populus Albanus*, Propertius *II, 6, 19:* Tu criminis auctor, *Nutritus* duro, Romule, lacte lupae, Ovidius, *Her. 14, 7:* Surge age Belide de tot modo fratribus *unus*, et *deus* est vocativus ut apud Graecos θεός et φίλος (*Kühner, Ausf. Gram. d. Griech. Spr. I, 312, Anm. 2, ed. 2*).

Linguam Oscam non carere ea verborum coniugatione, quam grammatici Latini secundam posuerunt vocali ē longa stirpem verborum claudente insignem, certis argumentis demonstravi (*Ausspr. II, 732 sq., ed. 2*). Ad illam meam argumentationem nunc velut cumulus accedit Oscus imperativus ϝαλε = *valē* cum Latino secundae coniugationis *valē* plane congruens.

Itaque titulum sepulcralem Dianensem demonstratum videtur hunc in modum supplendum et Latinis verbis enarrandum esse:

Α. Λαπονις Πακϝηις
Οππις πιω αισ(ο) εκο (δεδετ). —
Σαλαϝς ϝαλε.

Aulus Lamponius Paqui filius
Oppius pium sacrum hoc (dedit). —
Salvius (Salvi) vale.

Supra planum feci, hanc inscriptionem consentire cum titulo Mamertinorum Messinensi Graecis litteris concepto et usu litterarum η et ω minus correcto et syllabis finalibus nominativorum sing. -ις et -ις, genitivorum sing. -ηις, accusativorum sing. -ο (-ω) pro -ομ. Quem titulum cum Mommsen non multo post Agathoclis mortem tempore Pyrrhi regis scriptum esse existimet (*Unt. Dial. p. 196, C. Z. f. vergl. Spr. XVIII, p. 257 sq.*), meo iure statuere mihi videor, eadem aetate etiam titulum sepulcralem Lucanum de quo egi in lapidem incisum esse.

II.

SVPPLEMENTVM INSCRIPTIONVM OSCARVM.

Cum post Th. Mommseni librum de dialectis Italiae inferioris scriptum non pauca inventa et publicata sint linguae Oscae monumenta, sed ea per multos libros passim dispersa, ita ut longum sit ea conquirere, si quis ex eis fructum carpere velit ad studia vel rerum vel linguarum Italicarum recolenda, non alienum esse a rationibus huius ephemeridis videtur, illarum inscriptionum supplementum hic in conspectu ponere, ita ut nomina ac libri virorum doctorum notentur, qui eas aut descriptas ediderunt, aut scite interpretati sunt, et verba Osca earum Latino sermone, quantum fieri poterit, enarrata annotationibus quibusdam subinde adiectis tanquam brevissimo commentariolo explicentur et illustrentur. Atque in hac scriptione semel dictum volo, me plane abstinuisse a coniecturis eorum persequendis, qui nunc quoque putant sibi licere, de his linguae Oscae monumentis scribere, quidquid sibi animo fingunt, nihil curantes aut rei epigraphicae disciplinam aut linguarum Italicarum cognitionem. De inscriptionibus igitur Oscis, quae post Mommseni librum in lucem prodierunt, ita agam hac commentatione, ut ordinem regionum locorumque sequar, ubi inventae sint, singulorum vero locorum titulos secundum genera eorum dispositos in medium proferam, ubicumque ea exstare videntur.

CAMPANIA. CAPVA.

1. Lamina plumbea convoluta cum titulo dextrorsum scripto, in sepulcro oppidi *S. Maria di Capua* anno 1857 a *Simmaco Doria* inventa et evoluta, nunc in museo Neapolitano:

ste[n] klum . vírriis
tr stl(?)apíu . vírríiis
pl. asis . bivellis
úppiis . hellevi[i]s
luvikis úhtavis
statiis . gaaviis . nep fatíum . nep . deíkum . putíaṇs

luvkis . úhtavis . núvellum velliam
nep . deíkum nep . fatíum pútíad
ṇep . memṇim . nep . úlam . sifei . heriiaḍ [1]).

[1]) Punctis subscriptis notavi litteras, quae quid significent apparet, at ab aliqua parte mutilatae sunt.

Stenius Clum. (?) Virrius,
Trebius —ius Virreius,
Pl. (?) Assius Bivellius,
Oppius Helvius,
Lucius Octavius,
Statius Gavius nec fari nec dicere possint.

Lucius Octavius Novellum Velliam (imprecatur):
Nec dicere nec fari possit,
nec monumentum nec ollam sibi capiat.

Primus edidit cum commentario I. Minervini, *Bullet. archeol. Napol. nov. ser. V, tav. VIII, 1. p. 99. 100,* unde *A. Fabretti, C. I. Ital. t. XLVIII, 2799; G. Fiorelli, Catal. Mus. Napol. Nap. 1867. Raccolt. epigr. n. 137.* Ego interpretatus sum, *Zeitschr. f. vergl. Spr. XI, 338—363; cf. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. LI.*

Incerta est lectio nominis gentilis in secundo versu tituli. Initio eius litteras *st* ligatas esse, ex lineamentis apographi I. Minervini conieci, quae cum ipsius laminae scriptione consentire dubitanti mihi nuper affirmavit G. de Petra; *Minerv.: flapiu.*

2—6. In duabus cameris subterraneis sepulcri detecti ad *S. Maria di Capua* anno 1867 a dominis *Galozzi* et *Doria* reperti sunt tituli sepulcrales complures.

In camera dextra titulus rubro colore pictus in opere tectorio, quo lecti alicuius mortuarii marginem superiorem contectum fuisse verisimile est, nunc tribus fragmentis constans in museo Neapolitano:

2. upfalṣ [s]ạlaviiṣ [:] minieṣ
Upfalius Salvius Minius.

Litteram initialem s nominis *Salavs* ego, cum in promptuario musei Neapolitani titulum delinearem, deletam inveni calcis tectoriae ea parte detrita, sed G. de Petra antea integram vidit.

Eiusdem camerae in lecto mortuario scriptae erant litterae:

3. kluv[atis] Cluvatius

et in altero lecto mortuario litterae nigro colore pictae:

4. min . u . . . . Minius U . . . .

In camera sinistra titulus rubro colore pictus in tectorio lecti mortuarii, nunc in museo Neapolitano:

5. upfals . patir . miínieis
Upfalius pater Minii,

et in altero lecto eiusdem camerae littera:

6. . . . u . . . . .

Edidit et commentario illustravit G. de Petra, *Giornale degli scavi di Pompei, Vol. I, 1869, p. 235 f.* Ego titulos 2 et 5 delineavi in promptuario musei Neapolitani a. 1870, tum interpretatus sum et effigiem eorum delineatam imprimendam curavi *Z. f. vergl. Spr. XX, 99—109; cf. Fabretti, Prim. supplem. d. ant. iscr. Ital. n. 497—500.* N. 3 *Kluv*[*atis*] suplevi e *Kluvatiium* (*n. 14*).

7—9. Tres tituli sepulcrales litteris nigro colore pictis in superiore parietis margine sepulcri a *Simmaco Doria* detecti a. 1873 non procul a *S. Maria di Capua* loco dicto *Quattro Santi,* nunc in museo Capuano.

7. 8. sinistrorsum scripti in duobus tectorii operis fragmentis:

7. **8.**
vibi[s] simintiis : vibis : smintis sa(?)n

Vibius Smintius. Vibius Smintius —

9. dextrorsum scriptus:

vibis : smintiis

Vibius Smintius.

Edidit W. Helbig, *Bull. d. Inst. a. R. 1873, p. 125.* Teste *Bulletino della Commissione Conservatrice di Terra di Lavoro, Tornata 5. Febbraio 1872, p. 9* is qui praeerat excavationibus a dominis Galozzi et Doria susceptis die 15 mensis Januarii an. 1872 haec scripta rettulit fragmenta titulorum Oscorum: In pariete orientali: *Vibis Smintiis*; in pariete intrantibus sinistro: *ibis* | *smintiis . s* | *smintiis* | *vi* | *bi* | *v* | *n.* His litteris parum accurate descriptis subesse videntur tres tituli a W. Helbig correctius editi, quos supra posui, additis duabus litteris singulis *v* et *n.* Apparet hos titulos gentis *Smintiae* esse, quae ab Apolline *Smintheo* vel *Sminthio* nomen traxerit, ut Etruscorum *Sminthe* (*Fabr. C. I. Ital. Gloss. p. 1675*). In titulo 8. lectio ultimi vocabuli incertior est, quam quae interpretationem recipiat.

---

10. Fragmentum laminae fictilis vel tegulae inventum in agro Capuano a. 1853, in utroque latere inscriptum et artis opere expresso decoratum, in altero protome mulieris, in altero apro sinistrorsum ingrediente, nunc in museo Neapolitano.

a. iuxta protomen:	*b.* iuxta aprum:
kluva[tis	kluv[atis
diuvia[í	damuse[í
damu[seí	diuvia[í

Cluvatius Ioviae Damusi (?) (dedit).
Damusi (?) Ioviae

Garrucci, Bull. arch. Nap. nv. s. I, tav. XIII, 2 p. 182, unde *Fabretti, C. I. Ital. t. XLVIII, n. 2752, a. b.; Fiorelli, Catal. Mus. Nap. Racc. epigr.*

n. 135. Ego tractavi *Z. f. vergl. Spr. XI, 322. XX, 108; cf. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XLIII, 15, a. b. Minervini, Bullet. della Commiss. Conserv. di Terra di Lavoro, Torn.* 1 *Ottob. 1873, p. 102 sq.* Videtur *Diuva[i]* nomen deae fuisse, cuius protome in antica laminae fictilis expressa conspicitur, *Dam-us-e[i]* fortasse cognomen eius deae eandem syllabam — *us* continens ac Lat. *Ven-us*, *Cluva[tis]* (*cf. n. 3*) nomen viri, qui opus fictile deae dedicavit.

---

11. Fragmentum laminae fictilis vel tegulae cum protome mulieris expressa inventum non multo ante annum 1854, nunc in museo Neapolitano:

ni	Numisius
f·i·isú..	?
vesu[nai	Vesunae (dedit) (?).

Titulum charta humida expressi Neapoli. Ed. *Garrucci, Bull. arch. Neap. nv. s. II, tav. V, 1 p. 163,* unde *Fabretti, C. I. Ital. t. XLVIII, 2756; Minervini, Bull. arch. Neap. II, 167. Bullet. della Commiss. Conserv. di Terra di Lavoro, Torn. 1 Ottob. 1873, p. 103. Fiorelli, Catal. Mus. Nap. Racc. epigr. n. 136. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XL, 5.* Cum hoc fictile et forma et opere proxime accedat ad similitudinem illius a *Cluvatio* dedicati, conicere licet, sub litteris: *Ni . Fi . i . sú* nomen dedicantis latere, et nomen *Vesunae* deae in integro fictili scriptum fuisse, cui constat et Marsos et Umbros sacra fecisse (*Momms. Unt. Dial. p. 343. C. Ausspr. II, 1081, c. 3. 1085, c. 4*), eamque deam significari protome mulieris haud indecora iuxta titulum expressa.

---

12. Fragmentum fictile cum capite Medusae et apri effigie expressa titulo subscripto, inventum inter Casertam et Capuam, tum in *coll. Castellani:*

viriium....	Virriorum .... (et)
vesulia[ieis..	Vesulliaei ..
deivin.....	divina res (numini consecrata res).

Edidit et tractavit *Lignana, Bull. d. Inst. a. R. 1869, p. 73 sq.*, unde *Fabretti, Prim. suppl. d. ant. iscr. Ital. n. 496.* Comparatis vocabulis Oscis *Virriis, Virriiis, Vesulliais, deivai* apparet, Lignanam recte primum tituli nomen *Viriium* genitivum pluralem interpretatum esse: *Virriorum*, ac fragmenta nominis *Vesulliais* et adiectivi *deivino-* agnovisse. Inde conieci, *Vesullia[ieis]* genitivo positum fuisse ut *Viriium*, ideoque *deivin.....* nominativi vim habuisse, id quod sequentium titulorum verbis ac sensu comprobatur.

13. Lamiua fictilis stelae forma, in altera parte apri effigie decorata, in altera tribus ornamentis ad florum similitudinem expressis, utrimque inscripta, inventa *ne' fondi del sig. Pattorelli alle Curti, ove estendevasi l'antica Capua*, non multo ante diem 1 mensis Octobris a. 1873, nunc in museo Capuano:

a. in parte tribus ornamentis illis insigni:

minieis . kaísillieís . minateís . ner(um)
ekas . iuvilas . iúveí . flagiuí
stahint

b. in altera parte apri effigie ornata:

minnieis . kaisillieís . minateís . ner(um)
ekas . iuvilas . iúveí . flagiuí . stahint

Minii, Caisillii, Minatis nobilium
hae iuvantes res (deliciae) Iovi Fulguratori stent (sacrae).

Edidit et interpretatus est *I. Minervini, Bulletin. della Commission. Conservatr. di Terra di Lavoro, Tornat del 1 Ottob. 1873, p. 99. 100.* Apparet in utroque latere laminae vel stelae eadem verba Osca legi, quorum duo prima scriptione eo differunt, quod altera pars habet *Minieis* et *Kaisillieis*, altera *Minnieis* et *Kaisillieis*. Sic supra vidimus eandem dedicationis formulam Oscam bis scriptam esse in lamina fictili Capuana (*n. 10*). Genitivi nominum *Minieis* (*Minnieis*), *Kaisillieis* (*Kaisillieis*) eiusdem generis sunt ac *Miínieis* (*n. 5*), *Niumsieis*, *Meelíkiieis*, *kumbennieis*, contra *Minateis* respondet genitivis *Lúvkanateís*, *Herentateis*, et nomen gentile est particula *-ati* adfixa formatum, qualia et Romanorum et Etruscorum fuisse constat (*Orell. Inscr. Henz. III, p. 243. Huebner, Quaest. onom. p. 18. C. Krit. Beitr. p. 565. 566. C. Sprache der Etrusker I, 294 sq. 298*). *Ner(um)*, quod non integrum esse scriptum vidit Minervini, supplevi e genitivo plur. *nerum* tabulae Bantinae (*v. 29. 31*), quem comparatis Umbrorum huius vocabuli casibus *ner-f* acc. plur. et *ner-us* dat. plur. demonstravi proprie significare *fortium*, inde *nobilium, principum* (*Z. f. vergl. Spr. V. 117 sq. cf. Minervini, l. c.*). *Ekas iuvilas* sunt nominativi plur. fem. ut *ekas-k*, *asas*, *scriftas*, quoniam accusativi plur. eiusdem declinationis *ekass*, *víass* exeunt in *ss*. Itaque *iuvilas* substantivum comparatis verbis Latinis *iuvat* (*delectat*) et *iucundus* interpretor *res iuvantes*, *res iucundae*, *deliciae* (χαριστήρια, κειμήλια), quae videlicet a nobilibus Capuanis in titulo nominatis *Iovi* dedicatae sunt. *Iúveí Flagiuí* optima ratione I. Minervini explicavit *Iovi Fulguratori*, cum cognomen dei *Flagiuí* eiusdem stirpis sit ut Latinorum *flagrare*, *fulgere*, *fulgur*, *fulgor*, Graecorum φλέγειν, φλόξ (*C. Ausspr. II, 154. ed. 2*). Denique *stahint* = *stent* coniunctivus est eiusdem generis ac *stait* = *stat*, *tadait*, *deivaid*, a *staiet* = *stent* simili ratione diversus ut Latine *sint* a *sis* (*C. Ausspr. I, 352. 728. ed. 2. Ender. Formenl. d. Osk. Spr. p. 32*). Qu verbo Osci utuntur in dedicationis formulis, ut Umbri eodem verbo

formula lapidis terminalis *sacre stahu* = *sacrum sto* (*Aufr. Kirchh. Umbr. Sprd. II, 390. 392*).

---

14. Lamina fictilis stelae formam referens, utrimque inscripta, inventa *ne' fondi del sig. Pattorelli alle Curti, ove estendevasi l'antica Capua*, nunc in museo Capuano:

a. in altera parte apri effigie ornata:

pum(p)erías . pustm(as)
kluvatiium

b. in altera parte personae radiatae imagine decorata:

pumperias . pustm(as)
kluvatiium

Pomperiae Postimae (et)
Cluvatiorum (donum).

Utrumque titulum delineavit Th. Mommsen; hunc alterum tantum (b.) edidit et interpretatus est I. Minervini, *Bulletin. della Commission. Conservatr. di Terra di Lavoro, Torn. del 1 Ottob. 1873, p. 99 cf. U. v. Wilamowitz, Bull. d. Inst. a. 1873, p. 149.* Supplevi *Pustm(as)*, quod in Latinis Pompeiorum titulis scriptum est cognomen mulieris *Postima* (C. I. Lat. IV, 2133, a), unde efficitur, ut *Pomperias Pustm(as)* sit nomen et cognomen mulieris qualia Latina Pompeianarum, *C. I. Lat. IV, 1333, a: Iun(iae) Primae; l. c. IV, 1486: Caesiae Secundae; l. c. IV, 2003: Verria Vitalis; l. c. IV. 1549:* Καικιλια Μαξιμα . *Kluvatiium* genetivus plur. potest esse tertiae declinationis ut *Tiiatium*, aut secundae ut *Viriium* (*n. 12*). Sed cum in Latinis titulis Oscae quondam regionis appareat nomen *Clovatius, Clovatia* (*Momms. I. R. Neap. Ind. nom. viror. et mulier. C. I. Lat. II, 545*), non est dubium, quin genetivus Oscus *Kluvatiium* idem valeat ac Latinus *Clovatiūm, Clovatiorum.*

---

15. Annulus aureus ornamentis carens, inventus non multo ante diem 5 Martii an. 1873 in agro Capuano *dagli scavi del sig. Orazio Pascale al luogo così detto Tirone*, in cuius parte superiore punctis distinctis dextrorsum scriptus est titulus Oscus:

arafiis vibis
Arafius Vibius (Vibius Orfius).

Atti della Commissione Conservatrice dei monumenti ed ogetti di antichità e belle arti nella provincia di Terra di Lavoro anno quarto 1873 pag. 33. 34. Tornata 5 Marzo 1873. Ex his actis manu scriptis I. Minervini comiter mihi obsecutus verba rescripsit ac mecum communicavit, quibus egit de anulo aureo Campano. In cuius titulo *Vibis* videtur praenominis vim habere ut in titulis *Sinintiorum* Campanorum (*n. 7—9*). Est autem post

nomen gentile positum, sicut interdum occurrit in titulis Latinis, *C. I. Lat. I, 30: Cornelius Lucius; l. c. I, 831: Alfenos Luci.* Nomen *Arafiis* crediderim ex **Arfiis* ortum esse vocali *a* more Osco interposita ut in *aragetud* = *argento* et *Alafaternum* = *Alfaternorum*, ita ut habeamus Oscam formam Latini nominis *Orfius*, *Orbius*, cui respondet Etruscorum *Urfia* (*Fabretti, Prim., suppl. ant. iscr. It. n. 251, 2 f.*), Graecorum Ὀρφώνδας (*C. Ausspr. I, 147. 162 ed. 2*).

CVMAE.

16. Pars superior stelae tofaceae inventae a. 1858, nunc in museo Neapolitano:

g. silli g. — Gavius Sillius Gavii f.

Ipse delineavi Neapoli et habeo etiam apographum a R. Schoene missum. *Minervini, Bull. arch. Nap. nv. s. IV, n. 105. Fabretti, C. I. Ital. n. 2760. Fiorelli, Catal. Mus. Nap. Racc. epigr. n. 139. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. VIII, 1.* Ego tractavi *Z. f. vergl. Spr. XI, 325 f.; cf. Fiorelli, Adversaria epigraphica, p. 1 sq.* Sepulcri fuisse hanc stelam cum titulo, non dubium videtur.

17. Lapis tofinus aediculae formam referens, in cuius porta titulus sepulcralis scriptus est, pars superior stelae inventae a. 1858, nunc in museo Neapolitano:

statie	Statius
silie s	Silius
salavs	Salvius.

Delineavi Neapoli. *Minervini, Bull. arch. Nap. nv. s. IV, p. 105. Fiorelli, Catal. Mus. Nap. Racc. epigr. n. 138; cf. Fabretti, C. I. Ital. n. 2761. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. IX.* Ego interpretatus sum *Z. f. vergl. Spr. XI, 325 f.*, post denuo *l. c. XX, p. 97*, ubi effigiem aediculae et tituli sepulcralis adumbratam imprimendam curavi; *cf. Fiorelli, Adversaria epigraphica, p. 1 sq.*

18. In diversis partibus carchesii fictilis litteris deauratis, inventi a. 1850 in sepulcro Cumano:

a.	upils	Opilius
b.	ufiis	Ofius.

Fiorelli, Monumenti antichi posseduti da S. A. R. il conte di Siracusa, tav. III, p. 13, quem librum rarissimum me rogante G. de Petra inspexit, *Fiorelli, Bull. arch. Nap. nv. s. IV, 105,* unde *Fabretti, C. I. Ital. n. 2762. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XL, 4.* Tractaverunt Minervini, *Bull. arch. Nap. nv. s. I, 163. cf. IV, 108,* ego, *Z. f. vergl. Spr. XI, 324,* Fiorelli, *Adversaria epigraphica p. 1.*

---

19. Tegula in agro Cumano reperta *d' appresso all' Arco felice nel lato della Spiaggia* cum figura graphio exarata feminae nudae stantis in globo et bracchiis pandentis amplum pallium stellatum, in quo bis scriptum est:

úpsim	úpsim
Opsiorum (donum).	Opsiorum (donum).

G. Garrucci, Tegolo Cumano con rappresentanza graffita e leggenda Osca. 1862, p. 4 sq. 9 sq. tav., unde *Fabretti, C. I. Ital. n. 2763; cf. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. XLII—XLIII, 14. Úpsim = Opsiorum* est genitivus pluralis eiusdem generis atque *Aisernim, Safinim, úinim,* cum et tituli Latini Oscae quondam regionis habeant nomina *Opsius, Opisius* (*Momms. I. R. Neap. Ind. nom. viror. et mulier.*), et genitivi pluralis nominum gentilium nuper in lucem prodierint *Viriium = Virriorum* et *Kluvatiium = Clovatiorum* in dedicationum titulis Campanis, hominum scilicet complurium eiusdem gentis, qui deis dona dederunt (*n. 12. 14*), et dedicationis formulas bis repeti in eodem fictili Campano supra demonstratum sit (*n. 10. 13*). Itaque *Upsim* significat, *Opsiorum* gentis Cumanae homines effigiem deae graphio exaratam in tegula huic ipsi deae dono dedisse. Me autem iudice haec dea est *Nox* (*Verg. Aen. V, 721. VII, 331. XII, 846. 860. Ovid. Fast. I, 455*), pallium stellis ornatum, quod expandit: nocturnum caelum stellatum, globus, in quo stat: polus (*Verg. Aen. V, 721*) vel globus mundi.

POMPEII.

20. Tabula ex lapide Tiburtino qui vocatur marginibus utrimque detritis et deficiente utroque angulo superiore fracto, inventa ante portam Stabianam die 12 mensis Augusti a. 1851, litteris ad regulam bene incisis, nunc in museo Neapolitano:

m . siuttiis m . n . púntiis . m
a] ídilis . ekak . víam . teremn[a
t] tens . ant . púnttram . staf[i
anam . víu . teremnatust . per
X . íussu . vía . púmpaiiana . ter
emnattens . perek . III . ant . kaí
la . iúveís . meelíkiieís . ekass . ví
ass . íní . vía . iúviia . íní . dekkvia
rím . medíkeís . púmpaiianeís
serevkid . imaden·. uupsens . íu
su . aídilis prufattens

Maius Suttius Maii f. Numisius Pontius Maii f.
aediles hic viam termina-
verunt ante pontem Stabi-
anum. Via terminata est cippis
X. Iidem viam Pompeianam ter-
minaverunt cippis III ante cae-
latum (signum) Iovis Meilichii. Has vi-
as et viam Ioviam ac decuma-
nam medices Pompeiani
solide ab ima (parte) operati sunt, ii-
dem aediles probaverunt.

Dedi titulum ex effigie a me delineata, quam nuper me rogante G. de Petra denuo cum lapide comparatam et recognitam probavit, collato etiam ectypo a R. Schoene misso cum illa plane congruente. Primum ediderunt et interpretati sunt titulum *Minervini, Memorie Ercolanese d' archeol. Vol. VII, Append. p. 9 sq.*, *Garrucci, l. c. p. 22 sq.*, *Quaranta, l. c. p. 61 sq.*, unde *Henzen, Bull. d. Inst. a. R. 1852, p. 87* et *Fabretti, C. I. Ital. t. LI, 2785.* Accuratam magnificamque inscriptionis effigiem conficiendam curavit *Fiorelli, Monum. epigr. Pompei. tab. I, p. 5 sq.* Interpretationem eius cauta ratione ad linguae Oscae leges revocaverunt *Aufrecht, Z. f. vergl. Spr. II, 55*, et *Kirchhoff, Allgem. Monatsschr. 1852, p. 578;* quaedam addidi ego, *Z. f. vergl. Spr. V, 126 sq., Ausspr. II, 179 not. 1, ed. 2*, denique *Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. X, cf. Glossar.*

Hunc titulum cum neminem fugere possit summi momenti esse ad cognoscendum regionum et aedificiorum oppidi Pompeiorum statum, qualis Samnitium aetate fuerit, facere non possum, quin de vocabulis Oscis eius *per.* = *perek.*, *kaila*, *dekkviarim*, *serevkid* paucis hoc loco agam, ne viri

harum rerum periti me temere et pro arbitrio ea Latinis verbis: *cippis*, *caelatum signum*, *decumanam*, *solide* reddidisse suspicentur, alia scribendi opportunitate oblata me argumentis altius repetitis cum e linguae ratione tum ex agrimensorum disciplina totam huius inscriptionis interpretationem retracturum esse professus. Iam igitur *perek. per.* notae supplendae videntur ad *per-e-k(a-is)*, eiusdem formae vocabulum atque Umbricum *per-ca-f*, quamvis non eadem prorsus significatione (*Aufr. Kirchh. Umbr. Sprd. II, 247. 413*), eadem stirpe ortum ut vox Latina *per-ti-ca*, cum sensu *stipitibus* vel *cippis*. Et quoniam in titulis viarum Latinis frequens est formula dicendi: *viam terminaverunt cippis*, huic respondet Osca in titulo magistratuum Pompeianorum: *via teremnattens perek(ais)*, id quod bene intellexit Quaranta (*l. c. p. 67. 68*). *Caila*, quam vocem in lapide his litteris scriptam esse nunc quoque conspicere poterit, quicumque oculis uti voluerit, nulla linguae ratione eadem vox potest esse ac Latina *cella*, nec credibile est eam significare *templum* vel *fanum* vel *sacellum*, cum hoc sensu in linguae Oscae monumentis habeamus vocabula *pestlom*, *fiisnú*, *sakaraklom* (*C. Ausspr. II, p. 1079, c. 3. 1078, c. 2. 1080, c. 2, ed. 2, Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. Gloss. p. 44. 55. 49*). Itaque *cail-a* eiusdem stirpis similisque sensus esse arbitror ac Latina vocabula *cail-a-re*, *cael-a-re*, *cael-u-m* „genus ferramenti, quem vulgo *cilionem* vocant“ (*Isid. Orig. XX, c. 4, p. 623*), et accusativum sing. *caila: caelatum opus*, *caelatum signum* interpretor. Nam apud Samnites aenea caelataque signa Iovis aliorumque deorum in usu fuisse, docet parvum Iovis caput aeneum in agro Frentano repertum cum inscriptione Osca (*Momms., Unt. Dial. t. VII, 2 p. 170*). Adiectivum *dekkv-ia-ri-m*, in quo inesse stirpem Oscae numeri denarii vocis iam Garucci (*l. c. p. 35*) et Quaranta cognoverunt (*l. c. p. 88*), repetendum existimo a substantivo osco *dekv-ia-*, quod respondet Umbrico *tekv-ia-s* gen. sing. fem. (*tab. Iguv. II b, 1. Aufr. Kirchh. a. O. II, 336 f.*), significatione non diverso a Graeco *δεκ-άς*, unde *dekkv-ia-ri-m* sensum *decu-m-ana-m* accepit. Denique *ser-e-v-ki-d* interpretor adverbium eiusdem generis ut Oscum *am-prufi-d* = *im-probe*, Latinum *facilume-d*, formatum a stirpe nominis *ser-vo-*, quae inest in verbo denominativo *ser-v-a-re* et significat *solidum*, *totum*, *integrum* (*C. Z. f. vergl. Spr. XVIII, 200. Ausspr. I, 485 sq., ed. 2*).

---

21. Horologium solarium ex lapide Tiburtino inventum in thermis Stabianis ad viam, quae a foro ad amphitheatrum ducebat, die 23 Septembris anni 1854, nunc in museo Neapolitano; cuius in fronte litteris bene incisis legitur titulus:

mr . atiniís . mr kvaísstur . eítiuvad
múltasíkad kúmbennieís . tangi(nud)
aamanaffed

Maras Atinius Marae f. quaestor pecunia
multaticia conventus scito
perfecit.

Minervini, Bull. arch. Nap. nv. s. III, tav. IX, 3. 4, p. 36 sq. 105 sq. Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. tab. V, 3 p. 9, unde *Fabretti, C. I. Ital. t. LI, 2794* et *Fiorelli, Catal. mus. Nap. Racc. epigr. n. 142.* Ego interpretatus sum, *Z. f. vergl. Spr. X, 334 sq.; cf. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. LII.*

---

22. Duo fragmenta tabulae ex lapide Tiburtino in *casa del Fauno* reperta die 12 Aprilis et 14 Septembris a. 1831, nunc in museo Neapolitano:

. . puriís . ma	Purius, Maii f.
. k]vaísstur	quaestor
kú]mparakineís	convocatae contionis
ta]ngin . aamanaffed	scito perfecit.

Fragmentum prius inventum publicavit Avellino, *Mus. Borb. VII, Rel. d. scav. d. Pomp. p. 19,* unde alii repetiverunt, et Lepsius, *Inscr. Umbr. et Osc. t. XXIII, n. 14,* alterum adiunxit Th. Mommsen ex Amiconis apographo, *Bull. arch. Nap. V, p. 45. Unt. Dial. t. X, 25, p. 183 sq.,* dubitans de ultimarum tertii versus litterarum lectione. Hanc viso lapide constituerunt Garrucci, *Bull. Nap. nv. s. II, p. 165,* et Fiorelli, *Mon. epigr. Pomp. tab. V, 2, p. 9,* unde Fabretti, *C. I. Itat. LI, 2792* et Fiorelli, *Cat. mus. Nap. Racc. epigr. n. 145.*

Quartum vocabulum huius tituli Garrucci coniecit fuisse *[tri]mparakineis* et significare tribum quandam Pompeianorum (*cf. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XVII*). Ego cum antea lectione minus recta fretus suppleverim *[kú]m-parak-iei-s* et: *convocationis convocatae* interpretatus sim (*De Volscor. ling. p. 24*), nunc *[kú]m-parak-in-eis* restituendum arbitror, comparatis genitivorum sing. formis *kúm-benn-iei-s* = *conventus* et *tang-in-eis* = *sciti,* eadem syllaba *-in* formatum esse ratus vocabulum *[kú]m-parak-in-eis* = *contionis convocatae* atque Osc. *tang-in-om, medicat-in-om,* Umbr. *nat-in-e,* Sabell. *ag-in-e,* Lat. *cupid-in-e* alia permulta (*C. Ausspr. I, 574. 580 f. II, 1043, c. 1, ed. 2*).

---

23. Fragmentum lapidis inventi die 12 Iulii 1873, nunc in museo Neapolitano:

ann ·
kad ·
fat ·

Apographum et ectypum litterarum misit G. de Petra studiis meis favens, ut assolet. Comparato titulo quaestoris Pompeiani, *Momms. Unt. Dial. t. X, 26, p. 184 ..... k]vaisstur .... t] anginud [úpsann]u deded [isidum] ekhad [pruf]atted*, fragmentum tituli supra scriptum sic suppleri potest:

. . . . . [kvaísstur]	quaestor
. . . . . [úps]ann	operan-
am deded ísídum e]kad	dam dedit, idem hic
pru]fat(ted)	probavit.

---

24. Lapis Tiburtinus epistylii inventus in *casa del Fauno* mense Augusto a. 1865, nunc in museo Neapolitano:

v. sadiriis . v. aídil

Vibius Sadiriis Vibii f. aedilis.

G. de Petra, Sulle condiz. delle città ital. dopo la guerra sociale, p. 68. Schoene, Bull. d. Inst. a. R. 1867, p. 37 sq. not. 1. Ex schedis *Fiorelli ed. Fabretti, C. I. Ital. n. 2819; cf. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XIX, a. Fiorelli, Gli scavi di Pompei dal 1861 al 1872, p. 88.*

MENSA MENSURALIS POMPEIANA.

25. Hoc demum tempore in lucem prodierunt inscriptiones quaedam Oscae incisae in mensa mensurali Pompeiis inventa iam mense Maio a. 1816 in camera quadam magnae porticus, quae inter forum et templum Veneris sita est, nunc in museo Neapolitano asservata (*lapid. Pomp. num. 1271*). Cuius in tabula lapidis Tiburtini oblonga incisa excavataque apparent novem vasa rotunda diversae capacitatis, quinque deinceps in media tabula, quattuor minora in quattuor angulis eius disposita, quibus Pompeiani metiendis rebus liquidis et aridis in commercio tanquam norma regulaque uterentur. Atque hanc quidem mensam G. Mancini optime demonstravit primum ea aetate fabricatam, qua Samnites Pompeiis dominarentur, quinque media tantummodo continuisse vasa, adscriptis Oscis vel Graecis mensurarum vocabulis, deinde in aliam formam redactam esse Augusti tempore, quo vasa media dilatarentur et quattuor minora in angulis tabulae adderentur, ut Pompeianorum mensurae cum Romanis adaequarentur, teste titulo Latino, qui est scriptus in fronte mensae de mensuris exaequandis (*Giorn. d. scav. d. Pomp. 1871, p. 144—161, tav. VI, fig. I. II*).

Tunc igitur duumviri Pompeiani, qui ex decurionum decreto mensuris exaequandis praeerant, vocabula Osca mensurarum antiquarum scalpro eradi iusserunt. Sed non tantum profecit lapicida in hoc devastandi labore, ut non trium vocabulorum certae litterarum relliquiae restarent.

Primum vas, ubi a dextra parte numerare inceperis, idque maximae capacitatis quomodo appellatum sit a Samnitibus, nullis litterarum vestigiis indicatur.

Ad secundum adscriptum est vocabulum Oscum:

díasiís bes.

Ad tertium vas exstant quidem litterarum rarae quaedam relliquiae, sed eae tam dubiae et maximam partem evanidae, ut nihil certi ex eis de nomine huius mensurae colligi possit.

Ad quartum appositum est vocabulum:

kúíníks χοῖνιξ.

Ad quintum denique vas incisae adhuc apparent litterae:

sebsík . .,

ita ut post *k* una vel duae litterae deletae esse videantur.

Dedi haec mensurarum vocabula ex ectypis et apographis, quae misit G. de Petra, comparatis apographis a Th. Mommsen nuper acceptis. *Díasiís* scripsi cum Manc. et Momms., de Petra: *díasís*.

Vocabulum quarti vasis *kúíníks* Mancini sine dubio recte interpretatus est χοῖνιξ, quoniam Osca littera *k* pro Graeca χ etiam in cognomine Pompeiano Iovis: *Meelíkiieís* pro Μειλιχίου scripta ac pronuntiata est. Idem vir doctus intellexit, in voce *díasiís*, quo secunda mensura significatur, inesse stirpem numeri binarii *di-*; sed quominus credamus eam esse simplex nomen cum sensu Graeci δίπλοος, Latini *duplus* vel *duplex*, obstare videtur, quod nec Graeci nec Romani his adiectivis utebantur ad mensuram rerum liquidarum significandam, nec credibile est vocabulo huiusmodi, quod indicet duplicem modum, appellari id vas, quod in antiquissima mensae mensuralis forma consentaneum est secundum capacitatis locum tenuisse, ut post mensuras eius Augusti tempore immutatas. Itaque Oscum *di-as-ii-s* paene idem esse vocabulum compositum arbitror ac Latinum *b-es*, quod e **bi-essi-s*, **bi-assi-s* ortum esse demonstravi, comparatis vocibus *quinqu-essi-s*, *tr-essi-s* pro **tri-essi-s*, *bi-c-essi-s* pro **bi-dec-essi-s*, *sem-is*, ita ut *b-es* proprie *duas partes tertias assis pondo* significet, tum duas partes tertias qualiscumque rei totius, ut modii rerum aridarum et sextarii liquidarum rerum et iugeri agri (*Ausspr. II, 413. 687, ed. 2. Paull. Fest. M. p. 33. Scribon. Compos. medic. 157. Cic. Att. IV, 15, 7. Plin. N. H. XVIII, 11, 26. S. Scrib. l. c. 126. Mart. XI, 36, 7. Colum. V, 1*). Itaque Oscum compositum *di-as-ii-s* et Latinum *b-es* pro **bi-essi-s*, **bi-assi-s* ex eadem stirpe Italica **dui-assi-* videntur orta esse, ad quam Osce adfixa est particula *-io*. Atque hanc

revera esse vocis Oscae significationem, quam statui, comprobatur diversa capacitate vasorum, quae sunt in media mensa, a maximo ubi inceperis, his mensurarum, quibus nunc utuntur Itali, numeris indicata: *A. litr. 31,000. B. litr. 23,000. C. litr. 16,250. D. litr. 10,250. E. litr. 5,250 (Mancini l. c. p. 154)*. Qui numeri, cum eadem fere ratione inter se differant ut $1 : \frac{2}{3} : \frac{1}{2} : \frac{1}{3} : \frac{1}{6}$, vocabulum Oscum *di-as-ii-s* significasse apparet Samniticae mensae vas capacitate secundum, quod duas partes tertias primi et maximi illius vasis contineret.

Litteras vocabuli quintae mensurae *sebsik*.. Mancini in *sebsik[s]* vel *sebsik[is]* restituere conatur, sed me fateor nescire, quid de huius mensurae nominis Osci origine et significatione statuendum videatur.

---

26. Duo fragmenta lapidis Tiburtini adhibiti ad cardines portae sustinendos in *casa di N. Popidio Prisco* vel *casa de' marmi* his litteris incisis:

mr . pú[p]idiis . mr
pu[mpaii]an[s

Maras Popidius Marae f.
Pompeianus.

Dedi ex apographo a R. Schoene accepto; inde etiam *Fabretti, C. It. t. LII, 2819,* tum ab ipso lapide *G. Fiorelli, Gli scavi di Pomp. dal 1861 al 1872, p. 88.* Quod Enderis scripsit, *Formenl. d. Osk. Spr. n. XIX, 2: Pu . . . riis,* legendo erravit. Bene Fiorelli titulum sic restituit, ut supra scriptus est, ita ut *Pu[mpaii]an[s]* cognomen habendum sit idem ac *Pompeianus* in Latino titulo Pompeiis invento, *C. I. Lat. IV, 1756: P. Purreius Pompeianus.*

---

27. Fragmentum lapidis tofini inventum a. 1847 in muro exadversum *casa di M. Lucrezio,* nunc in museo Neapolitano:

mr nú — Maras Novius.

Titulum delineatum habeo a R. Schoene. Ed. *Fiorelli, Giorn. d. scav. d. Pomp. Nap. 1850. Dispens. II, p. XIX. Cat. mus. Nap. Racc. epigr. n. 149.* Ex suis schedis ed. *Fabretti, Prim. suppl. d. ant. iscr. It. n. 504.*

---

28. Parvum fragmentum epistylii in museo Neapolitano:

epid[iis] — Epidius.

E. Brizio, Giorn. d. scav. d. Pomp. I, 266, not. 1, unde *Fabretti, Prim. suppl. ant. iscr. Ital. n. 505. — Fiorelli, Gli scavi di Pomp. dal 1861 al 1872, p. 88. Epid[iis]* E. Brizio recte supplevit, cum in programmatibus Pompeianorum frequens sit nomen *Epidius* (*C. I. Lat. IV, p. 230, c. 2. Zangem.*).

29. In aedibus *strada di Mercurio n. 18* ad sinistrum angulum vestibuli versus atrium incisa in lapidem calcarium quadratum cum vestigiis rubri coloris:

ꟷIIΛX XVII.

Delineavit R. Schoene, qui dicit verisimile esse, at non certum hanc esse numeri notam Oscam. Sed cum Λ nec numeri nota Latina sit, nec littera Osca vel Latina, cumque in nummis Oscis appareant notae Oscae numerorum IΛX, IIΛX, IIIΛX, IIIIX aliae (*Momms., Unt. Dial. p. 202. 312. Friedl., Osk. Münz. p. 72. 83*), non dubium videtur, quin signum IIΛX in lapide Pompeiano idem valeat ut nota IIΛX in nummis Oscis, quamvis ultima lineola illius incerta sit.

---

30. Titulus rubro colore pictus in lapide tofino pilae positae in angulo occidentali domus *casa del Fauno:*

. . . u . a . . . . u . .
. . . . X íní XI . puf
. . . . a . t . físanisú . . . . .

Delineatum misit R. Schoene. Cum his inscriptionis Oscae relliquiis comparandi sunt tituli in parietibus aedium *casa di Sallustio* (*d'Atteone*) et *casa di Pansa* iisdem verbis concepti et rubro colore picti in lapide tofino, *Momms., Unt. Dial. t. XI, 19, a. b: Eksuk amvíanud eítuns* (*eít.*) *anter tiurrí XII íní* (*íní*) *ver.* (*veru*) *Sarínu, puf faamat Mr. Aadíriis* (*Aadíriis*) *V. = Hoc ambitu* (*viae anfractu*) *eunt inter turrim duodecimam et portam Sarinam, ubi habitat Maras Adirius Vibii f.* (*C. Z. f. vergl. Spr. V, 129 sq. XIII, 259 sq.*). Ex horum titulorum verbis inscriptionis relliquiae supra scriptae hunc in modum supplendae videntur:

eks]u[k] a[mvíanud eít]u[ns
anter tiurrí] X íní X . puf
faam]a[t] t . físanis ú

Hoc ambitu (viae anfractu) eunt
inter turrim decimam et undecimam, ubi
habitat Titus Fisanius Oppii filius.

Plenius egi de hoc titulo in commentatione de linguae Oscae quibusdam monumentis, *Z. f. vergl. Spr. XXII, 295 sq. cf. 289 sq.*

31. Titulus rubro colore pictus in lapide tofino aedium *vicolo dei Soprastanti*, cui subscriptus est titulus Latinus (*C. I. Lat. IV*, *31*):

. . . | . . . .
. . . . p . ka . ia . . . .
. . mr . s . . . . . is . l
. puf faamat
v . s . vasímbaiís v (?).

Delineatum accepi a R. Schoene. Hanc inscriptionem ex titulis praecedentibus sic supplendam atque explicandam arbitror:

. . . | . . . .
. . . . p . ka . ia . . . .
. . mr . s[adiri]is . l
. puf faamat
v . s[e]vasi m baiís v (?).

.. Maras Sadirius Lucii f.,
. ubi habitat
Vibius Sevasius (?) Maii f. Baius v (?).

Etiam de hoc titulo egi in commentatione, *Z. für vergl. Spr. XXII*, *p. 298 sq.*, in qua exposui, quid ex his quattuor Oscis domiciliorum indicibus in parietibus aedium penicillo pictis ad statum oppidi Pompeiorum, qualis fuerit Samnitium aetate, cognoscendum colligi et referri posse videatur (*l. c. p. 294 sq. 296 sq. 299*).

---

32. Titulus rubro colore pictus in lapide tofino pilae positae prope thermas fori occidentem versus *regione VII, isola V, lato meridionale:*

m(?)a . kastriki[s] .	Maius Castricius
mr . spurikís . l	Maras Spuricius Lucii f.,
puf . faamat	ubi habitat
v . sehs ímbrar (?) —	Vibius Sehius Impera...?

Apographum misit G. de Petra, qui scribit hunc titulum aestate anni 1873 vi solis et aquae restitutum apparuisse in pila, quae iam per dimidium saeculum stet effossa. In eo *Sehs* est nominativus sing. nominis gentilis una stirpe orti cum Latino *Sehiai* (*C. I. Lat. I*, *147*) atque eiusdem formae ut *Heirens*, *Upils*, *Salavs* (*C. Ausspr. II*, *605*, *ed. 2*). Ultimis litteris *imbrar* sunt *imbratr*, videtur subesse cognomen eiusdem stirpis ut *embratur*, Lat. *imperator*, *imperare*, *imperium*. Ceterum ex hoc domicilii indice collatis

praecedentibus titulis colligitur, Castricium et Spuricium Pompeianos aut aliquo officio vel opere functos esse, aut officinam vel fabricam vel tabernam qualemcumque habuisse in aedibus, ubi habitaret Vibius Sehius.

---

33. In columna porticus fori nona (a basilica) ordinis meridionalis interioris rubro colore in tofo pictus est titulus:

vaamunim
Vamoniorum (?)

ita ut singulae litterae eius in singulis striis dimidiae partis columnae dispositae sint. In altera dimidia parte eius columnae eadem ratione pictum est Latinum vocabulum *Victor*, ita ut huius littera v in eadem stria posita sit ac littera prima ɔ vocabuli illius Osci, *Fiorelli, Giorn. d. scav. d. Pomp. Vol. I. 1850, p. X; cf. p. XI. Mon. epigr. Pomp. tab. X, 1, p. 11,* unde *G. Garrucci, Tegol. Cuman. con rappr. graff. e legg. Osc. p. 8 sq. Fabretti, C. I. Ital. t. LII, 2803,* ubi pro *Victor* scriptum est *victoria, cf. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XXXVII, 6; — Zangemeister, Inscr. par. Pomp. C. I. Lat. IV, 674, not.* — Fiorelli etiam in alia columna eiusdem porticus legit utramque vocem *vaamunim* et *Victor* (*Giorn. l. c. p. X*). Contra Zangemeister vocabulum *Victor* semel tantum pictum invenit, at *vaamunim* affirmat „repetitum in quattuor columnis propinquis (in sexta, ubi pro v fortasse exstat v, in octava, in angulari eiusdem et orientalis ordinis et in proxima ab hac meridiem versus ordinis orientalis), sed ex parte tantummodo servatum. "Cum *Vaamunim* sit genitivus plur. eiusdem formae ut *Upsim*, *Aisernim*, *Safinim*, *úinim*, cumque genitivi plur. nominum geutilium *Upsim*, *Viriium*, *Kluvatiium* in titulis Campanis indicent homines complures eiusdem gentis, qui dona deis dederunt vel posuerunt (*n. 19.*), consentaneum est, etiam *Vaamunim* esse genitivum plur. nominis gentilis, quo significetur, homines huius gentis aut ipsas columnas faciendas vel reficiendas curasse, in quibus nomen scriptum legatur, aut dona qualiacumque dedisse, quibus porticus fori Pompeiani exornaretur. Sed fatendum est, nomen *Vaamunim* neque in aliis titulis Oscis legi, neque in lingua Latina inveniri.

---

34. Inscriptio rubro colore picta in tofo aedium *strada della Fortuna, n. 3:*

m]a[r]a silli Mara Sillius.

Delineatam misit R. Schoene. Supplevi praenomen *Mara* **secundum** Μαρας et notam eius *Mr.* (*Momms., Unt. Dial. p. 241*), **comparata Osca** nominativi forma *Arkiia* pro Graeca Ἀρχίας (*cf. infr. n.* **40**).

35. Rubro colore picta in tofino pariete dextro vestibuli domus *strada di Mercurii n. 37:*

skíru — Σκίρων, (Σκείρων).

Delineavit R. Schoene. *Skíru* videtur Osca forma Graeci nominis Σκίρων, *n* littera abiecta ut nominativorum Latinorum *Philo*, *Chilo* pro Graecis Φίλων, Χείλων.

---

36. Rubro colore picta in occidentali parte aedium *vicolo di Eumachia,* in pila tofacea sinistra ostii, quod quartum apparet a *vico degli scheletri* venientibus:

rút : ni

Delineatam habeo a R. Schoene.

---

37. Rubro colore picta in tufo parietis aedium in *strada dell' Abbondanza n. 15:*

IIII | n

Delineavit R. Schoene.

---

38. Rubro colore picta in pariete tofaceo domus in *strada dell' Abbondanza n. 16:*

m .
I

Delineavit R. Schoene.

---

39. Graphio exarata in pariete atrii sinistro aedium Cuspii in *strada dei Diadumeni* (*strada del anfiteatro 10*)*:*

sabinís — Sabinius.

Delineatam misit R. Schoene. Ed. *Schoene*, *Bull. d. Inst. a. R. 1867, p. 48. Fabretti, C. I. Ital. n. 2822,* unde *Enderis*, *Formenl. der Osk. Spr. XXXIX, 5; Zangemeister, Inscr. par. Pomp. C. I. Lat. IV*, *2395*, *not.* In iisdem aedibus Latine scriptum legitur: *scribet Sabinus* (*l. c. n. 2395*).

---

40. In pariete portae Nolanae septentrionali graphio exarata in opere tectorio:

arkiia — Αρχίας.

Descripsit *Zangemeister, Inscr. par. Pomp. C. I. Lat. IV, 1608, not.* qui bene coniecit *Arkiia* esse Oscam formam nominativi Graeci Ἀρχίας. Nam in his vocabulis Osca littera *k* respondet Graecae χ ut in *Meelíkiieís* = Μειλιχίου et *kúiniks* = χοίνιξ.

---

41. Litteris graphio inscriptis in pariete lupanaris:

markas — Marcus.

Fiorelli, Giorn. d. scav. d. Pomp. 1862, p. 52, unde *Fabretti, C. I. Ital. n. 2821. — Zangemeister, Inscr. par. Pomp. C. I. Lat. IV, n. 2200, not.;* parum recte lecta, *Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XXXIX, 5: Margas,* cum tres tituli litterae *ark* ligatae sint. Fiorelli demonstravit *Markas* praenomen Oscum in pariete lupanaris significare eundem hominem, qui ibidem nomen suum scripserit Latine: *Marcus Scepsini.* Est autem *Markas* nominativus sing. eiusdem generis ut praenominum Oscorum *Maras, Tanas, Cahas* (*C. Z. f. vergl. Spr. XVIII, p. 242 sq.*).

---

42. Graphio inscripta in pariete domus:

ní · pinni · | — Numisius Pinnius . .

Garrucci, Graffit. d. Pomp. pl. XXVI, 2, p. 87. Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. tab. X, n. 13, e. p. 11, unde *Fabretti, C. I. Ital. n. 2812.*

---

43. Graphio exarata in aedibus *casa del Fauno:*

a pú (?). . . ríe(?)s — Aulus Po . . . rius(?)

Garrucci, Memor. Ercol. d' arch. VII, Append. p. 24. Graffit. d. Pomp. pl. XXVI, 5, p. 87. Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. tab. X, 7, p. 11, inde *Fabretti, C. I. Ital. t. LII, 2810. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XXXIX, 4.* Garrucci legit: *A. Púlkrívs;* quinta littera ap. Fior. est *a.*

---

44. Stilo scripta in pariete domus:

itbut(?)d(?)n.

Garrucci, Graffit. d. Pomp. pl. XXVI, 3, p. 87, inde *Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. tab. X, 13, p. 12. Fabretti, C. I. Ital. n. 2812.*

---

45. Graphio exarata in pariete aedium:

| u | mus.

Garrucci, Graffit. d. Pomp. pl. XXVI, 1, p. 8, unde *Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. tab. X, 13, p. 12. Fabretti, C. I. Ital. t. LII, 2811.* Incertum est, utrum prima littera sit ⟩ an ⟨, tertia т an п.

46. Graphio scripta:

pd ∞ ∞ — pedes M · M.

Edidit et interpretatus est *Garrucci, Bull. arch. Nap. nv. s. I, 83*, inde *Fabretti, C. I. Ital. 2820.*

---

47. Initia et fragmenta alphabetorum Oscorum graphio inscriptorum in parietibus aedium *casa del Fauno* et aliis:

a. abg . . .
b. abgd . .
c. abgd
d. abgde
(e. abbgk ?)

Primi alphabeti tectorio opere deleto mutilati fragmentum iam habet *Momms. Unt. Dial. t. XI, 31, e. p. 188,* unde *Fabretti, C. I. Ital. 2825.* Cetera ediderunt *Garrucci, Graffit. d. Pomp. pl. I, 1—4, p. 25,* et *Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. tab. X, 9—12, p. 12.* Pro ultimo Zangemeister legit litteras rubro colore in tectorio pictas et sinistrorsum versas forma magis Latina quam Osca: *soabbgid, Inscr. par. Pomp. C. I. Lat. IV, 3223.* Latina alphabeta eorumque fragmenta permulta graphio exarata sunt in parietibus aedium Pompeianarum (*Zangem. l. c. n. 2514—2549, c. 3206—3222*).

---

48. Incisa in tegula musei Neapolitani:

víilineis — Vilineius.

Minervini, Bull. arch. Nap. nv. s. II, p. 118. Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. tab. X, 8, p. 12, unde *Fabretti, C. I. Ital. t. LII, 2817.* Ego tractavi *Z. f. vergl. Spr. XI, 322 f.; cf. Enderis, F. d. Osk. Spr. n. XLII, 6).* Cum antea ad incertum revocaverim, *Víilineis* sitne nominativus stirpis *Víilineio-*, an genitivus stirpis *Vilino-*, nunc ea de causa arbitror nominativum esse, quod in aliis tegulis Pompeianis complures leguntur nominum gentilium nominativi sing., nullus omnino genitivus sing.

---

49. Inscripta in tegula:

v . bla[ttiis] — Vibius Blattius.

Fiorelli, Giorn. d. scav. d. Pomp. 1861, p. 26, unde *Fabretti, C. I. Ital. 2802, 2, b. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XLII. XLIII, 2.* Bene Fiorelli supplevit *Bla[ttiis]* secundum Latinum nomen *Blattius* et Messapicum *Blatthihi, Blatthihi (Le iscrizioni Messapiche, L. Maggiulli e S. Castromediano, t. 26. 77).*

50. Signaculo impressa tegulae inventae die 22 Aprilis a. 1869 *in una casa dell' isola seconda nella prima regione,* ubi caementi munere fungebatur tegula:

kí . patír . pú . . .
úps

suppleta:

kí(piis) patír . pú[mpaiians
úps(ed)

Cipius pater Pompeianus
operatus est.

Edidit et scite supplevit atque interpretatus est *G. de Petra*, *Giorn. d. scav. d. Pomp. 1869, p. 153 f.,* tum *Fiorelli*, *Scavi di Pomp. dal 1861 al 1872, p. 88. Fabretti, Prim. suppl. iscr. ant. It. n. 501.* Ego tractavi, *Z. f. vergl. Spr. XX, 109 f.* G. de Petra supplevit *Pú[mpaiais],* ego: *Pú[mpaiians]* tantum ea de causa, quod *Púmpaiians* etiam in aliis titulis Oscis legitur (*cf. supra n. 26*), assentiente Fiorelli.

---

51. Signaculo impressa tegulae fragmento musei Neapolitani:

v . vaaviis Vibius Vavius.

Charta sicca expressi atramento inducto Neapoli. Ed. *Fiorelli*, *Giorn. d. scav. d. Pomp. 1861, p. 25. 59. Catal. mus. Nap. Racc. epigr. n. 148. Fabretti, C. I. Ital. 2802, 2, a. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. XLII. XLIII, 1.* Cum Osco nomine *Vaaviis* Fiorelli confert Latina *Varidia*, *Vavidio* (*Giorn. l. c. Momms., I. R. Neap. n. 677*).

---

52. Signaculo impressa tegulae litteris eminentibus:

l . titti . l Lucius Titius Lucii f.

Ectypum et effigiem delineatam litterarum misit R. Schoene. Ex eiusdem apographo ed. *Fabretti*, *C. I. Ital. 2819, c*, unde *Enderis*, *Formenl. d. Osk. Spr. n. XLII. XLIII, 8.*

---

53. Signaculo impressa tegulae litteris eminentibus et in circuli dimidii formam dispositis:

ga silli Gavius Sillius.

R. Schoene delineavit et ectypo expressit. Ex eiusdem schedis ed. *Fabretti*, *C. I. Ital. n. 2819, d*, unde *Enderis*, *Formenl. d. Osk. Spr. XLII. XLIII, 8.* Non **G. Asilli* legendum est (*Enderis l. c.*) cum *Asilli* vel *Asilius* nomen gentile alias nec in Oscis inscriptionibus legatur, nec in Latinis Oscae quondam regionis, sed *Ga. Silli* ut supra: *[M]a[r]a Silli* (*n. 34*) et

G. Silli G. (*n. 16*) et Latine *Sillius*, *Silius* (*Momms., I. R. Neap. ind. nom. vir. et mul.*), cum nota praenominis Osci *Gaaviis* etiam *Gaav.* scribatur.

---

54. Signaculo impressa tegulae litteris in circuli dimidii formam dispositis:

vú . tre (?) Vo. Trebius (?)

Dedi litteras, quales ex Schoenii ectypo meis oculis apparent; sed apographum viri doctissimi iam antea mihi missum habet: *iú . tue*, unde sic edidit etiam *Fabretti, C. I. Ital. n. 2823, cf. Enderis, Formenl. der Osk. Spr. XLII. XLIII, 11.* Ectypi auctoritas confirmatur etiam alia inscriptione tegulae: *Dek . Tre* (*Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. X, 13, b. p. 12. Momms., Unt. Dial. t. X, 28, c*), ita ut in utraque tegula *Tre.* nomen gentile figuli *Trebiis* significare videatur. Itaque facere non possumus, quin statuamus notas hoc nomen praecedentes *Vú.* et *Dek.* praenominum esse, quamvis in aliis titulis Oscis non reperiantur praenomina omnibus litteris scripta, quae cum his notis congruant.

---

55. Signaculo impressa tegulae inventae die 17 Maii a. 1870:

dek . te . . . Decimus Terentius (?)

Ex apographo ab E. Brizio accepto edidit *Fabretti, Prim. suppl. ant. iscr. It. n. 502.* Nota praenominis figuli *Dek.* collato vocabulo Osco *dekm-ann-iú-is* supplenda videtur: *Dek(mu-s)*, et cum nomen gentile *Terentius* haud raro scriptum sit in titulis Pompeiorum Latinis (*C. I. Lat. IV, p. 232, c. 2*), conicere licet litteras *Te...* in tegula nomen Oscum **Terentiis* indicare.

---

56. Signaculo impressa tegulae:

d . t Decimus T.

Ectypum misit R. Schoene. Ex eiusdem apographo ed. *Fabretti, C. I. Ital. 2824, a.* Nomen figuli Pompeiani fueritne *Trebiis*, an **Terentiis*, non liquet.

---

57. Signaculo impressa tegulae inventae die 4 Septembris a. 1869:

d . t Decimus T.

Ex apographo ab E. Brizio misso ed. *Fabretti, Prim. suppl. ant. iscr. Ital. n. 503.*

58. Signaculo impressa duabus tegulis:

a. d b. d Decimus (?)

Ectypa misit R. Schoene. *Fabretti, C. I. Ital. 2824, e. f.*

---

59. Signaculo impressa tegulae:

v . íst Vibius Istacidius.

Dedi ad ectypum a R. Schoene missum; *Fabretti, C. I. Ital. 2824, c.* Cum in inscriptione parietis Pompeiani legatur nomen *L. Istacidius* (*C. I. Lat. IV, 1880*), figuli nomen tegulae impressum supplendum videtur: *V(ii-bis) Ist(acidiis).*

---

60. Signaculo impressa tegulae:

c . a Gaius Adirius.

R. Schoene ectypum misit; *Fabretti, C. I. Ital. 2824, b.* Nomen figuli supplendum arbitror: *G(aviis) A(adiriis)*, ut sit eiusdem gentis Pompeianae atque ille *Maras Aadiriis (Aadiriis)*, qui fabricam vel officinam suam qualemcunque indicibus in parietibus aedium scriptis Pompeianis notum esse voluit (*cf. supra n. 30*).

---

61. Signaculo impressa tegulae;

a Adirius.

Ectypum mihi praebuit R. Schoene; *Fabretti, C. I. Ital. 2824, d.*

---

62. Signaculo impressa dolio fictili litteris prominentibus.

ú . núv. Oppius Novius.

Ectypum misit R. Schoene; *Fabretti, C. I. Ital. 2823, b.* Ex ectypo apparet notam post v in tegula expressam hac fere forma ᴜı, sed aliquanto minoris altitudinis quam praecedentes litteras Oscas, nequaquam nominis esse more Osco scripti. Itaque crediderim eam aut ad mensuram dolii spectare, ut in doliis Pompeianis post Latina nomina figulorum notae mensurarum scriptae reperiuntur (*Schoene, Tit. vas. fict. inscr. C. I. Lat. IV, p. 171*), aut ad pretium vasis (*l. c. p. 172. 247, c. 3. 4*). Sed utut haec res se habet, nomen figuli: *U(ppiis) Núv(iis)* supplendum existimo, quoniam praenomen *Uppiis* in lamina plumbea Capuana legitur (*cf. supra n. 1*), et cum praenomine *Núviis* nota *Nv.* indicato etiam nomen gentile Oscum *Núviis* in usu fuisse, docet Latinum nomen Novius inscriptionis Pompeianae (*C. I. Lat. IV, n. 2155*).

63. Signaculo impressa dolio fictili litteris eminentibus et in formam circuli dimidii dispositis:

step . kai — Stephanus Caisius?
Caicilius?

Dedi ad ectypum a R. Schoene acceptum; *Fabretti, C. I. Ital. 2819.* Trium primarum litterarum incerta tantum vestigia expressa sunt in ectypo, sed adiuvante eiusdem viri docti apographo mihi misso cognosci possunt. Nota praenominis figuli *Step.* fortasse *Step(ans)* supplenda est, videlicet Osca forma Graeci nominis Στέφανος, cum *Stephanio* legatur in Latino titulo Pompeiano (*C. I. Lat. IV, 1114*). Nota nominis *Kai.* parum liquet, quomodo supplenda sit, cum et *Caesius* et *Caecilius* frequens sit nomen gentile Pompeianorum (*l. c. IV, p. 229, c. 3*).

NVCERIA ALFATERNA.

64. Nummus aeneus musei Britannici cum capite iuvenili et Castoris effigie habet inscriptionem:

nuvkirinum — Nucerinorum
alaf[ate]rnum — Alfaternorum.

Catal. of the Greek coins in the British Mus. Italy. Lond. 1873, p. 121, n. 1. Hic nummus primi tantummodo nominis scriptione differt a nummo aeneo quem I. Friedlaender publicavit cum inscriptione *Nuvkrinum Alafaternum* (*Die Oskischen Münzen, t. IV, Nuc. 1, p. 217*). Genitivi plur. forma *Nuvk-i-rinum* secundum leges linguae Osca interposita vocali *i* inter praecedentes consonantes orta est e *Nuvkrinum* ut *Luv-i-kis* e *Luvkis* (*C. Ausspr. II, 387. 388 sq., ed. 2*). Sed nuper in lucem prodierunt nummi Nucerini e scriniis musei Britannici cum inscriptionibus: *Nuvirkum Alavfnum* (*Catal. Brit. Mus. l. c. p. 121, n. 2*) et *Nuvirkum Alaftvn[um]* (*l. c. p. 121, n. 4*), quas foedis monetariorum erroribus deberi, et viri rei nummariae peritissimi certis verbis affirmant, neque quisquam linguae Oscae gnarus dubitabit.

---

65. Nummus aeneus musei Britannici,

a. iuxta caput iuvenile:

nuv[krinum alafat]ernum — Nucerinorum Alfaternorum.

b. sub Castoribus equitantibus in segmento:

de]gvinum ra
. . anum.

Catal. of the Gr. coin. Brit. Mus. Ital. p. 121, n. 7. Huius nummi duo adhuc exemplaria innotuerunt, quorum alterum in segmento posticae habet litteras: *degvinum ra* . | . *an.*, alterum: . *egvinum ra* . | . *anm*, ita tamen, ut ultima littera non omni dubitatione exempta sit (*Friedl., Osk. Münz. t. IV, Nuc. 2, p. 22, 2 sq.*). Iam vero comparato musei Britannici exemplari, quoniam *nm* detritis aut omissis quibusdam typi lineamentis facile ex *num* corrumpi poterat, in his omnibus nummis videtur scriptum fuisse: *Degvinum Ra* . . *anum*, ita ut hic habeamus duo genitivos pluralis eiusdem generis ut *Nuvkrinum* (*Nuvkirinum*) *Alafaternum.* Illos vero genitivos ad Castores pertinere, viri rei nummariae periti non temere coniecerunt, demonstrare difficile est, donec exemplar nummi cum integra inscriptione in lucem prodierit.

SURRENTUM.

66. Amphora inventa in *Vico Equense vicino a Sorrento*, nunc in museo Neapolitano, in ansa habet titulum:

papesavfi

Papius Aufius.

Apographum mihi praebuit Th. Mommsen. *Papes* est nominativus eiusdem formae ac Σεσπες Lucanorum (*cf. n. 96*), *Avfi* in -ī pro *-iu-s* terminatus, ut *Paapi, Helvi, Silli* nominativi, videtur cognomen esse eadem stirpe ortum cum Latino cognomine *Aufidianus* et cum nominibus *Aufidius, Aufidenus, Aufidienus Ofdius, Ofius* (*Aufius*) aliis, quorum est frequens usus in regionibus quondam Oscis.

CAMPANIAE LOCA INCERTA.

67. Poculum fictile nigro colore inusto cum una ansa in collectione rerum antiquarum *di Orazio Pascale alle Curti,* in cuius fronte graphio inscriptum est:

mais . kaluvis   Maius Caluvius (Calvius).

Garrucci, Memor. Ercol. d' arch. VII, Append. p. 25. Fiorelli, Scav. d. Pomp. I, 1850, p. XII, not. 20, inde *Fabretti, C. I. Ital. 2839. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. n. XL, 1.*

68. **Fragmentum parvum laminae aeneae utrimque inscriptae in museo Neapolitano,**

a. **maioribus litteris:**

| ma . .   **Maius ?**

b. **minoribus litteris:**

. . . .
t . statiis   **Titus Statius,**
g . helevii[s   **Gavius Helvius.**

Apographum misit G. de Petra. Edidit ***Fiorelli, Catal. mus. Nap. Racc. epigr. n. 159,*** **qui** ***b, vs. 3 init.*** **habet:** ***u.*** **Cum** ***Helevii[s]*** **idem sit nomen gentile atque** ***Helleviis*** **in lamina plumbea Capuana, verisimile est hunc titulum in Campania repertum esse.**

---

69. **Tegula fracta quondam musei Borgiani nunc Neapolitani:**

heírens frus   **Herennius Frontus**
upsed   **operatus est.**

Minervini, Bull. arch. Nap. nv. s. II, p. 119. Fiorelli, Mon. epigr. Pomp. tab. X, 3. p. 12, unde *Fabretti, C. I. Ital. t. LII, 2818. Fiorelli, Catal. mus. Nap. Racc. epigr. n. 157.* Ego interpretatus sum *Z. f. vergl. Spr. XI, 323; cf. Enderis, Formenl. d. Osk. Spr. XLII. XLIII, 7. Minerv.: upsev. Fior. Catal.: frys ypsef.* Hanc tegulam aut in Campania aut in Samnio inventam esse eo intellegitur, quod nomen gentile *Heírennis, Hereni,* Lat. *Herennius* in his regionibus frequens est (*Momms., Unt. Dial. p. 261; C. Z. f. vergl. Spr. XI, 401 sq.*).

---

70. **Nummus argenteus cum capite mulieris in altera parte habet in altera mytilum cum mure et inscriptionem:**

viskinis.

Avellino, Opusc. II, tav. III, 13, p. 56, teste U. v. Wilamowitz, cum ipse hunc librum nunc inspicere non potuerim; inde *Fabretti, C. I. Ital. t. LII, 2835.* Nummum posui hoc loco, cum pro Osco habeatur; at neque in typis eius neque in litterarum formis quicquam reperire potui, quo hoc demonstratum videatur.

AVRVNCORVM AGER.

AVRVNCA.

71. Nummus aeneus musei Britannici ab altera parte habet caput laureatum Apollinis cum littera Θ, ab altera delphinum cum nominibus oppidi et magistratus monetarii supra et infra scriptis:

aurunkud	Auruncā.
—	—
makdiis	Macidius.

Catal. of the Gr. coin. Brit. Mus. It. p. 75. Cuius nummi exemplaria, quae I. Friedlaender publicavit, incertas tandummodo quasdam nominis oppidi *Auruncae* Osci relliquias habent cum nomine magistratus *Makdiis, Maakdiis* (*Osk. Münz. t. VIII. p. 63 sq.*). Post Garrucci protulit exemplar cum litteris oppidi nominis *Aurunk.* et nomine magistratus *(M)aakdiis*, *Bull. arch. Nap. nv. s. I, tav. IV, 4. p. 65 sq.*, unde *Fabretti*, *C. I. It. 2745*, *a. Gloss. It. p. 1090*, *ego*, *Z. f. vergl. Spr. XI*, *324.* Musei Britannici nummus integrum ablativum sing. nominis Osci *Auruncae* oppidi: *Aurunkud* servavit, unde sequitur, etiam in ceteris exemplaribus eiusdem nummi hunc ablativum aut omnibus litteris scriptum aut nota indicatum fuisse.

AGER TARRICINENSIS.

72. Tessera eburnea Romam allata ad Saulinium ex agri Tarricinensi:

STATIS . CLOÍL . C
Statius Cloilius Gavii f.

Brunn, *Bull. d. Inst. a. R. 1864, p. 37. 38.* *G. Willmanns, Ephem. epigr. I, p. 32.* Cum in hoc titulo appareat *Statis* praenomen ut *Statie* in stela Cumana (*cf. supr. n. 17*), et nota praenominis patris *C.* non addita littera prima vocis *filius* scripta sit, G. Willmanns recte iudicavit, non Latinum esse hunc titulum, sed Oscum Latinis litteris scriptum.

AEQVICVLORVM AGER.

73. Lapis inventus in agro *Cicolano* ad vicum *Nesce* haud procul a *Pescorocchiano* in *delegazione Rieti* mense Ianuario an. 1859 in camera subterranea cum nummis et varia supellectili et titulis Latinis:

pup. herenniu	Popidius Herennius
med . tuv. nuersens	meddix tuticus Nuersenus
hereklei	Herculi
prufatted	probavit (consecratum)

G. Colucci, Bull. arch. Nap. nv. s. VII, 90. 91. A. Leosini, Bull. d. Inst. a. R. 1859, p. 114, unde *Fabretti C. I. It. 2732,* 2. Ego interpretatus sum *Z. f. vergl. Spr. XI, 401 sq. cf. Enderis, F. d. Osk. Spr. n. IV.*

AGER FRENTANVS.

74. Tabula aenea fracta in oppido *Pennaluce* inventa, nunc in museo *del Vasto* asservata:

kaal . húsidiis . gaav
viíbis . úhtavis . úf . . .
kenzsúr patt . . . . .
Calvius (?) Hosidius Gavii f.
Vibius Octavius Ofii f.
censores . . . .

Garrucci, Bull. arch. Nap. nv. s. I, tav. III, 2. p. 41; inde *Fabretti, C. I. It. t. LIII, 2843.* Interpretatus est Kirchhoff, *Z. f. vergl. Spr. III, 133 cf. Enderis, F. d. Osk. Spr. n. XLVIII.*

---

75. Fragmentum tabellae aeneae utrimque inscriptae, fortasse ad *Pennaluce* inventae:

a. . . . . et .   b. . suni
. . . dare
z]iíkúlús
. urseis .
. . emi . .

Garrucci, Bull. arch. Nap. nv. sr. I, tav. III, 3. p. 45, unde *Fabretti, C. I. It. t. LIII, 2843,* 2. Ego tractavi *Z. f. vergl. Spr. XI, 326 f. cf. Enderis, F. d. Osk. Spr. XLIX. Fabr. vs. 2: care.* Accusativum plur. [*z*]*iíkúlús* supplevi e *zicolois, zicolom* tabulae Bantinae, ita ut *dies* significet. Ex vocabularum relliquiis . *dare* et . *emi* . coniecerit quispiam de dando et emendo in hoc titulo scriptum fuisse.

76. Tabula marmorea fracta litteris Latinis inscripta deficiente superiore eius paute, inventa in agro Frentano a *Vincenzo Rinaldo* prope *Casacalenda,* tum apud *Ambr. Caraba,* nunc in museo Neapolitauo:

. NB . . (?)

IACE AMANAFED ESI [dum	hic perfecit, idem
PROFATED	probavit.

Tituli apographum misit R. Schoene, ex quo apparet, eius primum versum fracto lapide ita mutilatum ac paene deletum esse, ut tantum infimae particulae trium vel quattuor litterarum restent, quarum nulla qualis fuerit, pro certo affirmari potest. Et sic ego ipse vidi tabulam ad parietem musei Neapolitani adfixam, ibique frustra ex relliquiis primi versns vocabula Osca restituere conatus sum. Titulum Garrucci primum publicavit ex apographo A. Carabae hunc in modum, *Memor. Ercol. d'arch. VII, Append. p. 26: N. Bairi N. m. t. s. t. aram | iace amanafed esidum | prufated.* In eodem textu scriptum habet *profated* Guarini. *Iter vagum, Mansio VIII, Napoli 1851, p. 9,* ex cuius libro, quem ipse inspicere non potui, G. de Petra haec mihi verba rescripsit de hoc titulo dicta, *p. 9:* „In oppido *Casacalendae* prope *Larinum Frentanorum* ab an. usque 1844 detectum, mihique hactenus summo studio occultatum. Suum deinde fecit *Ambrosius Caraba* an. 1847, eiusque exemplaria varia tum Romam cum Neapolim transmissa." Inde intellegitur, etiam hunc virum doctum nonnisi ex apographo Carabae novisse titulum. Postea Garrucci ab eodem auctore alias lectiones protulit atque antea. *Bull. arch. Nap. nv. s. I, p. 83, vs. 1: Ni Bairi H., vs. 3: profated;* inde *Henzen, Bull. d. Inst. a. 1852, p. 91,* ubi legitur *vs. 2: kace, Fabretti C. I. It. n. 2871. Enderis, F. d. Osk. Spr. n. XXIX.* Postquam lapis anno 1862 a Caraba venditus in museum Neapolitanum illatus est, nemo vidit integras primi versus litteras, quas ex illius apographo protulit Garrucci, sed primum Schoene nihil nisi relliquias eius paene evanidas repperit, tum demum Fiorelli ex eis restituendum putavit litteras quattuor *ni . ba.,* et cancellis inclusas addidit sequentes Carabae litteras, *Catal. mus. Nap. Racc. epigr. n. 134.* Has autem ego iam antea in suspicionem vocandas existimavi, quod formula *m(edix) t(uticus) s(enateis) t(anginud)* in nullo alio linguae Oscae monumento his notis scripta reperiatur, et post eam vocabulum *aram* non Oscum sit sed Latinum (*Z. f. vergl. Spr. XI, 427, not.*). His omnibus igitur perpensis in eam me sententiam deductum video, ut primum versum inscriptionis de qua agitur a Caraba non ita, ut scripsit, integrum in tabula oculis visum esse dicam, sed maximam partem ex ipsius ingenio additum ad inscriptionem supplendam et restituendam. Denique observandum est, etiam integra huius inscriptionis verba recedere non solum a scribendi more, sed etiam a formis vocabulorum lingnae Oscae. Namque pro *aamanaffed,* habemus *amanafed,* pro *prúfatted : profated,* quin etiam pro Osca pronominis forma *ia-k* vel *ia-c* eiusdem generis ut *io-k, io-c, ion-c, eki-k, eka-k, eksu-k, eksa-k, exa-c,*

eisa-k, *eiz-u-c* in Carabae tabula legitur *ia-ce* cum littera *e* finali ad similitudinem Latinorum pronominum *ha-ce hi-ce* aliorum. Ex hac igitur pronominis forma colligitur, titulum eius ea demum aetate conceptum esse, cum iam integritas linguae Oscae Latino sermone immixto fucata et corrupta esset, videlicet aliquanto post legem Oscam Bantiae oppidi Latinis litteris scriptam.

SAMNIVM.

77. Fragmentum lapidis inter Atinam et *Castel di Sangro* inventum:

. . ini	
. aviefs . . .	
. i : peessl[úm	. . templum
. p]rúfat[ted	. probavit.

Garrucci, Bull. Nap. nv. s. II, tav. V, 4 p. 165; inde *Fabretti,* C. *I. It. t. LIII, 2870.* Ego tractavi *Z. f. vergl. Spr. XI, 401. cf. 364 sq. Enderis, F. d. Osk. Spr. n. XXII. Peessl* . . habet lapis, non *peesl* . ., ut ego dedi et Ender. *Peessl[úm]* supplevi et demonstravi ortum esse e *pestlúm* templum.

BOVIANVM VETVS.

78. Duo fragmenta lapidis Tiburtini die 7. Octobris an. 1857 inventa intra consaeptum aedificii publici spatium Boviani veteris *nel Calcatello di Pietrabbondante:*

sten . . . . · meddís
túv[tik]s úpsannam deded
ínim prufatted

Stenius . . . . meddix
tuticus operandam dedit
et probavit.

Minervini, Bull. arch. Nap. nv. s. VI, p. 190. VII, tav. II, 3, unde *Fabretti, C. I. It. t. LIV, 2873, 2. Fiorelli, Catal, mus. Nap. Racc. epigr.*

n. 131. cf. G. de Petra, Giorn. d. scav. d. Pomp. II, 1870, p. 117. 118. Ego interpretatus sum *Z. f. vergl. Spr. XI, 330 sq. cf. Enderis, F. d. Osk. Spr. n. XXVI, 2.*

---

79. Quattuor fragmenta aut epistylii aut arae inventa intra consaeptum publici aedificii Bovianensis spatium *nel Calcatello di Pietrabbondante* una cum titulo praecedente, nunc in museo Neapolitano:

t staíís t . . . . . e]kak úps [annam de] ded

esidum prúfatted

Titus Staius Titi f. . . . . hic operandam dedit, idem probavit.

Minervini, Bull. arch. Nap. nv. s. VI, p. 189. VII, tav. 11, 2. p. 20, unde *Fabretti, C. I. It. t. LIV. 2873; Fiorelli, Catal. mus. Nap. Racc. epigr. n. 128. cf. G. de Petra, Giorn. d. scav. d. Pomp. II, 1870, p. 117. 118.* Ego tractavi *Z. f. vergl. Spr. XI, 329 sq. cf. Enderis, F. d. Osk. Spr. n. XXVI. Staíís* nunc supplevi cum Minerv. et Fiorell. secundum *Staíís* tituli sequentis, cum antea scripserim *Staiis.*

---

80. Fragmentum lapidis Tiburtini inventum cum duobus praecedentibus titulis in consaepto spatio aedificii publici Bovianensis *nel Calcatello di Pietrabbondante:*

cn . staíís . mh tafidins . metd . t . dadíkatted

Gneius Staius Magii f. Tafidinus meddix tuticus dedicavit.

Minervini, Bull. arch. Nap. nv. s. VI, 188. VII, tav. II, 1, unde *Fabretti, C. I. It. t. LIV, 2872.* Ego interpretatus sum *Z. f. vergl. Spr. XI, 363 sq. cf. Bruppacher, Lautl. d. Osk. Spr. p. 11. C. Ausspr. II, 1022 sq. Enderis F. d. Osk. Spr. n. XXV.*

Hunc titulum Minervini coniunxit cum duobus inscriptionis fragmentis, quae impacta sunt parieti ecclesiae oppidi *Pietrabbondante, Momms. Unt. Dial. t. VIII, 6, a. b. p. 173. Garrucci, Bull. Nap. nv. s. II, p. 165: G . Staatiis . L . Klar . . [ai]d. pestlúm . úpsan[úm . dede . .,* qui titulus potest significare aut: *Gavius Statius et Lucius Clarius aediles templum operandum dederunt* (*Minerv. l. c. Z. f. vergl. Spr. l. c.*) aut: *Gavius Statius Lucii f. Clarus aedilis templum operandum dedit* (*Moms. l. c.*). Sed cum haec inscriptionis fragmenta non eodem loco inventa sint ac titulus *Gn. Statii* meddicis Bovianensis, cumque ea ab hoc secernenda putaverit G. de Petra, qui nuper oculis vidit, quidquid inscriptionum e solo Boviani veteris in lucem prodiit (*Giorn. d. scav. d. Pomp. II, 1870, p. 118*), nunc ego quoque in huius viri docti sententia acquiescendum neque quicquam ultra de conexu horum titulorum coniciendum existimo.

81. Cippus lapidis Tiburtini cum titulis praecedentibus inventus in consaepto aedificii publici spatio Boviani veteris *nel Calcatello di Pietrabbondante* die 5 Novembris an. 1857, nunc in museo Neapolitano:

. urtam . líís	—am —
e]d . safinim . sak	it Samnitium —
?]upam . íak . uín	—am hic uni-
ím . keenzstur.	versorum censor
aíieís . maraiieís	Aeieius Maraieius,
p]aam . essuf . úmbn	quam — — it;
a]vt . pústiris esidu	autem posterius idem
m]uunated . fiís	unavit in tem-
ním . leígúss samíi	plo legitimos (?) simul
l]úvfríkúnúss . fíf	*liberigenos (ingenuos) —.

Titulum Neapoli data opera delineavi et litteras, quaecumque aut dubiae aut parum recte lectae esse videbantur, carta humida expressi et sicca inducto atramento. *Ed. Minervini, Bull. arch. Nap. nv. sr. VII, tav. I. p. 1 sq.*, unde *Fabretti, C. I. It. t. LIV, 2873, 3; Fiorelli, Catal. mus. Nap. Racc. epigr. n. 130. cf. G. de Petra Giorn. d. scav. d. Pomp. II, 1870, p. 118.* Ego interpretatus sum primum textu parum correcto confisus, *Z. f. vergl. Spr. XI, 403—427. cf. Enderis, F. d. Osk. Spr. n. XXVIII;* deinde, ubi oculis vidi et examinavi lapidem, effigiem eius adumbratam, imprimendam curavi et correxi meam interpretationem, *Z. f. vergl. Spr. XX, 114—117. Minerv. v. 1: [h]úrtam, v. 6: pam, v. 7: et, v. 9: leicúss . samii. Fiorell. v. 1: . . (ú)rtam, v. 6: pam, v. 7: et, v. 9: leicúss . samí(l).*

---

82. Cippus lapidis Tiburtini fractus in oppido *Pietrabbondante* die 9 Octobris an. 1857 inventus, nunc in museo Neapolitano:

g . tríib . . . .
ís . seem | | | lv(?) . . .
isuv . ehpreívi | . .
hnuseís pad . hefv .

Minervini, Bull. arch. Ital. I, 1862, tav. V, p. 76, unde *Fabretti C. I. It. t. LIV, 2873, 4, cf. Enderis F. d. Osk. Spr. n. XXVII; Fiorelli, Catal. mus. Nap. Racc. epigr. n. 127. Fabr. v. 2: seemi iil. v. 3: ehpreivii. Fior. v. 1: trii, v. 2: seemii, v. 3: preivin, v. 4:* omisit *h* initio, *v* in fine. Ultimam litteram primi versus, paenultimam secundi, ultimam quarti dedi ex eis quae nuper de relliquiis harum litterarum in lapide denuo a se examinatis mihi rescripsit G. de Petra. Initio tituli *g.* est nota praenominis *Gaaviis,*

triib . . . eiusdem stirpis ac substantivum *triibúm* et verbum *triibaraka*[*vum*]; in tertio versu *isuv* comparandum est cum pronominibus *isídu* et *puv.*, *eh* cum *eh-trad*, *ee-stint*, Umbr. *eh*, *ehe*, Lat. *eo-*, *ex*, *ee*, *ē*, *preivi* . . . cum Osc. *preivatud*, Lat. *preivatod*, *preivata*, *privilegium*; in ultimo versu *pād* est ablativus sing. fem. pronominis relativi, Lat. *quā* (*cf. Moms. Unt. Dial. Gloss. C. Ausspr. II, Ind. vocabulor. ed. 2. Enderis, l. c. Gloss.*).

---

83. Lapis calcarius oblongus inventus in vico *Molise* inter *Campobasso* et *Pietrabbondante*, aliquamdiu altaris munere functus in sacello *S. Maria del Piano*, apud quod nunc iacet in fundo *Covelli della Posta:*

bn . betitis . bn . meddíss prúffed

Bannas (?) Betitius Bannae (?) f. meddix probavit.

Edidit et tractavit *A. Caraba, Giorn. d. scav. d. Pomp. I, 1869, p. 209 sq.* Ego interpretatus sum *Z. f. vergl. Spr. XX, 111 sq. cf. Fabretti, Prim. suppl. ant. iscr. It. n. 508.*

SAMNII LOCA INCERTA.

84. Parvum lapidis fragmentum:

mahiis Magius.

Garrucci, Bull. arch. Nap. nv. s. II, tav. V, 6. p. 168; inde *Fabretti, C. I. It. t. LV, 2884.* Ego tractavi *Z. f. vergl. Spr. XI, 327 f. cf. Ender. F. d. Osk. Spr. n. XXXIV, 1.*

---

85. Duo parva fragmenta lapidis loco incerto Samnii inventa:

s . .
i . .
n . .
. . uru . .
. . mir . .
. . eís . .
. . ed . .

Garrucci, Bull. arch. Nap. nv. s. II. tav. V, 5. p. 165, unde *Fabretti, C. I. It. t. LV, 2887. Enderis, F. d. Osk. n. XXXIV, 3.*

86. Denarius sociorum in bello Marsico, nuper publicatus ex collectione nummorum ducis de Blacas (*n. 221, n.*), cuius in altera parte conspicitur caput virile hedera coronatum, in altera taurus victor lupam afflictam cornu mulcans cum inscriptione:

vítelliú   Italia.

et littera *a* Osca supra posita, *Histoire de la monnaie Romaine de Th. Mommsen, trad. de Allem. par le duc de Blacas, publ. p. I. de Witte, II, p. 531,* unde *Fabretti, Prim. suppl. ant. iscr. It. n. 506.* Nummorum huius generis praeter ea exemplaria, quae I. Friedlaender descripsit et illustravit, *Osk. Münz. p. 73—85. t. IX. X. cf. Moms. Unt. Dial. p. 201. 260. Fabr. C. I. It. 2849. 2851,* etiam exemplaria collectionis Foxianae, quae nuper vidi in museo Berolinensi, omnia nomen deae et urbis *Italiae* una l littera scriptum habent: *Vítelíú.* Itaque scriptio *Vítelliú* in nummo ducis de Blacas, duplicem l videtur traxisse a Latino nomine *Vitellio.* Ceterum ex typo tauri Samnitici victoris lupam Romanam afflictam cornu mulcantis conicere licet, hunc nummum a Samnitibus cusum esse non a Marsis Corfiniensibus (*Friedl. l. c. p. 69. 71. 76. 80.*).

LVCANIA.

87. Lapis marmoreus rudis marginibus utrimque detritis atque infractis ceterum integer, inventus in fundo oppidi *Diano* prope fontem *S. Giovanni:*

ΑΛΑΠΟΝΙΣ . ΠΑΚCΗΙΣ

ΟΠΙΕΣ . ΠΙΩ ⁝ ΑΙΣ . ΕΚΟ

ΣΑΛΑCΣ . CΑΛΕ

Duo apographa huius inscriptionis confecit Mandelli in libro manu scripto de *Lucania, Vol. I, p. 94 et Vol. II. in fine,* alterum mendis non vacans, alterum lapide denuo examinato correctum atque emendatum, quod ad finem libri sui adiecit. Interpretatus sum titulum a Th. Mommsen in lucem protractum, et demonstravi ita supplendum atque enarrandum esse:

Α. Λαπονις Πακϝηις

Οπιες πιω αις(ο) εκο (δεδετ).

Σαλαϝς ϝαλε.

Aulus Lamponius Paqui f.
Oppius pium sacrum hoc (dedit). —
Salvius (Salvi) vale.

(*cf. supra p. 153 sq. 157.*

88—94. Sex laminae aenea collectionis rerum antiquarum, quae erat in oppido provinciae *Basilicata*, nunc in museo Taurinensi, quarum una utrimque inscripta est (*n. 92. 93*):

88.	OV . AFARIES . OV	Ovius Afarius Ovii f.
89.	N . MARAIES . N	Numisius Maraius Numisii f.
90.	C . SOIES . MIN	Gavius Soius Minii f.
91.	NO . COMNI . NO	Novius Cominius Novii f.
92.	{ OV . CAISIDIS . OV	Ovius Caisidius Ovii f.
93.	TR · PLATORIVS · TR }	Trebius Platorius Trebii f.
94.	L . VILLIVS · V . F	Lucius Villius Vibii f.

Primus edidit Fabretti: *Sei laminette di bronzo letterate antiche della Lucania, Atti e Memorie della Deputazione di storia patria per le provincie di Romagna, an. III, p. 155. sq. Estratto, p. 1 sq.*, unde *C. I. It. p. CCCXIII, LVIII, 2. Gloss. It. p. 1681.* Ex apographis a Th. Mommsen acceptis ed. G. Willmanns, *Ephemer. epigr. 1, C. I. Lat. suppl. n. 132—138. Fabr. n. 93:* VIILIVS et in fine: VI vel MIN. Egit de his laminis aeneis eorumque titulis Mommsen in societate archeologica Berolinensi (*Archeol. Anzeig. XXIII, 1865, p. 82*), tum ego tractavi nominativorum formas in eis conspicuas (*Z. f. vergl. Spr. XVIII, 255. X, 98.*). Iam dudum igitur Mommsen intellexit Oscos esse plerumque hos titulos, cui ego assensus sum; tum demum G. Willmanns in eandem sententiam disserere coepit. Ut paucis rem comprehendam, inscriptiones n. 88—92 plane Oscas esse, docent et syllabae finales nominum gentilium et praenomina et notae praenominum patris non addita vocis filii littera prima. Nominativi autem *Afaries, Maraies, Soies, Caisidis* respondent antiquis Lucanis tituli Dianensis Graecis litteris scripti Οπιες et Λαπονις. Etiam titulus n. 93 Oscus est, praeterquam quod syllaba finalis nominis *Platorius* de Osco in Latinum sermonem deflexit. Contra ultimus titulus Oscae linguae nullum servavit indicium nisi praenomen *V(iibis)*. Itaque hos duos ultimos titulos patet eo demum tempore scriptos esse, quo Oscae linguae integritas iam praepotentis Latinae vi corrumpi coepta erat, scilicet post Oscam legem Bantinam Latinis litteris conceptam.

BRVTTIORVM AGER.

MAMERTINORVM.

95. Nummus aeneus Mamertinorum collectionis *Pennisi* habet caput laureatum Appollinis et effigiem Bellonae dextrorsum procedentis cum hasta ac scuto titulo Graecis litteris circumscripto:

MAME[ϱ]TINOYM

quem praecedit littera maior Y. Nummi effigiem delineatam mihi misit A. Salinas, tum ipse publicavit (*La collezione numism. Pennisi, t. IX, n. 22*). Et typis et littera Y differt hic nummus ab illo, quem I. Friedlaender publicavit cum capite Dianae, omphalo vel cortina, titulo circumscripto *μαμεϱτινουμ*, littera Λ subscripta in segmento (*Osk. Münz. VIII, Mamert. p. 60 sq.*). Cum in nummo *Pennisi* appareat Bellonae simillima effigies ut in nummis quibusdam Bruttiorum, quos I. Friedlaender mihi monstravit in scriniis collectionis nummorum Berolinensis asservatos, consentaneum videtur, illius originem repetere a Mamertio oppido in Bruttiis condito, non ad Messanam a Mamertinis captam referre. Ceterum Genitivi pluralis forma *μαμεϱτινουμ* etiam in dnabua tegulis Messinensibus legitur (*Momms. Unt. Dial. p. 199, XL.*).

LVCANIAE VEL BRVTTIORVM LOCA INCERTA.

96. Titulus galeae aeneae fissura ab aliqua parte dehiscentis, olim in collectione quadam rerum antiquarum Magnae, Graecia, vendita a duce *della Verdura*, nunc in museo Panormitano:

TƎᐅƎᐅƸƎTƸƎSƷƷI8ƎꟼT

Τϱεβις Σ. Σεστες δεδετ.

Trebius Sexti f. Sextius dedit.


Duae asservantur galeae aeneae in museo Panormitano eiusdem formae, altera fissura dehiscens cum titulo supra posita Graecis litteris subtilibus acutissimo graphio in aes incisis, altera integra cum eadem inscriptione litterarum formis simillimis, sed scriptoris erroribus quibusdam suspiciosa. Hanc alteram ex ectypo edidit et interpretatus est primus Fabretti, *Real Accad. di Torino Adunanz. d. Cl. d. sc. mor. stor. fil. 29 magg. 1864*, tum ego tractavi ectypo illo fretus, cum verborum formae tituli nihil haberent, quod a linguae Oscae consuetudine et ratione abhorreret, *Z. f. vergl. Spr. XIII, 250 sq.* Post utriusque galeae titulum vidi et delineavi in museo Panormitano, et me rogante A. Salinas ectypa inscriptionum misit carta humida et stanno expressa. Tum ipse vir doctissimus non solum

imagines galearum cum titulis accurate adumbratas publicavit, sed etiam statum atque originem utriusque cassidis diligenter examinavit, *Antichità del Museo di Palermo*, *tav. II, 4. 5. 6 p. 46 sq.* Cumque ego collatis Panormi litterarum formis in utraque scriptis mihi persuasissem, integrae galeae titulum ad similitudinem alterius in fracta incisi nostra demum aetate confictum esse, A. Salinas mecum consentiens certissima invenit indicia, integram illam cassidem, quam anno 1863 vendidit opifex quidam aurarius *Porcasi* nomine, falsarii esse opus. Qua de re plenius egi in commentatione de linguae Oscae quibusdam monumentis scripta, ubi etiam tituli utriusque galeae effigiem a me delineatam imprimendam curavi, *Z. f. vergl. Spr. XXII, p. 299 sq.*

III.

DE INSCRIPTIONE SABELLICA AGRI PRAETVTIANI.

Th. Mommsen ex itinere Italico redux mihi praebuit apographum inscriptionis in agro Praetutiano Picentium inventae, quod a Ianelli bibliothecario Neapolitano accepit, penna ad similitudinem lapidis delineatum ab incerto auctore. De alphabeto Sabellico ut agam, quo conscriptum esse hunc titulum Mommsen vidit, effigiem apographi hoc loco eorum oculis proponendam esse arbitror, qui periti sunt harum rerum cognitores:



In folio chartaceo, in quo delineatus est hic titulus, manu auctoris haec verba adscripta sunt: *Trovato e conservato da Giovanni Spinozzi presso S. Omero nel paese de' Pretuziani o piuttosto nell' agro Palmense tra il Salinello e la Ubrata.* Ex apographo elucet, titulum scriptum esse in cippo coni obtusi forma, sed parum liquet, quot litterae fracta superiore parte lapidis deletae sint. Neque quemquam fugere potest, inscriptionem ita incisam esse in cippum, ut litterae primi, tertii, quinti versus dextrorsum, litterae secundi et quarti versus sinistrorsum versae sint, quod est genus scribendi a Graecis *βουστροφηδόν* vocatum. Contra duo tituli, qui hucusque in lucem prodierunt alphabeto Sabellico scripti, alter ad Cupram maritimam Picentium inventus, alter ad Sagrum flumen in finibus Marrucinorum prope oppidum *Crecchio* erutus, ea ratione scalpro exarati sunt, ut versus eorum continui circumduci atque in serpentis modum volvi videantur, fastigiis litterarum in diversas partes erectis, cuius scribendi generis rara tantummodo exstant exempla in inscriptionibus Graecorum et Etruscorum antiquissimis (*Momms. Unt. Dial. t. XVII. II, p. 329. 330 sq. C. Z. f. vergl. Spr. X, 1 sq. 4 sq. 27. 28 sq.* Conestab. *Iscr. Etrusc. Fir. tav. XL VI, 161. Fabrett. C. I. Ital. t. XXXII, 108·* Prim. supplem. *P. II, f. 1, p. 216 sq.*).

Inscriptionem vero agri Praetutiani eodem alphabeto Sabellico scriptam esse ut titulos lapidum ad Cupram maritimam Picentium et prope oppidum *Crecchio* in Marrucinorum agro inventorum, facile cognoscitur litterarum serie proposita quae in his tribus linguae Sabellicae monumentis incisae reperiuntur:



Similitudo alphabeti harum trium inscriptionum praecipue conspicitur in formis litterarum vocalium *a*, *u*, *ú* = *o* et in duabus litteris consonan-

tium cum sibilo pronuntiatarum M et ʒ, quas Sabelli ex alphabeto a Graecis accepto retinuerunt ut Etrusci et Umbrorum antiquissimi. Etiam interpunctio verborum eadem est in his titulis Sabellicis tribus punctis interpositis, cuius interpungendi moris rarissima inveniuntur exempla in inscriptionibus Etruscis, Oscis, Latinis. Litterae *d* formae in titulo Praetutiano simillimae sunt Graecis et Messapicis (*Kirchh. Stud. z. Gesch. d. Griech. Alph. t. I. II. ed. 2. L. Maggiulli e C. Castromediano, Le iscrizioni Messapiche, tav. I sq.*), cum litterae *d* in lapide ad Cupram maritimam invento eadem sit forma atque in Osco alphabeto.

Una restat littera □□ cippi Praetutiani quinquies scripta in apographo, quae mihi plurimum offensionis habere videtur. Namque plane aliena est non solum a ceteris titulis Sabellicis, verum etiam ab inscriptionibus Oscis, Umbricis, Faliscis, Etruscis, Latinis, Graecis antiquioribus, neque usquam me scriptam legere memini nisi in recentioribus monumentis Graecis, ubi □ significat vocalem *o*. Quae vocalis cum in lapide Praetutiano significetur littera V, non credibile est eandem etiam littera □ indicari. Et si quis nihilo setius hanc vocali *o* vindicare auderet, praeberet nobis vocabulum *súoúo* = *soooo*, quod esset monstri instar, in secundo versu tituli de quo agitur scriptum. Hoc autem signum □ ▯ cum facillime oriri posset ex litteris ⊠ et 日 detritis aut omissis quibusdam lineis, ex ⊏ addita per errorem lineola, ex ◇ immutata paullum positione eius, equidem non video, qui signo tam suspicioso in apographo tantum tituli scripto fidem habere possim. Denique in fine apographi iuxta litteram Ɛ lineamenta quaedam scripta sunt, quae indicare videntur, lapidem hoc loco laesum aut detritum esse. Quae cum ita sint, hae tantummodo litterae inscriptionis Praetutianae mihi videntur legi posse:

petr . | ⁝ papaṡ
re ⁝ sú | ú | ⁝ sudi
pis ⁚ e | aelf(?) ⁝ re
ś(?)a ⁝ | dare ⁝ pep
| e . .


Lectione huius tituli tam incerta ac dubia, ex eo aegre quaedam linguae Sabellicae vestigia cognosci possunt. Initio eius scripta videntur nomen gentile, praenominis nota, cognomen. Nam litteras *Petr.* supplendas esse *Petr(únis)*, coniecerim ex Falisco nomine *Petrunes*, Umbrico *Petrunia*, Etrusco *Petrunis*, Latino *Petronius* (*Fabrett. Gloss. It. p. 1379*); *Papaś* autem congruit cum Etrusco cognomine *Papaś*, Latino *Papus* et cum Osco vocabulo *pappus*, quod in fabulis Atellanis senem significabat, cum Latinis *papa pappus*, Graecis *πάππας, πάππος* (*Fabr. l. c. p. 1323 sq.*). Itaque litteram inter *Petr(unis)* et *Pappaś* positam atque interpunctione distinctam verisimile est notam praenominis ius *Petronii* Picentis. Haec

si recte statui, prima verba cippi Praetutiani: *Petr(únis)* . | . *Papaś*. Latine reddenda sunt: *Petronius -i filius Papus.* Praeterca apparet in inscriptione *pis* nominativus sing. pronominis indefiniti, qui est Oscus *pis*, Umbricus *pis*, Volscus *pis* = *quis*, eiusque accusativus *pim* = *quem* legitur in titulo Sabellico Marrucinorum (*C. Ausspr. II, Ind. verb. ed. 2.*). Cetera verba lapidis Praetutiani tam obscura sunt, ut ne conicere quidem aut divinare ausim, quid sibi velint.

W. Corssen.

ADDITAMENTA
AD CORPORIS VOLVMEN I.

296 tabella ahenea rep. Romae vel in agro Romano extat apud Capobianchium rerum antiquarum institorem.



Descripsit Gamurrinius; Henzenus contulit ediditque *Bull. inst. arch.* 1874 p. 82.

'*Albsi* dictum est pro *Albesi, Albensi.* De elisione vocalium in sermone 'praesertim Praenestinorum veterum cf. Ritschl *Rhein. Mus. n. F.* 1861 'p. 60 seqq. — Cum *Albsi patre* videntur recte componi *Reatinus, Tibe*'*rinus, Turpenus pater.*' W. H.

---

297 fragmentum lapidis Tiburtini litteris vetustis Romae mense Octobri anni 1873 extractum ex muro quodam vetere prope domum curatoris aerarii publici (*ministero delle finanze*), quae extruitur inter plateam *di Termini* et portam Piam ad viam olim *di porta Pia,* nunc *de' venti Settembre.*

)PERA · LOC *ata in*
censu ʀA · CAECILI DE · H*s . . .*
via a D · MIL · XXXV · PONTEM · II//LVIO . . . .
pecuni A · AD · TRIBVTA · EST · POPVLO · CONST*iis . . .*
. . . . I · L · PAMPHILO · MANCVPI EX OPE*ris (nomen)*
cur · u IAR · T VIBIO · ⁻/MVVDINO · Q · VRB
*via gla*REA STERNENDA · A⁼MIL / / / / / / / . . . .
et per ap P*e*NNINVM · MVVNIEN*da* / / / / / / / . . . .
. . . . . . XX PECVNIA · AD · TRIBVTA *es*T
*populo c*ONST · HS · N · ●ↀI · L · RVFILIO · L · L · I . . . . . . *mancupi*
ex. oper T · \ AK*io* ⁻ · F · CVR · VIAR · T · VI*bio . . uudino q. urb.*
via af MIL · LXXXXVIII · AD · MIL · CX . . . . . *item*
*altera u*IA · INTI / ʟ · AMNIVM · VO*rsus*
. . . . . CX . PECVNIA · AD · TRIB*uta est*
*popu*LO · CONST · HS ↀↁ *(nomen)*
mancupi ex. oper. T · SERVNIO · T . F C . . . .
curatore uia R T · VIBIO · / ʟM*uudino q. urb.*
. . . . ARCVS · DELA*psus* . . . . . .
. . . . MANCVPI . . . .
IHI
R T . T A

Descripsit Henzenus cum Bormanno lapidem lectu difficillimum magnaque ex parte detritum; iidem mox a me rogati recognoverunt. Versus primus scriptus est litteris maximis, secundus minoribus, etiam minoribus reliqui. — 3 in lapide fuisse ait Henzenus PONTEM · IN (aut R)/LVIO, ut non plus una littera deficiat. — 7 A⁼ sic fuit hasta nulla adiecta. — 12 LXXXXVIII, non LXXXVIII in lapide fuit. — 16 extr. aut C aut O aut Q.

Titulo patet recenseri opera publica locata a censore quodam liberae rei publicae. Nam talis locatio, qualis hic proponitur, rerum complurium et inter se diversarum, nimirum viae a Roma trans Appenninum ad mare sternendae, arcus nescio cuius restituendi, operum aliorum, ut omnino censoria est, ita abhorret a reliquis magistratibus tam ordinariis quam ipsius operis causa extra ordinem creatis, quippe qui singuli singulas res potissimum locarent. Ea ratione formula quam versui 2 intuli [*in censu*]*ra Caecili*[1]),

[1]) Dubitabat Henzenus, num post CAECILI spatiolum in lapide vacuum sit a scriptura an secuta sit O littera iam evanida facta; recognito autem lapide illud unum verum esse nuntiavit. Littera fracta, a qua incipit v. 2, ei visa est fuisse R.

quamquam et ipsa insolens est et praenomen maxime aegre desideratur, satis tamen opinor defenditur. Reliqua commode procedunt parili dispositione per tria certe prima capita ordinata, nam de quarto imperfecto non satis constat. In verbis restituendis hoc tenendum est initio versuum pauca deesse, plura in fine, sed ut non raro (ita v. 6. 9. 14) post sententiam absolutam versus pars extrema vacua remansisse videatur.

1. Incipiunt singula capita ut par est ab ipsius operis enuntiatione; ponitur autem opus casu primo:

v. 3: [*via a*]*d mil. XXXV pontem i*[*n*] *alv*[*e*]*o* (?) . . . .
v. 7: [*via gla*]*rea sternenda af mil.* [*XXXVI et per Ap*]*p*[*e*]*nninum muunien*[*da ad mil. LXXXXVII*] . . . . *XX*
v. 12: [*via af*] *mil. LXX*[*XX*]*VIII ad mil. CXX* . . . [*item altera v*]*ia Interamnium vo*[*rsus*] . . . . *XX*
v. 18: . . . . . *arcus del*[*apsus* . . . . . .

2. Sequitur formula iisdem verbis eodem loco ter repetita:

v. 4. 9. 14: *pecunia adtributa est.*

Scilicet ex pecunia, quam senatus ei de quo agitur censori apud quaestores urbanos attribuisset, censor certam summam quaestorem solvere iussit ei quocum populi nomine contraxisset.

3. Deinde ponitur summa pecuniae redemptori adtributae:

v. 4: *populo const(at)* [HS . . . . .]
v. 10: [*populo c*]*onst(at) HS* . *n* . . .
Sestertium nummum milia tot, non ut postea magis obtinuit, *sestertium milia tot nummum*, legimus item in legis repetundarum v. 48. Vestigia notarum numeralium parum certa non expedio.
v. 15: [*popu*]*lo const(at) sestertium sescenta* (aut *septingenta* aut *octingenta* aut *nongenta*) *milia* . . . .
Prima nota numeralis sine dubio CIↃ est, qua quingenta milia significari docui in Hermae vol. 3 p. 467 et C. I. L. vol. V ad n. 3402.

Similiter impensae in titulis publicis optimae aetatis non raro enuntiantur, ut in Pompeiano labri a. p. Chr. 3/4 (I. N. 2217 = Orell. 3277) et in Beneventano pontis (Wilmanns n. 1846*a*), in quibus est *constat* (*sestertiis*) cet., item in titulo et genere et aetate ad hunc proxime accedente posito in urbe a. u. c. 683 (vol. 1 n. 593), qui finit: *opus constat n(ummis)* cet.

4. Summam excipit mancipis cui attributa est nomen scriptum tertio casu:

v. 5: . . . . . *M. l. Pamphilo mancupi.*
v. 10: *L. Rufilio L. l. I.* . . . [*mancupi*].
v. 15: . . . . [*mancupi*].
v. 19: . . . . *mancupi.*

Duo ii, quorum nomina supersunt, libertini generis sunt. Addi poterunt homo Praenestinus D. Poblicius Comicus, qui Fortunae primigeniae votum posuit *manceps aedis per annos XIII* (Wilmanns n. 1802), item *C. Iulius*

divi Aug. l. Hilarus manceps huius monumenti dictus in titulo prolato ex columbario aliquo familiae domus Augustae (Grut. 614, 10). Praeterea conferenda sunt quae de mancipibus exposuit Henzenus, cum titulum illum Praenestinum primus edidit in actis minoribus instituti archaeologici 1859 p. 23 seq.

5. Sequitur nomen curatoris viarum operis exactoris futuri casu sexto:

v. 5: *ex(actore) ope[r(is) . . . . cur(atore) v]iar(um).*

v. 11: *[ex(actore) oper(is)] T. Var[io] T. f. cur(atore) viar(um).*

v. 16: *[ex(actore) oper(is)] T. Sepunio T. f. O . . . . . . [curatore via]r(um).*

Ipsa restitutio satis certa est; conferri potest titulus Campanus (I. N. 3643 = Orell. 3213) hominis libertini *exactoris operum publ(icorum) et theatri a fundamentis*. Curatores autem viarum aetate liberae rei publicae qui fuerint quamquam ne nunc quidem satis intellegitur, iam aliquatenus determinari potest, quid non fuerint. De iis cum scriptores taceant [1]), titulorum adhuc notorum tres mentionem eorum faciunt, scilicet elogium C. Claudii Pulchri cos. a. 662 (vol. 1 p. 279), qui post praeturam ante consulatum *curator vis sternundis* factus est; deinde lapis quem supra iam adhibuimus vol. 1 n. 593 L. Volcei sive quo alio nomine fuit, qui opus quoddam in urbe probavit *cur(ator) viar(um) e lege Visellia de conl(egarum) sen[tentia]*, qui collegae novem numero subscripti sunt; denique titulus ibidem n. 600 pontis urbani qui nunc dicitur *quattro capi* facti teste Dione a. u. c. 692, in quo sic est: *L. Fabricius C. f. cur. viar. faciundum coeravit eidemque probaveit.* Quibus fortasse addi poterit quartus quamquam aetatis paullo recentioris P. Paquii Scaevae (Henzen 6450), qui post a. 731 post praeturam factus est *viar(um) cur(ator) extra u(rbem) R(omam) ex s. c. in quinq(uennium).* Decem collegas in secundo titulo memoratos cum satis constet tribunos plebi esse a. u. c. 683 (certe tres eius anni tribuni qui nominantur in indice plebisciti eo anno lati vol. I p. 114 omnes redeunt in titulo curatoris viarum), adhuc opinio obtinuit curam eam lege Visellia ita iubente aliqua ratione coniunctam fuisse cum tribunatu plebis. At cum Caeciliani tituli curatores viarum a Visellianis illis non differre ratio suadeat, iam opinatio illa refellitur; hi enim etsi et ipsi ingenui sunt, opus ingens neque annuo spatio absolvendum ab eius anni quo locatum est tribunis plebis exigi non potuit, multo minus autem nomina eorum, qui anno exactionis tribuni plebis futuri essent, locationis tempore adscribi. Locationis autem, non exactionis tempore titulum propositum esse ex praescriptione efficitur. Quam ob rem iam statuendum erit L. Volceium illum curatorem viarum, cum eo anno, quo opus ab ipso exigendum erat, casu item tribunatu plebis fungeretur, honoris causa in consilium collegas adhibuisse, cum ipsorum tribunorum in viis faciendis exigendisve nullae

[1]) Nam *viocuri* Pullius et Cosconius Varroni de l. Lat. 8, 158 memorati quamquam et ipsi huc pertinere videntur, ad eorum condicionem determinandam ex verbis Varronis nihil proficimus.

partes essent. Curatores viarum lege Visellia instituti numero plures fuerint necesse est, nam qui nominatur v. 11 litteris licet evanescentibus, diversus est omnino a curatore v. 16. Curam anno finitam fuisse vix crediderim; immo fieri potest, ut propterea potissimum curatores instituti sint, quod censores quique praeterea opera publica maiora locabant ab iis exigendis temporis angustiis fere prohibebantur. Ordinariorum magistratuum quodammodo speciem ii prae se ferunt, cum nomen generale sit aequabiliterque redeat, denique curatores quotquot fuerunt libera re publica in comitiis fere creati sint. Sed haec fallere posse video; de hoc iam constat septimo urbis saeculo censorem operis ab ipso locati exigendi curam mandare potuisse alicui ex curatoribus viarum.

6. Extremo loco subscribitur nomen quaestoris urbani casu sexto:

v. 6: *T. Vibio . . . L(?)e(?)muudino q. urb.*
v. 11: *T. Vi . . . .*
v. 15: *T. Vibio L . . . .*

Cum unum tantum ex collegio nomen ponatur, statuendum est eum intellegi, qui iubente censore pecuniam mancipi attributam solvisset.

Tribus primis locationibus patet contineri viam Salariam reficiendam totam; nec longe distare locum, ubi lapis eruderatus est, a porta Collina, unde exibat via Salaria iter facturus, apte Henzenus monuit. Ea via reficiendi causa in tres portiones divisa est, ut primo redemptori refectio mandaretur ad mil. XXXV, alteri a mil. XXXVI ad LXXXXVII, tertio a mil. LXXXXVIII ad CXX et ultra. Locorum indicationibus quae in titulo continentur non immorabimur; conveniunt in universum cum itinerario quod traditum accepimus hoc:

Antoninianum p. 145: Salaria ab urbe Hadriae usque.	*Peutingeranum*: via Salaria.	*Ravennas* 434; *Guido* p. 491: via Salaria.
XVIII	Fidenis	Fidenis
	XIIII	
Ereto	Ereto	Eretum
XIII	XIII	Farfa
Vico novo	ad Novas	Nobis
XVI	XVI	
Reate	Reate	Reate
VIII	VIIII	Agilis
Cutilias	aque Cittillie	aquae Catiliae
VI	VII	Tistenta
Interocrio	Interocrio	Interocrium
	XII	
XVI	foro Ecri	forum Decii
	IIII	
Falacrino	Palacrinis	Facrina
VIII	XVI	
vice Badies		
X	ad Martis	Martis
ad centesimum	VII	
XII	. . . .	Befania
Asclo	Asclo	
XX		
castro Truentino		
XII		
castro Novo		
XV		
Hadriae		

Prima portio viae, si quidem eundem tramitem secuta est quem itineraria indicant, terminum habuit fere ad vicum Novum. Stationem hanc is qui agrum suburbanum omnium optime hodie novit Petrus Rosa Romanus egregius amicus quaerenti mihi respondit incidere in miliarium lapidem qui nunc est XXXII, ubi hodie est caupona nova (*osteria Nuova presso i Massacci*). In hisce partibus comprehensis olim finibus Trebulae

Mutuescae viae Salariae rigorem certo ubivis apparere cum sepulcris iuxta eam passim collocatis. Secundo lapide post vicum Novum transiri rivum venientem a vico Poggio Nativo, dictum primum *fosso di Poggio Nativo*, mox *Fosso della Villa*; eum rivum pro re non ita exiguum deinde incidere in fluvium Farfarum. Iam igitur intellegitur, cuius rivuli ponte prima viae portio definiatur. — Transitus deinde montis Appennini iusto loco reperitur; nam terminum habuit secunda portio, si recte numeros restituimus, fere ad centesimum lapidem, quem ex miliario I. N. 6259 constat stetisse prope Trisungum in valle Truenti superiore. — Tertia pars, si recte hiatus explevi, duplex est, ut bivium fuerit fere ad centesimum sternerenturque viae inde duae altera ad Interamnium Praetuttianorum hodie *Teramo*; hoc enim oppidum iuxta Truentum ad Asculum Picenum patet significari v. 13. Quamquam si cui magis placebit viam Salariam septimo saeculo Asculum non attigisse, sed post Appennini transitum Interamnium petivisse, verba quae in titulo remanent etiam huic opinioni facile accommodabuntur. Hoc antea iam intellexeramus Interamnium, quod secundum itineraria posteriora a Salaria aliquantum distat, tempore liberae rei publicae ad ipsam viam publicam fuisse. Nam prodierat ante annos fere quinquaginta in agro pagi Sancti Omeri cippus hic miliarius (I. N. 6258 = vol. 1 n. 561)

L · CAECILI · Q · F
MET///////S
CXIX
ROMA

qui pagus cum medius sit inter Asculum et Interamnium, iam olim edens eum cippum adnotavi eum extra rigorem viae Salariae posterioris prodiisse itaque pertinere videri ad Salariam viam ab ea quam novimus diversam et vetustiorem.

Sed cippus is quem modo rettuli cum eo quem nos edimus titulo etiam propius coniunctus videtur esse. Attribuimus eum adhuc duce Borghesio L. Caecilio Q. f. Metello consuli et quidem, cum huius nominis duos consules fasti exhibeant a. et 612 et 637, horum posteriori. Iam vero, cum via haec tam a censore refici potuerit quam a consule, item v. 3 pari iure et [*co*]*s*. suppleri possit et [*cen*]*s*., nunc autem patefactum sit viam Salariam instauratam esse [*in censu*]*ra Caecili*, omnino videndum est, num forte Caecilius hic is ipse sit, cuius nomen cippo illi inscriptum est. Et censores quidem Caecilios fasti exhibent quinque, a. 623 Q. Metellum Macedonicum, a. 634 Q. Metellum Baliaricum, a. 639 L. Metellum, a. 652 Q. Metellum Numidicum et C. Metellum Caprarium, quibus singulis in eum quem edimus titulum idem ius est, nisi forte duobus Metellis in censura collegis hoc obstat, quod in horum altero utro omissio praenominis etiam magis offendit. Sed cippus miliarius Sanctomeranus si eiusdem censoris

est, unus remanet censor L. Metellus a. 639 cui haec locatio attribuatur[1]). Videtur quidem huic obstare praenomen paternum; nam in tabulis censoriis quae hodie usurpantur sic id collegium perscriptum legitur: *cens. L. Caecilius L. f. Q. n. Metellus Delmaticus, Cn. Domitius Cn. f. Cn. n. Ahenobarbus l. f. LXII.* At ipsos auctores ubi perlustramus, prioris censoris nec pater neque agnomen usquam enuntiatur[2]). Fuerunt autem eo tempore duo L. Caecilii Metelli, alter L. f. Q. n. Delmaticus cos. 635, alter Q. f. Q. n. Diadematus cos. 637; nec quicquam obstat, quominus hunc potius quam illum existimemus a. 639 censorem factum esse. Quo admisso recte omnia quadrant.

Orthographica huic aetati apta sunt; nam geminatio vocalium, quae reperitur v. 8 in *muunien[da]*, item fortasse v. 6 in cognomine quaestoris, ei vel maxima propria est, neque ab ea abhorret aspiratio in Graecanico cognomine *Pamphilo* v. 5. Praeterea notandum v. 7 *af* pro *a*.

---

298 Luceriae nuper reperta in via qua Trojam itur D'AMELIS. Huius lapidis videndi causa a. 1873 Luceriam profectus vidi eum, sed coniectum in fundamenta domus quae angulum facit inter viam *Bruno* et vicum *Pergola* scripta parte latente et sepulta. Itaque ducibus comitibusque meis Lucerinis cum in re praesenti exprobrassem quod pulcherrimum monumentum infelici casu nostra aetate ab oblivione resurgens tam barbare proici passi essent, erubuerunt et tacuerunt. Sane non verbis paenitentia iis agenda est, sed re et factis; quod si non faciunt, nos ubi adhuc Vandalorum nomen adhiberi consuerat, ibi Lucerinos deinceps nominabimus, quippe qui Italorum nomen, quo merito gloriantur, turpi antiquitatum patriarum socordia dehonestent.

IN · HOCE · LOVCARID · STIRCVS
NE // IS · FVNDATID · NEVE · CADAVER
PROIECITAD · NEVE · PARENTATID
SEI · QVIS · ARVORSV · HAC · FAXIT ///IVM
QVIS · VOLET · PRO · IOVDICATOD · NI
MANVM · INIECTO · ESTOD · SEIVE
MAC // STERATVS · VOLET · MOLTARE
///CETOD

---

[1]) Verum est apud Valerium Maximum 8, 5, 1 etiam alteri L. Metello Q. f. consuli a. 612 censuram adscribi. Sed censorum laterculus per hos annos plenus est erravitque sine dubio hic quoque ut passim in talibus Valerius.

[2]) *L. Caecilius (l. domitius* codex) *Metellus:* Liv. ep. 62. *L. Caecilius:* lex agr. v. 28. 86. 88. *L. Metellus:* Cicero Verr. l. 1, 55, 143; pro Cluent. 42, 119. Cassiodor. ad h. a. Valerius Maximus 2, 9, 9.

Edidit Ioh. Bapt. d'Amelis *storia della città di Lucera* (Luceriae 1861. 8) inter titulos extremo libro adiectos n. 80 (cf. p. 119) acceptum a Francisco del Buono. Cuius exemplum scriptum ut inspicere mihi liceret ipsius lapidis examinandi spe deiectus, per optimum amicum de Petra ab Amelio petii, sed ne id quidem reperiri potuit, pendemusque in egregio titulo ab editoris hominis parum accurati fide typothetaque provinciali. Virgulas quibus hiatus indicantur punctaque quae verba separant in editione iisdem notis repraesentata, ego coniectura distinxi.

Pro re titulus satis intellegitur; sic enim fere dicit. *In hoce loucarid* [1]) *stircus ne* [*qu*]*is fundatid* [2]), *neve cadaver proiecitad* [3]), *neve parentatid. Sei quis*

---

[1]) *Lucar,* quod notum est significare pecuniam ex lucis captam, hic apparet de ipso luco usurpari. Comparari poterunt vocabula *Luceria* et *Luceres,* quae ab eadem etymi significatione proficisci iam intellegitur.

[2]) *Fundare* pro eo quod est *fundere* nunc primum prodit; comparari possunt ex eodem etymo derivata vocabula *parĕre* et *parare* (Corssen *krit. Nachträge* p. 59). Praeterea cf. Livius 2, 5, 3: *desectam cum stramento segetem . . . corbibus fudere in Tiberim.*

[3]) Imperativi in hoc titulo inveniuntur hi: *estod* (v. 6), [*li*]*cetod* (v. 8) — *proiecitad* (v. 3) — *fundatid* (v. 2), *parentatid* (v. 3). De quibus cum Corssenum interrogassem, ne meam provinciam egrederer disserens de quaestione pendente ex linguarum 'diversarum inter se comparatione, is ita respondit. 'Imperativus is de quo agitur 'olim finiebat in — *tât*, ut Sanscritice *fer-to* est *bhara-tât.* Inde factum est primum '*-tâd,* quod servat unus titulus Lucerinus in vocabulo *proiecitad.* Vocalis *ā* deinde 'facta est aut *o* aut *e.* Ex priore transformatione ortus est imperativus vel in *-tōd,* qui 'ut alibi non raro ita in hoc titulo invenitur in *estod* et *[li]cetod* mutatusque in *to* 'communi sermone receptus est, vel in *-tūd,* ut reperiuntur Latine *faci-tūd,* Osce *es-tūd,* '*fac-tud,* mutatus in *-tu* sermone Umbro in *e-tū, fer-tū.* Alterius transformationis vocalis '*a* in *e,* id est imperativi in *-ted* cum exemplum nullum adhuc prodierit, iam formae inde 'derivatae quae est *-tid* duo proponit titulus Lucerinus *funda-tīd* et *parenta-tīd.* 'Simili propagine ablativus singularis masculini et neutrius generis mutationes subiit has:

[*-ât, -âd* apud Indos]

-od (Gnaivōd) *-ēd (med, tēd, facilumēd)*
-ud (nefastūd) *-id (amprufid* Osce).

'Item nominativus nominum in *s* finientium has:

[*-âs (su-man-âs* apud Indos)]

-ōs (honos) *-ēs (Ceres, pubes,* φευδής)
-ūs (tellus) *-īs (pulvis, cinis).*

arvorsu hac faxit, [in] ium quis volet pro ioudicatod n(umum) [L [1]] manum iniect[i]o estod [2]). Seive ma[gi]steratus volet moltare, licetod.

Id est: *In hoc luco stercus ne quis fundito, neve cadaver proicito, neve parentato. Si quis adversus hoc fecerit, in eum ei qui volet pro iudicato nummum L manus iniectio esto. Sive magistratus volet multare, liceto.*

Grammaticos ei rei pares cum dubium non sit mox de hoc titulo accuratius dicturos esse, ego de argumento pauca addam; nam multis non indiget rei evidentia et perspicuitas. Agi apparet de luco sacro non polluendo immunditiebus sepulcrisve, ut in universum ait praetor (Dig. 43, 6, 1 pr.): *in loco sacro facere inve eum immittere quid veto.* Plane similem constitutionem tamen non repperi, quamquam prope accedit *lex rivi Ul*. . ., quam edidi in Hermae vol. 4 p. 284 repetivitque inde Wilmanns n. 2730, ubi sic est: *si quis in eo* (rivo scilicet) *mixserit, spurcit(iam) fecerit, in tem(plum) Iovis d(omestici? denarium unum) dato; del(atoris) pars dim(idia) esto.* — Qui contra facit, ei hac iussione poena imponitur aut privato iudicio exigenda aut publico. Quod quo iure fiat si quaeratur, respondebimus iure publico populi Lucerini (nam colonia Latina Luceria fuit, cum hic titulus scriptus est, et in sua potestate) ita obtinuisse, sive in universum more maiorum sive lege populi de hoc ipso luco lata. Solebant autem Romani in eiusmodi delictis, quae et populum laederent et pecuniae aestimationem admitterent, tam publicum iudicium proponere quam privatum recuperatorium, qua de re dixi alibi (*Staatsrecht* 1, 141) fidemque facit praesertim tabula Bantina v. 8 seq. Sed haec quam lex Lucerina dat optio ab illa eo nomine differt, quod Bantina tabula magistratum qui volet recuperatores a praetore petere iubet, Lucerina civem quemcunque; plane ut legitur in Institutis Iustiniani 4, 10 pr.: *cum olim in usu fuisset alterius nomine agere non posse nisi pro populo, pro libertate, pro tutela* [3]).

---

[1]) Pro NI in lapida necesse est fuerit N⊥ similisve nota numeralis.


[2]) Accusativus *manum* pendet a substantivo verbali *iniectio*; ita enim emendandum est. Similia et apud poetas Graecos passim reperiuntur et Plautus quoque sic locutus est Aululariae 3, 2, 9: *quid tibi nos, mendice homo, tactiost?* Amphitruonis 519 Fl.: *quid tibi hanc curatiost rem?* Casinae 2, 6, 56: *quid tibi tactio hunc fuit?* similiterque aliis locis (vide Draegerum *histor. Syntax der lat. Sprache* 1, 330). At cum Plautus ea forma ibi tantummodo utatur, ubi et praecedit *quid* interrogativum et sequitur verbum substantivum, in hoc titulo ut id ipsum sequitur, ita *quid* non praecedit, nec iam dubium est hanc rectionem non Graecismis adnumerandam esse, sed in vetusto sermone Latino legitimum locum obtinuisse. Hoc cum Plautino usu convenit, quod posui *in ium manum iniectio estod*, ut *in eum* regatur a verbo substantivo; similiter in sententia *quid tibi hanc curatiost rem?* dativus pendet ab *est* vocabulo, accusativus a curando.

[3]) Gaium loco simili 4, 82, quem sic excepit Studemundius: *cum olim quo tempore legis actiones in usu fuissent alieno nomine agere non liceret prope (?) quam exceptis causis*, apparet sic scripsisse: *non liceret praeterquam ex certis causis* neque eas ipsas attulisse.

De multa autem quae leguntur in titulo Lucerino, ea ad verbum fere redeunt in lege Bantina: *sei quis mag. multam inrogare volet .... liceto*, et omnino sollemnia haec fuerunt et quodammodo tralaticia. — De iudicio privato quae caventur ut magni momenti sunt propter actionis naturam accurate determinatam, ita rem facile assequimur collata formula notissima manus iniectionis adversus iudicatum relata ex XII tabularum interpretatione apud Gaium 4, 21: *quod tu mihi iudicatus sive damnatus es sestertium X milia, quando* [*ea?*] *non solvisti, ob eam rem ego tibi sestertium X milium iudicati manus inicio.* In titulo cur sit non *iudicati*, sed *pro iudicato*, idem auctor statim explicat: *postea quaedam leges ex aliis quibusdam causis 'pro iudicato' manus iniectionem in quosdam dederunt.* Cuius pro iudicato manus iniectionis exemplis a Gaio adlatis hoc iam addemus. Nam poena haec quamquam ex Lucerino iure innotuit, tuto ad Quiritium quoque transferetur.

---

299 *On the lip of a bronze vase.* Vasculum quo loco repertum sit, ignoratur; emit id museum Britannicum nuper Romae a Castellanio.



Q · LAINIO Q · F · PRAIFECTOS · PROTREBIBOS · FECIT

Misit et charta expressam et accurate descriptam A. S. Murray Londiniensis.

Faciendi vocabulum cum in titulis votivis vix locum habeat, hunc magis credo publicum esse, ut hoc significetur magistratum vasculum fecisse faciendumve curasse populi nomine; ut *pro po*[*plod*] est in titulo sacro item antiquissimo vol. I n. 188. Nam *pro trebibos* quod est, id est *pro tribubus* (ut *tribus* Latine Umbris est modo *tri-fu-*, modo *tre-fu-*), eodem redit;

pro toto enim partes omnes recte ponuntur, compararique possunt decuriae quinque iudicum et equitum ordines quattuordecim et, quae huc potissimum pertinet, plebs urbana *quinque et triginta tribuum* (Orell. 3064). Res publica ea, cuius nomine hoc vasculum factum est, cum sub praefecto fuerit, praefectura fuerit necesse est, ut fuerunt a quinto saeculo ad bellum sociale Fundi et Formiae et aliae multae. Quae cum civium Romanorum essent (*röm. Münzwesen* p. 336), nihil impedit, quominus in suas quaeque tribus distributae fuerint, pariter atque colonias civium Romanorum suas quamque tribus habuisse nuper intellectum est (v. supra p. 125). Primus autem hic titulus est, quem ad eius generis praefectum probabiliter referas; ut magnopere dolendum sit de origine eius non liquere. — Laenii Brundisini equestris ordines homines commemorantur apud Ciceronem Varronemque (v. onomast. Tullianum s. v.); Laenia mulier item nominatur in titulo Tarentino I. N. 584. In nominativo secundae *s* littera modo ponitur modo deficit, ut in titulis Tusculanis vol. I n. 64. 65: *M. Fourio C. f. tribunos militare*, aliisque remotae vetustatis.

---

300 columna rep. Mesae ad Appiam.

in latere	*in summa parte columnae*	*in latere*
VIII	P · CLAVDIO · M OVF///	X


A Brizio descriptam misit Henzen a. 1874.

TH. MOMMSEN.

ADDITAMENTVM
AD FASTOS CONSVLARES CAPITOLINOS.

(vol. I p. 438.)

Fragmentum marmoreum effossum aestate anni 1873 in foro Romano eruderando, nunc adservatum in monte Palatino in repositis.



Descripsi edidique *Bull. inst. arch.* 1874 p. 136. Fragmentum inserendum est inter dudum nota XVIIII. XX*a*. et XXII, versusque ejus 4-8 item continuant vv. 5 priores fragmenti eius quod edidi in hac Ephemeride 1872 p. 154. Partes fragmentorum huius et Capitolini XXII novo frustulo respondentes maiusculis dedi inclinatis.

a. 613	*cn. seruilius. cn. f. cn. n caepio*	*Q. POM*PEIVS · A F
a. 614	*c. laelius. c. f. c. n*	*Q. SERV*ILIVS · CN · F · C*n* · *n* *caepio*
a. 615	*l. calpurnius. . . f. . . . n piso*	*m. poPIL*LIVS · M · F · P · N *laenas*
a. 616	*p. cornelius. p. f. p. n scipio nasica. serapio*	*d. iVNius* · *m.* F · M · N · BRVTV*s qui postea* *CALL*AICVS · APPEL*latus est*
a. 617	*m. aimilius . . f. . n lepidus porcina*	*c. hoSTILIV*S · A · F · L . N *MANCInus abd*
a. 618	*p. furius. . . . . f. . . . n philus*	*sex* · *ATILIVS* · M · F · C · N *SERRANus*
	cens. ap. claudius. c. f. ap. n. pulcher	*q. fulu*IVS · *M* · *F* . *M* · *N* NOBILI*OR* . *L* · *F* · *LVIII*

a. 613 avus Pompeii utpote hominis novi in fastis potest omissus fuisse: cf. vol. 1 p. 446.

a. 615. Ritschelius (*Rhein. Mus. n. F.* 28 p. 602 seqq.) auctore Valerio Maximo 1, 3, 3 contra fastos Cassiodori opinionemque communem Calpurnio consuli praenomen adserit Lucii, ad eumque probabiliter refert litteras, quas Lucium consulem ad regem Ptolemaeum dedisse narratur in libro Maccabaeorum 1, 5, 15.

a. 616 de Scipione cf. Liv. epit. 55; Val. Max. 9, 14, 3; Plin. n. h. 7, 54; de Bruto Vell. 2, 5.


a. 617 pater et avus Mancini quo nomine fuerint, hinc primum apparet.

a. 618 de censura cf. vol. I l. c. et de Boor fasti censorii p. 83.

W. HENZEN.

ADDITAMENTA
AD ACTA FRATRVM ARVALIVM[1]).

Fragmentum tabulae marmoreae repertum mense Maio a. 1874 in luco deae Diae sive vinea Ceccarelliorum inter saxa reposita.



Descripsi ex ectypo chartaceo.

Frustulo apparet continuari fragmentum *d* actorum anni 27 editionis meae p. XXXIV. Unde acta ea sic iam redintegrantur.

---

[1]) Postquam acta fratrum Arvalium adhuc nota prodierunt coniuncta et explicata cura Henzeni (Berolini 1874. 8), quae postea accesserunt accessuraque sunt omnia huic ephemeridi inserere constituimus. — EDITORES.

quae in verba tibi bove aur(ato) vovi esse futur*um*, *quod hoc die vovi, ast*
*tu ea ita faxis, tum ti*bi donum i . . . .
. . . . *fu*erit, ex *pecunia fratrum Arvalium*
*nomine eorum posit*um iri voveo.
*Iuno regina, quae in ver*ba I(ovi) o(ptimo) m(aximo) bov*e aurato vovi esse futurum*
quod hoc die vovi, ast tu ea ita faxis, *tum tibi collegi fra-*
trum Arvalium nomine bove aurata v*oveo esse futurum.*
*Minerva, quae in verb*a I(ovi) o(ptimo) m(aximo) bove aur*ato vovi esse futurum, quod*
*hoc die vovi, ast tu ea i*ta faxis, tum tib*i collegi fratrum*
*Arvalium nomine bove aura*ta voveo esse fu*turum.*
Dea Dia, quae in verba I(ovi) o(ptimo) m(aximo) bove a*urato vovi esse futurum, quod hoc*
die vovi, ast tu ea ita fax*is*, *tum tibi collegì fratrum Arvalium*
*nomine bove aur*ata in luco *voveo esse futurum.*
*Adfuerunt L. Pis*o pontifex, Pa*ullus Fabius Persicus, L. Caninius*
*Gallus, Cn. Domiti*us Aheno*barbus.*

V. 20. 21 post *donum* similia scripta fuerunt iis quae sunt in actis a. 38 v. 5. 6 *auri p(ondo) XXV, argenti p(ondo) IV.* Quae sequuntur ibi cum his actis conveniunt.

V. 21 littera *i* in *fuerit* certa est.

V. 29 sqq. vota enarrari deae Diae nuncupata verba *in luco* indicant. In actis a. 38 qui post hanc deam sequuntur *Salus* et *divus Augustus* cum in fragmento anni 27 nondum nominentur, paullo post eum annum videntur adiecti esse. Posteriore autem aetate omissis votis deae Diae factis, adiunctis autem diva Augusta et divo Claudio hi soli una cum numinibus Capitolinis invocabantur, donec a Flaviis inde imperatoribus cessante iam cultu divorum sola Salus cum illis in votis remaneret. Ita quaedam corrigenda sunt in iis, quae de numinibus votorum causa invocatis nuper exposui (l. c. p. 103. 104).

V. 32 primo loco cum nominatus fuerit *L.* (*Calpurnius*) *Piso pontifex* et propterea is aut magister aut promagister huius anni necesse est fuerit, ipso magisterio eum tum functum esse colligitur ex v. 2, quo propter pontificis mentionem magisterium Ti. Caesaris Augusti scriptum fuisse conieci perperam (l. c. p. XXXIII v. 2). Nam cum *Piso pontifex* inter eos qui adfuerunt nominetur, id ipsum etiam v. 2 recte reponetur. Quae cum ita sint, v. 1—4 restituendi sunt fere sic:

L. Calpurnio Pisone, M. Licinio Cra*sso Frugi co(n)s(ulibus)*
pridie nonas Ianuar(ias) L. Calpurnius Piso pont(ifex) *magister* . . . .
. . . . *collegi* fratrum *Arvalium nomine*
vota nuncupavit pro salute et incolumitate cet.

Post verbum *magister* (v. 2) quid exciderit, non adsequor, cum cogitari non possit de loco, in quo vota facta sunt. Fortasse ut in actis a. 14

C. Lentulus augur magister dicitur in locum alterius fratris factum, ita simile aliquid de Pisone hic enuntiatum fuit. — Iam igitur cum magistrum anni 27 Pisonem fuisse constet, delendum est in fr. *e* editionis meae (v. 8) verbum quod est *promag(ister)*, item reponendum in *f* v. 1 *adfuerunt L. Piso pontifex* et in v. 4 *L. Piso pontifex magister*; denique v. 5 delenda indicatio hiatus. — Piso pontifex cum anno 32 octogenarius decesserit (cf. index nominum libri mei s. v.), recte quater magisterio functus esse potest, nec quicquam obstat, quo minus ad eum referatur *magisterium quartum,* quod videtur commemorari in fr. *e* v. 14. — De Paullo Fabio Persico et Cn. Domitio Ahenobarbo post Pisonem commemoratis reliquiae nominum dubitationem non admittunt. Caninii Galli mentio fit in fr. *f* v. 5.

Fragmenta mense Maio anni 1874 in vinea Ceccarelliorum reperta, cum deiciebatur murus quidam vetustus in coemeterio christianorum adplicitus ad murum a Damaso papa factum.

ODEST . S
NIANVS

A DEAE
LAVTIS
EAE DIAE

NI FILIO
ONINO
Q · NOSTR
VI POPV
C ANNO
OMI CON
TATIA

IIII · K · IVN · II
IVLIVS PROMAG · A
L · CLAVDIVS MODESTV
INO · M · GAVIO
ATRES ARVALES PRAE
CERVNT · IBIQVE DI
IT · PVERI PATRIMI · E
ETVLERVNT · Q · COR
LIANVS AVITVS · P · S
APRONIANVS PR
IVLIVS MAXIMVS · MV
M · COS · X
S APRONIANVS · PRO · M
DI ET OPERIS

Descripsi ex ectypo chartaceo.

Partes sunt actorum a. 155 (editionis meae p. CLXIX) et versuum quidem 7—33, qui novis fragmentis adiunctis redintegrantur sic:

fratres Arvales convenerunt M. *Fulvius*
Apronianus promag(istro), M. Valerius Homullus, L. Claudius *M*odest*us*.
M. Fabius Iulianus Heracleo Octavianus, M. Valerius Iunianus,
C. Iulius Maximus, Ti. Claudius Agrippinus.
Isdem co(n)s(ulibus) VII idus Ian(uarias)
in pronao aedis Concordiae fratres Arvales sacrificium deae
Diae indixerunt, ibique C. Iulius Maximus pro mag(istro) manibus lautis
velato capite sub dio, c*ulmine contr*a orientem, sacrifici*um d*eae Diae
cum collegis suis in*dixerunt*:
quod bonum faustum *felix fortunatumque* sit imp(eratori) Caesar*i divi Ha*-*dria*ni filio
divi Traiani nepoti *divi Nervae pro*nepoti T. Ael*io Hadriano A*ntonino
Aug(usto) Pio p(atri) p(atriae) pontifici max(imo) *trib*(*unicia*) *pot*(*estate*) *XVIII co*(*n*)*s*(*uli*) *IIII imp*(*eratori*) *II*, *principi parenti*q(ue) nostr(o)
et M. Aelio Aurelio Caesa*ri filio totique domui eorum et senat*ui populo Romano Quiritibus, fra*tribus Arvalibus*: *sacrificium deae Diae hoc* anno
erit a(nte) d(iem) XVI k(alendas) Iun(ias) domi, a(nte) d(iem) *X*IIII k(alendas) Iun(ias) in *luco et domi*, *a*(*nte*) *d*(*iem*) *XIII k*(*alendas*) *Iun*(*ias*) *d*omi con-
summabitur. adfuerunt C. Iulius pro mag(istro), M. *Fabius Iulianus Heracleo O*ptatia-
nus, M. Valerius Iunianus, L. Claudius Modestu*s* ....
C. Aucidio Victorino, M. Gavio .... *co*(*n*)*s*(*ulibus*) *XVI k*(*alendas*) *Iun*(*ias*)
in domo .... Primi fratres Arvales prae*textati sacrificium deae Diae*
per M. Fulvium promag(*istrum*) *t*ure vino fecerunt, ibique di*scumbentes toralibus albis*
segmentatis ture et vino fecerunt; pueri patrimi e*t matrimi senatorum fili*
*praetextati cum pub*licis ad aram retulerunt Q. Cor*nelius* ....
.... gillianus, L. Lo*l*lianus Avitus, P. S ....
*Adfuerunt in colleg*io M. Fulviu*s* Apronianus pro *mag*(*istro*), *M. Val*erius
Homullus, *L. Claud*ius Modestus, C. Iulius Maximus, M. V*alerius Iunianus*.
Isdem co(n)s(ulibus) X*IIII k*(*alendas*) *I*un(ias)
*in luco deae Di*ae M. Fulvius Apronianus pro m*ag*(*istro*) *ad* aram immolavit
porcas piaculares duas luci coin*quie*ndi et operis faciundi ibique vaccam ho-
norariam album ad foculum deae Diae im*m*olavit *cet*.

V. 7—16 restitutio quam proposui novo fragmento adiuncto non mutatur.

V. 17 imperatori iam restitui titulum *principi parentique nostro* collatis actis a. 139.

V. 21. 22 fratres qui adfuerunt accuratius innotescunt: in promagistro nota omissum esse cognomen.

V. 23 etsi plenius nunc leguntur nomina consulum, Aucidius et Gavius qui fuerint non magis constat. Gavius Maximus Antonini Pii praef. praet. (Capit. Ant. P. 8), equestri igitur etiamtunc dignitate praeditus omnino diversus fuit ab hoc consule M. Gavio. Cogitavi de M. Gavio T. f. Vel. Appalio Maximo c. v. sodali Hadrianali, legato provinciae Narbonensis, quaestore Augusti (Murat. 192, 1); sed obstat titulus clarissimi viri Pii aetate parum usitatus. M. Gavius alius Orfitus fasces gessit a. 165.

V. 24. 25 litterae PRAE in fine v. 24 repertae restitutionem in libro propositam immutandam esse ostendunt. Nomen promagistri desumpsi ex 29 omisso cognomine propter angustiam spatii: cf. v. 21.

V. 28 L. Lollianus Avitus puer potest esse L. Hedius Rufus Lollianus Avitus is, qui anno 170 inter salios Palatinos cooptatus est: cf. Marini *Arv.* p. 166 et Borghesi *oeuvres* 4 p. 510 sqq.

W. HENZEN.

ADDITAMENTA

AD INDICES VOLVMINIS I.

Cum ante hos decem annos indices voluminis primi conficiebam, opus sane magis laboriosum quam doctum primumque eius generis, in quo versabar, statim post plagulas impressas quaedam repperi quae adderem corrigeremve; ea composui ultima indicum pagina (646). Alia menda postea observavi; inprimis autem index grammaticus iam tum non satisfecit sensimque, dum iterum tertiumque eo potissimum utor in scholis grammaticis, non parva addendorum demendorum mutandorum succrevit messis. Scilicet cum e collocationis lege, quam mihi feci, complura pluribus ponenda erant locis, accidit ut quos in indice perficiendo adhibui operae aut delerent interdum schedulas, quae iterum erant adhibendae, aut pravis locis collocarent; quaeque eius generis sunt vitia similia. Hoc non dico ut me excusem (nam meum erat certe curare ut talia operarum vitia vitarentur), sed ut sciant qui indice utuntur non omnia quae aut omissa sunt aut aliter atque expectaverint collocata consulto omissa esse collocatave, sed errori quaedam tribuenda. Accedit quod paulo post opus editum homo aliquis doctissimus et perquam accuratus partes aliquot indicis grammatici summa cum diligentia examinavit numerosque omnes, quos ipse sibi inter legendum enotaverat, comparavit. Is quaecumque errata invenit tum mecum communicavit intercedente amico quodam; nomen autem suum in publicum proferri noluit. Itaque quanquam in universum qui in arte grammatica occupati corpore inscriptionum utuntur suo iure titulos ipsos potius quam indices adhibebunt, tamen religionis mihi visum est, ut quae peccaverim candide confitear efficiamque ne latitarent omnino quae etiam illam voluminis primi partem paullo perfectiorem utilioremque reddere possent.

I. INDEX VOCABVLORVM.

Adde:

Artamo 1539*a*

*V. Blasio 1274

capio. Adde coiperit 198, 16 *idemque dele in* coepi; *nam errore positum est pro* ceperit

Chiteris. *Adde numerum* 1173 *qui excidit*

Dentio 1280 *semel* (*non bis*)

exaestumaverit 198, 15 (non 25)

hic. *Adde* hoc *accus. neutr.* 1027, 1 *Ceterum ubi anceps iudicium est de his formis similibusve* is *et* idem *pronominum, contentus fui enumerare omnia, iudicium uni cuique liberum concedens*

Hymne 1059 1206. *Scribe potius* Hymnis

idem 1421 *pluralis est non singularis*

eisdem 1192 *semel* (*non bis*)

Lampyrini *dat.* 1031. *Nominativus fuit* Lampyris

meus. mei *voc. sing.* (*non pl.*) 1008, 12

nos. *Adde* nostri 1220, *quod non ad* noster *pertinet*

Philematio. *Adde* 1205, *quod male irrepsit in* Philematium *quod sequitur*

qui. quod 206, 71 120, ques *nomin. pl.* 196, 4 24, qua *nomin. pl. neutr.* 196, 29 203, 4 *ad indefinitum pertinent*

quo circa. *Adde* quod circa 198, 13

vel. *Dele numerum* 1368

utique. *Pro* et uti *positum est* 196, 27 203, 9 571, 6

II. INDEX GRAMMATICVS.

D *finalis praeter ablativum*

adde quod circa 198, 13

declinatio

genetivus singularis

p. 603 *in* ai

adde Appiai 1216

Eppuleiai 1046

*familiai 1293

Numtoriai 122 *quod male inter dativos in* ai ***ponitur, ubi*** *delendum*

ceterum faciundai *in lege repetundarum* 198 v. 53 ***legitur, non* v. 58, *et*** Fortunai *Iul.* 30, *non* 25 (idem error numeri p. **600 *in* 'ai *in*** *flexione*' corrigendus)

in ei *et* i *vocabulorum in ius*

adde anulari 1107

conlegi 563 1107

adde

in uos *quartae*

senatuos 196 9 17 21 24

in i *quartae*

dele magistrati *Dec.* 31; est enim *nom. plur.* (*fasti Philocali* [illegible] *daticus singularis*

in a

adde Loucina 171

Marica 175

in ai

adde familiai 166

ceterum Helenai *et* Hilarai *numeros mutauerunt; est enim*

Helenai 1093

Hilarai 1302

in e

adde Fortune 64

in e *tertiae*

adde Maurte 63

dele Fide 170

in ei

adde salutei 587 (*nam solet pro datiuo haberi; posui sub ablati*[illegible]

in i (*ubi non ea tantum posui, quae ab usu aeui Augusti recedu*[illegible] *etiam usu recepta quaedam, ut testimonia eius usus antiqu*[illegible] *ponerem*)

dele continenti 206, 56; *melius enim inter aduerbia ponetur*

in e *uocabulorum in* is

adde colle Quirinale *Iun.* 5. 8 *Aug.* 9

mense Flusare 603, 2.

nominatiuus pluralis

in eis

adde eeis 196, 4

libereis 200, 23

populeis 200, 23 (*utraque forma falso datiuo in eis adscri*[illegible]

corrige ieis 577, 3, 12 (non 3, 2)

in is

corrige Aulis Vibbis 1541 *b* (non *c*)

filis 1511 *b* (non *a*)

dele is 196, 27 (*est enim nomin. sing.*)

adde Veituris 199, 23

p. 605

accusatiuum pro ablatiuo positum, non m finalem tantum scribe[illegible] *additam aut omissam, ut fere statui, obseruare licet in his*

fenestram pariete(m) opstruito 577, 2, 23

quantam pecuniam (quaeque via locata erit) 206, 46

(contra quamta pequnia locaverit 47)

in eum agrum (possidebit) 200, 14
in agrum compascuom (pascet) 200, 14
in pompam (ducei opus erit) 206, 64
in terram Italiam (fuit) 200, 1 (in terra Italia *saepe*)
in eam tribum (censento) 198, 77
in urbem Romam (domicilium non habeas) 198, 13 (in urbe Romae 17, in urbe Roma *saepius*)
in urbem Rom(am) (sunt) 206, 20
in urbem Roma[m] (reficiundas curet) 206, 26

ablativum pro accusativo:

nive angolaria altiorem . . . facito 577, 2, 22
nive maiorem caementa struito 577, 2, 21
portulaque tegito 577, 2, 6
inde Apeninum iugo recto 199, 18 (*sed* inde iugo recto monte Lemurino 15)
eos . . . solvei . . . Genuenses (*pro* a Genuensibus) videtur oportere 199, 44
extra pariete 577, 1, 16
extra terra Italia (est) 200, 50 (extra terram Italiam *saepe*)
quamtum . . . inlongitudine et inlatitudine erit 206, 39
pequniam in ludos aut in monumento consumere 1251, 6
inmanu palam dato 198, 51
inmontem Berigiemam infumo 199, 19
in montem Lemurino infumo 199, 14 (*contra* inmontem Lemurinum summum 16)
eos . . . praetor . . . in taboleis puplicis scriptos in perpetuo habeto 198, 15 (*sed* eisdem ioudices unius rei in perpetuom sient 27)
ex eis terminis recta regione in rivo Vendupale 199, 9, (*contra saepe* in rivom, in montem)
neve in senatum neve indecurionum . . . numero legito 206, 106
in terra calcis . . . partem . . . indito 577, 2, 19
in via poplicam campanam 1291, 4
trans Curione 200, 21

ablativus pro genetivo

adde de senatu sententia 1166, 3

E *adiecta*

adde vieam 1464

e *pro* i

adde aidiles 31
Apolenei 167
monementum 1223

ei *in flexione*

adde tibei 542 1453

p. 607

ei *pro* ii

adde Iovei 571

obeit 1411

poseit 1281 1283 1378

corrige feilei 1284 (*pro* 284)

i *omissa*

adde arda 577 2, 21

Augurni 358

Caldus 382 479 571

decmus 821

p. 608

n *omissa*

corrige coiugi 1064 (*pro* 1034)

III. INDEX RERVM.

II. Res sacrae.

I. Dii deae heroes.

dei inferum parentum 1241 (*non* 1245)

III. Res publica Romanorum.

post VI. Decemviri *adde* VI*a*. Tribuni celerum *Mart.* 19

XXIV. Artes et officia.

adde agitator *ad fast. min. XIV* p. 475

V. Notabilia varia.

I. Nominum ratio.

praenomina virorum.

adde Vibius 1274*

Vopiscus Iuliorum tr. *a.* 357

III. Testimonia scriptorum.

adde Livius 8, 15 p. 444 *adn.*

Plinius h. n. 3, 5, 65 p. 409 *Dec.* 21

corrige Tacitus ann. *1, 15 *ad Oct.* 12 (pro 1, 5)

Ceterum Varro *saepe vel explicatur vel emendatur in commentariis diurnis*

IV. Res epigraphica.

tituli minio pingi soliti. Adde *p.* 16

Aem. Hübner.

ADDITAMENTA
AD CORPORIS VOLVMEN II.

LEX COLONIAE GENETIVAE
DENVO RECOGNITA.

Postquam tabulae tres ex lege coloniae Genetivae reliquae Hispali translatae sunt Malacam ad marchionem de Casa Loring, qui cum leges Malacitanam et Salpensanam olim suas fecisset, has quoque nuper emit, misit nobis Berlanga noster ectypa earum duo facta ea cura, quae ei propria est, et tam evidentia et certa, ut singulas litteras praeter paucas in marginibus evanescentes in ectypo pariter atque in archetypo dignoscas. Nihilominus paucis tantum locis recensio mea eius ope corrigitur, quod scilicet ab eodem Berlanga antea iam acceperamus lectionem absolutam fere et emendatam. Sed in monumento tam egregio ne ullus naevus remaneat, quem nostra opera tollere possimus, placuit totam legem hic repetere diligenter expressam ex aere tam a me quam ab Hübnero denuo cum cura recognito. Paullo graviora autem, quibus secunda haec recensio a priore recedit, hic composuimus.

1, 7 S·F·S·F·L est in aere; quod fuit S·F·F·F·L, quadratarius ipse emendavit.

2, 5 TAXAT aes; ut dixi esse oportere, non TAMT.

20 Dernburgii egregiam coniecturam *ex re* pro *ea re* in commentario (p. 141) secutus nescio qua amentia suo loco omisi. Duorum elementorum figurae tam sunt similes, ut facillime confundantur.

3, 1 RELECTI aes, RELICTI Berlanga: unde firmatur quod restitui DELECTI.

3 pro IIVIR in aere antea fuit IIIVIR.

24 post M·P duae litterae erasae sunt, quae videntur fuisse D·D.

4, 19 pro RENVNTIARI in aere fuit DENVNTIARI.

20 ERIT QVAE EVM H·L· aes.

27 H·IIII aes; H·III error est operarum, ut intellegitur ex commentario.

7, 6 OPTINEBIT aes, OBTINEBIT Berlanga.

31—8, 13 quae minoribus litteris scripta sunt, ea evidenter apparet omissa esse ab eo qui aes scripsit spatio vacuo relicto, et postea ab alio quadratario suppleta.

8, 6 fiet] IIIT aes, IIAI Berlanga.

11 ADVERSVS aes, ATVERSVS Berlanga.

8, 23 DVMTAXAT// DIES aes, DVM AM//// DIES Berlanga; recte igitur emendavi.

35/6 est in aere quod edidit Berlanga LEGIBVS C GIVI¦RIQVE PARENTO. Sed cum duplex genetivus sane offendat, item singularis *viri* male respondeat plurali *mulieres*, fortasse scribendum est *legibus c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) aeque parento.*

Puncta quibus locis posita omissave sint, indicare noluimus. Inveniuntur plerumque, nec tamen semper, post vocabula primis litteris solis significata; post perscripta omittuntur saepius quam ponuntur.

. . . .

Si quis ex hac lege decurio augur pontifex coloniae Genetivae Tal
Iuliae factus creatusve] erit, tum quicumque decurio augur pontifex huiusque | col(oniae) domicilium in ea col(onia) oppido propiusve it oppidum p(assus) ∞ | non habebit annis V proxumis, unde pignus eius quot satis | sit capi possit, is in ea col(onia) augur pontif(ex) decurio ne es|to, qui[q]ue IIviri in ea col(onia) erunt, eius nomen de decurio|nibus sacerdotibusque de tabulis publicis eximendum | curanto, u(ti) q(uod) r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet), idq(ue) eos IIvir(os) s(ine) f(raude) s(ua) f(acere) l(iceto). 1,

IIviri quicumque in ea colon(ia) mag(istratum) habebunt, ei de lega-
XCII tio|nibus publice mittendis ad decuriones referunto, cum | m(aior) 9.
p(ars) decurion(um) eius colon(iae) aderit, quotque de his rebus |
maior pars eorum qui tum aderunt constituerit, | it ius ratum- 11.
que esto. Quamque legationem ex h(ac) l(ege) exve | d(ecurionum) d(ecreto), quot ex hac lege factum erit, obire oportuerit | neque obierit qui lectus erit, is pro se vicarium ex eo | ordine, uti hac lege de(curionum)ve [decreto] d(ari) o(portet), dato. Ni ita dederit, in | res sin(gulas), quotiens ita non fecerit, (sestertium X milia) colon(is) hu|iusque col(oniae) d(are) d(amnas) e(sto) eiusque pecuniae [q]ui volet petitio | persecutioque esto.

Quicumque IIvir post colon(iam) deductam factus creatusve | erit 19.
XCIII quive [praef(ectus)] ab IIvir(o) e lege huius coloniae relic|tus

Quae posita sunt intra uncos [ ], *ea aut non leguntur in aere eo loco hiante, aut aliter in eo leguntur. Hoc ubi evenit, in aere quid sit in adnotatione perscriptum est. Interpolationes, quae quidem aut sententiam aut orationem turbent, indicavimus lineola subducta.* — **1**, 1—7 *proponuntur in tabula* || 2 e[ius] col(oniae) *B*(*erlanga*) || 5 quique] *B*: QVIVE || 6 EXIMENDM || 7 idq(ue)] ·I·DQ· || S·F·S·F·L] *sic in aere emendatum est, fuit ibi* S·F·F·F·L || 14 OBI·ERIT || is pro se vicarium .... dato: ni ita dederit] *scribendum fuit* nec pro se vicarium .... dederit || 15 decreto] *B*: *om.* || 16 HS CCIↃↃ || 17 qui] CVI || 20 praef(ectus)] PRAEF QVI

Tab. I
erit, is de loco publico neve pro loco publico neve | ab redemp- 1, 22
tor[e] mancipe praed(e)ve donum munus mercedem | aliutve quid 23
kapito neve accipito neve facito, quo | quid ex ea re at se suo- 24
rumve quem perveniat. Qui at|versus ea fecerit, is (sestertium 25
XX milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) Iul(iae) d(are) d(am-
nas) e(sto), eius|que pecuniae [q]ui volet petitio persecutioque 26
esto.

Ne quis in hac colon(ia) ius dicito neve cuius in ea colon(ia) | iuris 27. 28
XCIIII dictio esto nisi IIvir(i) aut quem IIvi[r] praef(ectum) | reliquerit 29
aut aedil(is), uti h(ac) l(ege) o(portebit). Neve quis pro eo | im- 30
per(io) potestat(e)ve facito, quo quis in ea colonia | ius dicat, 31
nisi quem ex h(ac) l(ege) dicere oportebit.

Qui reciperatores dati erunt, si eo die quo iussi erunt | non iudicabunt, 32. 33
XCV IIvir praef(ectus)ve ubi e(a) r(es) a(gitur) eos rec(iperatores) |
eumque cuius res a(gitur) adesse iubeto diemque cer||tum dicito, 34. 2, 1
quo die atsint, usque ateo, dum e(a) r(es) | iudicata erit, facito- 2
que, uti e(a) r(es) in diebus XX | proxumis, quibus d(e) e(a) 3
r(e) rec(iperatores) dati iussive e|runt iudicare, iudic(etur), u(ti) 4
q(uod) r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet). Testibusque | in eam 5
rem publice dum taxat h(ominibus) XX, qui colon(i) | incolaeve 6
erunt, quibus [i]s qui rem quaere|[t] volet, denuntietur facito. 7
Quibusq(ue) ita tes|timonium [d]enuntiatum erit quique in tes|- 8
timonio dicendo nominati erunt, curato, | uti at it iudicium at- 9. 10
sint. Testimoniumq(ue), | si quis quit earum rer(um), quae res 11
tum age|tur, sciet aut audierit, iuratus dicat faci|to, uti q(uod) 12. 13
r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet), dum ne omnino amplius | h(omi- 14
nes) XX in iudicia singula testimonium dice|re cogantur. Neve 15
quem invitum testimo|nium dicere cogito, [q]ui ei, [cuia] r(es) 16
tum age|tur, gener socer, vitricus privignus, patron(us) | lib(er- 17. 18
tus), consobrinus [sit] propiusve eum ea cogna|tione atfinitat[e]ve 19
contingat. Si IIvir | praef(ectus)ve, qui e[x] re colon(iae) pe- 20
tet, non ade|rit ob eam rem, quot ei morbus sonticus, | vadi- 21. 22
monium, iudicium, sacrificium, funus | familiare feriaeve de[n]i- 23
cales erunt, quo | minus adesse possit, sive is propter magistra|- 24
tus potestatemve p(opuli) R(omani) minus atesse poterit: | quo 25. 26
magis eo absente de eo cui [i]s negotium | facesset recip(era- 27

1, 22 REDEMPTORI || 25 HS CCIↃↃ CCIↃↃ || 26 qui] CVI || VOIET || 28 IIvir] *B*: IIVIRI || 29 eo] *fortasse* quo || 33 PRAEIVE || **2**, 5 taxat] *sic aes* || 6 is] HIS || quaeret] QVAERE|RE || 8 denuntiatum] RENVNTIATVM || 16 qui ei cuia] CVI·EI·QVAE; *cf. Cicero Verr. l.* 1, 54, 142: ut optima condicione sit is, cuia res est || 18 sit] *B*: *om.* || 19 atfinitateve] *B*: ATFINITATEMVE || 20 ex re] *Dernburg*: EA RE || 21 *post* non aderit *talia videntur excidisse*: cum de ea re iudicium fieri oportebit, eo absente de eo cui is negotium facesset reciperatores sortiuntor reiciuntor res iudicator: si non aderit || 23 denicales] *B*: DEDICALES || 26 is] IIS

T
tores) sortiantur reiciantur res iu|dicetur, ex h(ac) l(ege) n(ihil) 2,
r(ogatur). Si privatus petet et is, cum | de ea re iudicium fieri
oportebit, non aderit | neque arbitratu IIvir(i) praef(ecti)ve ubi
e(a) r(es) a(getur) excu|sabitur e[i] harum quam causam esse,
quo minus | atesse possit, morbum sonticum, vadimonium, | iudi- 32.
cium, sacrificium, funus familiare, feria[s] | de[n]icales eumve
propter mag(istratus) potestatemve | p(opuli) R(omani) atesse
non poss[e]: post ei earum [rerum, quarum] | h(ac) l(ege) quaes-
tio erit, actio ne esto. Deq(ue) e(a) r(e) siremps || lex resque 3,
esto, qu[a]s[i] si neque iudices [d]electi neq(ue) recip(eratores) |
in eam rem dati essent.

Si quis decurio eius colon(iae) ab IIvir(o) praef(ecto)ve postulabit, |
XCVI uti ad decuriones referatur, de pecunia publica de|que multis 4
poenisque deque locis agris aedificis | publicis quo facto qu[a]eri
iudicarive oporteat: tum | IIvi[r] qui[v]e iuri dicundo praerit d(e)
e(a) r(e) primo | quoque die decuriones consulito decurionum|-
que consultum facito fiat, cum non minus m(aior) p(ars) | decu- 9.
rionum atsit, cum ea re[s] consuletur. Uti m(aior) p(ars) | de-
curionum, qui tum aderint, censuer(int), ita ius | ratumque esto.

Ne quis IIvir neve quis pro potestate in ea colon(ia) | facito neve 13.
XCVII ad decur(iones) referto neve d(ecurionum) d(ecretum) facito | fiat,
quo quis colon(is) colon(iae) patron(us) sit atoptetur|ve praeter
eum [c]u[i] c(olonis) a(grorum) d(andorum) a(tsignandorum) i(us)
ex lege Iulia est eum|que qui eam colon(iam) deduxerit liberos
posteros[q]ue | eorum, nisi de m(aioris) p(artis) decurion(um)
[qui tum ad]erunt per tabellam | sententi[a], cum non minus L
aderunt, cum e(a) r(es) | consuletur. Qui atversus ea [f]ecerit,
(sestertium V milia) colon(is) | eius colon(iae) d(are) d(amnas)
esto, eiusque pecuniae colon(orum) eius | colon(iae) [q]ui volet
petitio esto.

Quamcumque munitionem decuriones huius|ce coloniae decreverint, si 23.
XCVIII m(aior) p(ars) decurionum | atfuerit, cum e(a) r(es) consuletur,
eam munitionem | fieri liceto, dum ne amplius in annos sin-
g(ulos) in|que homines singulos puberes operas quinas et | in 27.

2, 31 ei] ET || 33 ferias] FERIAE || 34 denicales] *B*: DEDICALES || 35 posse] POSSIT || rerum quarum] QVARVM R·R || 36 SI·REMPS || **3**, 1 quasi] QVOS || delecti] RELECTI || 3 IIvir] *sic aes corr. ex* IIIVIR || 4 VII || 6 facto] *sic aes idque retinendum esse admonuit Buecheler*: pacto *Huschkius* || quaeri] QVERI || 7 IIvir] *B*: IIVIRI || quive] QVIQVE || 10 CVM *in ipso aere inter versus suppletum est* || res] RE: *ubi in hac lege formula redit* 3, 19. 25. 6, 19. 34, *hoc vocabulum non est perscriptum: in epistula de Bacch. v. 7. 9 est* quom ea res cosoleretur *similiterque in lege Iulia municipali v. 150 et alibi* || 16 cui] QVE || 17 posterosque] POSTEROSVE || 18 qui tum aderunt] *B*: ERVNT || 19 sententia] *B*: SENTENTIAM || 20 IECERIT || HS IↃↃ || 22 qui] CVI || 24 *post* M·P· *in aere erasae sunt litterae duae, fortasse* D·D

Tab. I
iumenta plaustraria iuga sing(ula) operas ter|nas decernant. 3, 29
Eique munitioni aed(iles) qui tum | erunt ex d(ecurionum) d(e- 30
creto) praesunto. Uti decurion(es) censu|erint, ita muniendum 31
curanto, dum ne in|vito eius opera exigatur, qui minor anno- 32
r(um) XIIII | aut maior annor(um) LX natus erit. Qui in ea 33
colon(ia) | intrave eius colon(iae) fines domicilium praedi|umve 34. 35
habebit neque eius colon(iae) colon(us) erit, is ei|dem munitioni 36
uti colon(us) par[e]to.

Quae aquae publicae in oppido colon(iae) Gen(etivae) || adducentur, 37. II. 4, 1
XCVIIII IIvir, qui tum erunt, ad decuriones, | cum duae partes aderunt, 2
referto, per quos agros | aquam ducere liceat. Qua p[ar]s maior 3
decurion(um), | qui tum aderunt, duci decreverint, dum ne | per 4. 5
it aedificium, quot non eius rei causa factum | sit, aqua duca- 6
tur, per eos agros aquam ducere | i(us) p(otestas)que esto, neve 7
quis facito, quo minus ita | aqua ducatur. 8

Si quis colon(us) aquam in privatum caducam du|cere volet isque 9. 10
C at IIvir(um) adierit postulabit|[q]ue, uti ad decurion(es) referat, 11
tum is IIvir, a quo | ita postulatum erit, ad decuriones, cum 12
non mi|nus XXXX aderunt, referto. Si decuriones m(aior) p(ars), 13
qui | tum atfuerint, aquam caducam in privatum duci | censue- 14. 15
rint, ita ea aqua utatur, quot sine priva|t[i] iniuria fiat, i(us) 16
potest(as)que e(sto).

Quicumque comitia magistrat[ib]us creandis subrogan|dis habebit, is 17. 18
CI ne qu[em] eis comitis pro tribu acci|pito neve renuntiato neve 19
renuntiari iubeto, | qui [in] e[a]rum qu[a] causa erit, [e] qu[a] eum 20
h(ac) l(ege) in colon(ia) | decurionem nominari creari inve de- 21
curionibus | esse non oporteat non liceat. 22

IIvir qui h(ac) l(ege) quaeret iud(icium)[ve] exercebit, quod iudi- 23
CII cium | uti uno die fiat h(ac) l(ege) praestitu[tu]m non est, ne 24
quis | eorum ante h(oram) I neve post horam XI diei quae- 25
rito | neve iudicium exerceto. Isque IIvir in singul(os) | accu- 26. 27
satores, qui eorum delator erit, ei h(oras) IIII, qui | subscriptor 28
erit, h(oras) II accusandi potest(atem) facito. Si | quis accusator 29
de suo tempore alteri concesserit, | quot eius cuique concessum 30
erit, eo amplius cui | concessum erit dicendi potest(atem) facito. 31
Qui de suo | tempore alteri concesserit, quot eius cuique con- 32
ces|serit, eo minus ei dicendi potest(atem) facito. Quot horas | 33

3, 34 FINIS || 36 pareto] PARENTO || **4**, 1—8 *proponuntur in tabula* || 3 pars] *B*: PR\S (*sic*): *fuit* PRAS || 11 que] *B*: VE || 12 C\M || 15 EA *in ipso aere inter versus suppletum est* || utatur] *sic aes* || 16 priva|ti] PRIVA|TIM || 17 magistratibus] *B*: MACISTRATVS || 18 quem] QVA || 19 renuntiari] *sic aes corr. ex* DENVNTIARI || 20 in earum qua] *sic fere B ex legis Malacitanae c. LIIII*: EORVM QVAE || e qua eum] QVAE EVM *aes*, QVAE TVM *B legit restituens* qua tum: propter quam eum *lex Malac. l. c.* || 23 ve] *om.* || 24 praestitutum] *B*: PRAESTITVM

Tı
omnino omnib(us) accusatorib(us) in sing(ulas) actiones di|cendi 4,
potest(atem) fieri oporteb(it), totidem horas et alte|rum tantum
reo quive pro eo dicet in sing(ulas) actiones || dicendi potest(a- 5
tem) facito.

Quicumque in col(onia) Genet(iva) IIvir praef(ectus)ve i(ure) d(icundo)
CIII praerit, [eum] colon(os) | incolasque contributos quocumque tempore colon(iae) fin(ium) | [tu]endorum causa armatos educere decurion(es) cen(suerint), | quot m(aior) p(ars) qui tum aderunt decreverint, id e(i) s(ine) f(raude) s(ua) f(acere) l(iceto). [Ei]|que IIvir(o) aut [q]uem IIvir armatis praefecerit idem | ius eademque anim[a]dversio esto, uti tr(ibuno) mil(itum) p(opuli) R(omani) in | exercitu p(opuli) R(omani) est, itque e(i) s(ine) f(raude) s(ua) f(acere) l(iceto) i(us) p(otestas)que e(sto), dum it, quot | m(aior) p(ars) decurionum decreverit qui tum aderunt, fiat.

Qui limites decumaniqu[e] intra fines c(oloniae) G(enetivae) deducti
CIIII facti|que erunt, quaecumq(ue) fossae limitales in eo agro erunt, | qui iussu C. Caesaris dict(atoris) imp(eratoris) et lege Antonia senat(us)que | c(onsultis) pl(ebi)que sc(itis) ager datus atsignatus erit, ne quis limites | decumanosque opsaeptos neve quit immolitum neve | quit ibi opsaeptum habeto, neve eos arato, neve eis fossas | opturato neve opsaepito, quo minus suo itinere aqua |
ire fluere possit. Si quis atversus ea quit fecerit, is in | res sin- 17.
g(ulas), quotienscumq(ue) fecerit, (sestertios mille) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) esto | eiusq(ue) pecun(iae) [q]ui volet petitio p(ersecutio)q(ue) esto.

5, 2 eum] Is: *malim* quocumque tempore eum colonos incolasque contributosque || 3 contributos] contributosque *Huschkius probabiliter* || 4 tuendorum] *sic aut* defendendorum *scr.*: DIVIDENDORVM || 5 eique] ISQVE || 6 quem] *B*: OVEM || 7 animadversio] ANIMA·ADVERSIO || MII || 10 DECVMANI·QVI || FACII || 13 ACER || 15 eis] *aes cum Arcer.*, eas *Guelf.* || AS *in* FOSSAS *contignatae* || 17 POSSIT] T *videtur postea adiecta esse* || 18 ~~HS~~ ∞ || CCC || 19 qui] CVI

LEGIS MAMILIAE ROSCIAE PEDVCAEAE ALLIENAE FABIAE C. LIIII (p. 262 Lachm.)

Qui limites decumanique hac lege deducti | erunt, quaecumque 10.
fossae limites[1]) in eo agro erunt, | qui | ager hac lege[2]) datus 12.
adsignatus erit, ne quis eos limites | decumanosve[3]) obsaeptos neve quid in eis[4]) molitum neve | quid ibi oppositum[5]) habeto, neve eos arato, neve eis fossas | opturato neve qui saepito[6]), quo minus suo itinere aqua | ire fluere possit. Si quis adversus ea quid fecerit,[7]) in | res singulas, quotienscumque fecerit, VIII·S[8]) colonis municipibusve eis, in quorum agro id factum erit, dare damnas esto, |[9]) pecuniae qui volet petitio hac lege esto.

[1]) *scr.* limitales [2]) *sic G(uelf.)*, cum *ins. A(rcer).* [3]) *scr.* decumanosque [4]) eis *del.* [5]) *scr.* opsaeptum [6]) *scr.* neve opsaepito [7]) *ins.* is [8]) *sic A*, ~~SS~~ IIII *G*, *scr.* ~~HS~~ ∞ [9]) eiusque *ins.*

Tab. II

Si quis quem decurion(um) indignum loci aut ordinis de|curionatus 5, 20. 21
CV esse dicet, praeterquam quot libertinus | erit, et ab IIvir(o) 22
postulabitur, uti de ea re iudici|um reddatur, IIvir, quo de ea 23
re in ius aditum erit, | ius dicito iudiciaque reddito. Isque de- 24
curio, | qui iudicio condemnatus erit, postea decurio | ne esto 25. 26
neve in decurionibus sententiam dici|to neve IIvir(atum) neve 27
aedilitatem petito neve | quis IIvir comitis suffragio eius ratio- 28
nem | habeto neve IIvir(um) neve aedilem renunti|ato neve re- 29. 30
nuntiari sinito.

Quicumque c(olonus) c(oloniae) G(enetivae) erit, quae iussu C. Cae- 31
CVI saris dict(atoris) ded(ucta) | est, ne que[m] in ea col(onia) coe- 32
tum conventum coniu|[*rationem* 33

(*desunt c. CVI finis, CVII—CXXII tota, CXXIII principium*)

IIvir ad quem de ea re in ius aditum erit, ubi iudicibus, apud quos
[CXXIII] *ea res agetur, maiori parti eorum planum factum non erit eum*
de quo iudicium datum est decurionis loco indignum esse, eum] Tab. III
qui accusabitur ab his iudicibus eo iudicio absolvi | iubeto. Qui 6, 1. 2
ita absolutus erit, quod iudicium [pr]aevari|cation(is) causa f[ac]- 3
tum non sit, is eo iudicio h(ac) l(ege) absolutus esto.

Si quis decurio c(oloniae) G(enetivae) decurionem c(oloniae) G(ene- 4
CXXIIII tivae) h(ac) l(ege) de indignitate ac|cusabit, eum[que] quem accu- 5
sabit eo iudicio h(ac) l(ege) condemna|rit, is qui quem eo iudicio 6
ex h(ac) l(ege) condemnarit, si volet | in eius locum qui con- 7
demnatus erit sententiam dice|re, ex h(ac) l(ege) liceto itque eum 8
s(ine) f(raude) s(ua) iure lege recteq(ue) fa|cere liceto, eiusque is 9
locus in decurionibus sen|tentiae dicendae rogandae h(ac) l(ege) 10
esto.

Quicumque locus ludis decurionibus datus [at]signatus | relictusve 11. 12
CXXV erit, ex quo loco decuriones ludos spectare | o(portebit), ne 13
quis in eo loco, nisi qui tum decurio c(oloniae) G(enetivae) erit
qui|ve tum magist[r]atus imperium potestatemve colono[r(um)] | 14
suffragio geret iussuque C. Caesaris dict(atoris) co(n)s(ulis) prove | 15
co(n)s(ule) habebit, quive pro quo imperio potestateve tum | in 16. 17
col(onia) Gen(etiva) erit, quibusque loc[o]s in decurionum loco |
ex d(ecreto) d(ecurionum) col(oniae) Gen(etivae) d(ari) o(por- 18
tebit), quod decuriones de[c]r(everint), cum non minus | dimidia 19
pars decurionum adfuerit cum e(a) r(es) consulta erit, | Ne quis 20

5, 26 ne] NI || 27 petito] *sic aes corr. ex* PETITIO || 31 DICI || 32 ne quem] NEQVE || 6, 1—3 *proponuntur in tabula* || 3 IVDICIVM \EVARI *aes, ut quadratarius elementa* PR/ *in exemplari dignoscere non potuisse videatur* || 3 factum] *B*: FQITVM || 5 que] *B a me monitus: om.* || 8 fin. fa] *aes corr. ex* M || 11 atsignatus] DESIGNATVS || 13 eo] IO || 14 TVM || MAGIST.ATVS || COLONOS *aes, sed fortasse ex* S *factum* R || 16 TVM || 17 locos] *Buecheler*: LOCVS || 18 DECVRIONIS || decr] *B*: DER

Ta

praeter eos, qui s(upra) s(cripti) s(unt), qui locus decurionibus da|tus atsignatus relictusve erit, in eo loco sedeto neve | quis 6,
alium in ea loca sessum ducito neve sessum [d]uci | iubeto s[c](iens) d(olo) m(alo). Si quis adversu[s] ea sederit sc(iens) d(olo) m(alo) [siv]e |..quis atversus ea sessum duxerit ducive iusserit sc(iens) d(olo) malo, | is in res sing(ulas), quotienscumque quit d(e) e(a) r(e) atv[er]sus ea | fecerit, (sestertium V milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) esto, eiusque pecunia[e q]ui eorum | volet rec(iperatorio) iudicio aput IIvir(um) praef(ectum)ve actio petitio perse|cutio ex [h(ac) l(ege)] i(us) potest(as)que e(sto).

IIvir, aed(ilis), praef(ectus) quicumque c(oloniae) G(enetivae) I(uliae)
CXXVI ludos scaenicos faciet, si|ve quis alius c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) ludos scaenicos faciet, colonos Geneti|vos incolasque hospites[que] atventoresque ita sessum du|cito, ita locum dato distribuito atsignato, uti d(e) e(a) r(e) de | eo loco dando atsignando decuriones, cum non min(us) | L decuriones, cum e(a) r(es) c(onsuletur), in decurionibus adfuerint, | decreverint statuerint s(ine) d(olo) m(alo). Quot ita ab decurionib(us) | de loco dando atsignando statu[tum] decretum erit, | it h(ac) l(ege) i(us) r(atum)q(ue) esto. Neve is qui ludos faciet aliter aliove |
modo sessum ducito neve duci iubeto neve locum dato | ne[ve] 38
dari iubeto neve locum attribuito neve attribui | iubeto neve locum atsignato neve atsignari iubeto ne|ve quit facito, qu[o] aliter aliove modo, adque uti | locus datus atsignatus attributusve erit, sedeant, ne|ve facito, quo quis alieno loco sedeat, sc(iens) d(olo) m(alo). Qui atver|sus ea fecerit, is in res singulas, quotien[sc]umque quit | atversus ea fecerit, (sestertium V milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) e(sto) eiu[squ]e pecuni|ae [q]ui volet rec(iperatorio) iudicio aput IIvir(um) praef(ectum)ve actio pe|titio persecutioque h(ac) l(ege) ius potestasque esto.

Quicumque ludi scaenici c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) fient, ne quis
CXXVII in or||chestr[a] ludorum spectandor(um) causa praeter mag(istra- 7
tus) | prove mag(istratu) p(opuli) R(omani) quive i(ure) d(icundo) p(raerit) [e]t si quis senator p(opuli) R(omani) est erit | fuerit et si quis senatoris f(ilius) p(opuli) R(omani) est erit

6, 23 sciens dolo malo] S·D·M || adversus] *B*: ADVERSVSVE || 25 ATVIESVS || 26 HS IↃↃ || pecuniae qui] PECVNIA //VI || 31 hospitesque] HOSPITES || 36 statutum] STATVENDO: attribuendo statutum *Hübner* || 37 i. r. q.] *perscriptum legitur 1, 12. 7, 24, item in lege Rubria* 1, 20 || 39 neve] NE || 41 quo aliter] QVOD A·L·ITER || 45 HS IↃↃ || 46 qui] CVI || AIVT || petitio] IE|TITIO || 48 *extr. vacat* || **7,** 1 ORCHESTRAM

Tab. III
fuerit et si | quis praef(ectus) fabrum eius mag(istratus) prove 7, 4
magistrat[u], | qui provinc(iarum) Hispaniar(um) ulteriorem Bae- 5
ticae pra|erit optinebit, er[i]t et quos ex h(ac) l(ege) decurio- 6
n(um) loco | decurionem sedere oportet oportebit, Praeter eos | 7
qui s(upra) s(cripti) s(unt) ne quis in orchestr[a] ludorum spec- 8
tan|dorum causa sedeto neve quisque mag(istratus) prove mag(i- 9
stratu) | p(opuli) R(omani) q(ui) i(ure) d(icundo) p(raerit) ducito 10
neve quem quis sessum ducito | neve in eo loco sedere sinito, 11
uti q(uod) r(ecte) f(actum) e(sse) [v(olet)] s(ine) d(olo) m(alo).
IÏ(vir) aed(ilis) pra[e]f(ectus) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) quicum- 12
CXXVIII que erit, is suo quoque anno mag(istratu) | imperioq(ue) facito 13
curato, quod eius fieri poterit, | u(ti) q(uod) r(ecte) f(actum) 14
e(sse) v(olet) s(ine) d(olo) m(alo), mag(istri) ad fana templa
delubra, que[m] | ad modum decuriones censuerin[t], suo qu[o]|- 15
que anno fiant e[i]qu[e] d(ecurionum) d(ecreto) suo quoque anno | 16
ludos circenses, sacr[i]ficia, pulvinariaque | facienda curent, que[m] 17. 18
ad modum quitquit de iis | rebus mag(istris) creandis, [lu]dis 19
circensibus facien|dis, sacrificiis procu[r]andis, pulvinaribus fa|- 20
ciendis decuriones statuerint decreverint, | ea omnia ita fiant. 21. 22
Deque iis omnibus rebus | quae s(upra) s(criptae) s(unt) quot- 23
cumque decuriones statuerint | decreverint, it ius ratumque esto, 24
eiq(ue) omnes, | at quos ea res pertinebit, quot quemque eorum | 25
ex h(ac) l(ege) facere oportebit, faciunto s(ine) d(olo) m(alo). 26
Si quis | atversus ea [f]ecerit, quotiens[cum]que quit atver|sus 27. 28
ea fecerit, (sestertium X milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae)
I(uliae) d(are) d(amnas) e(sto) eiusque pecun(iae) | [q]ui eorum 29
volet rec(iperatorio) iudic(io) aput IIvir(um) | praef(ectum)[ve] 30
actio petitio persecutioq(ue) e(x) h(ac) l(ege) | ius pot(estas) esto. 31
IIvir(i) aediles praef(ectus) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) quicum- 32
CXXIX qu[e] erunt decurionesq(ue) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) qui|-

7, 4 magistratu] MAGISTRATO || 6 OPTINEBIT *aes*, OBTINEBIT *B* || erit] *B* (*add.*): ERVNT || 8 ORCHESTRAM || 10 *post* I·D·P· *spatium vacat* || 11 volet] *B*: *om.* || *excidisse clausulam de iudicio vidit B* || 12 PRAF || 12. 15. 16 suo quoque anno *dictum ut* sui quoiusque anni *in legis Iuliae municipalis v.* 92. 101: *cf. Lachmann ad Lucretium* 2, 371, *Madvig ad Ciceronem de fin.* 5, 17, 46 || 14 V·O·R·F·I·V || quem] QVE || 15 T *in* CENSVERINT *deest in spatio vacuo* || 15. 16 quo|que] QVEMQVE || 16 eique] EAQV/ || 18 quem ad] QVE/D (*fuit* QVEAD) || *fortasse non ea sola insiticia sunt quae expunxi* quitquit *et* ea omnia ita fiant, *sed totum comma* quem ad modum — 23 fiant || 27 IECERIT || quotienscumque] *Buecheler* (cf. 5, 18. 6, 25. 44. 7, 49. 8, 11): QVOTIENSQVE || 28 HS CCIↃↃ || 29 qui] CVI || 29 *fin.* 30 *in. spatium vacat in aere: scilicet omisit is qui primum tabulam inscripsit spatio vacuo relicto ea omnia quae deinde litteris minoribus 7, 31—8, 13 quadratarius alius explevit* || 30 ve] *B*: *om.* || 32—38 *proponuntur in tabula* || 32 QVICVMQVERVNT

cumq[u]e erunt, ei omnes d(ecurionum) d(ecretis) diligenter parento optemperanto s(ine) d(olo) m(alo) fa|ciuntoque uti quot [que]mq(ue) eor(um) decurionum d(ecreto) agere facere o(portebit) ea om|nia agant faciant, u(ti) q(uod) r(ecte) f(actum) e(sse) v(olet) s(ine) d(olo) m(alo). Si quis ita non fecerit sive quit atver|su[s] ea fecerit sc(iens) d(olo) m(alo), is in res sing(ulas sestertium X milia) [c(olonis)] c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) e(sto), eiusque pecuniae [q]ui | eor(um) volet rec(iperatorio) iudic(io) aput IIvir(um) praef(ectum)ve actio petitio persecutioque ex h(ac) l(ege) | ius potestasque e(sto).

Ne quis IIvir aed(ilis) praef(ectus) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae)
CXXX quicunque erit ad decurion(es) c(oloniae) G(enetivae) [r]eferto neve decurion(es) | consulito neve d(ecretum) d(ecurionum) facito neve d(e) e(a) r(e) in tabulas p(ublicas) referto neve referri iubeto | neve quis decur(io) d(e) e(a) r(e), q(ua) d(e) r(e) a(getur), in decurionib(us) sententiam dicito neve d(ecretum) d(ecurionum) scri|bito, neve in tabulas pu[b]licas referto, neve referundum curato, quo quis | senator senatorisve f(ilius) p(opuli) R(omani) c(oloniae) G(enetivae) patronus atoptetur sumatur fiat nisi de tri|um partium [d(ecurionum)] senten[t(ia)] per tabellam facito et nisi de eo homine, de quo | tum referetur consuletu[r, d(ecretum)] d(ecurionum) fiat, qui, cum e(a) r(es) a(getur), in Itali[a] sine impe[r]io privatus | erit. Si quis adversus ea ad [dec]urion(es) rettulerit d(ecurionum)ve d(ecretum) fecerit faciendumv[e] | curaverit inve tabulas p[ublicas] rettulerit referrive iusserit sive quis in decurionib(us) | sententiam di[x]erit d(ecurionum)ve [d(ecretum) scrips]erit in[ve] tabulas publicas rettulerit referendumve | curaverit, in res sing(ulas) quo[tienscu]mque quit atversus ea fecerit, [is] s(estertium C milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) | d(are) d(amnas) e(sto), eiusque pecuniae [q]ui [eor(um) vole]t rec(iperatorio) iudic(io) aput IIvir(um) interregem praef(ectum) actio | petitio persecutioqu[e ex h(ac) l(ege) i(us) pot]est(as)que e(sto).

Neve quis IIvir aed(ilis) praef(ectus) [c(oloniae) G(enetivae) I(uliae)
CXXXI quicu]mque erit ad decuriones c(oloniae) G(enetivae) referto neve

7, 33 QVICVMQE || ei] *sic potius quam* I·I *aes* || 34 quemque] CNMQ (*sic*) || 35 IACIANT || 36 *in.* sus] SVC || HS CCIↃↃ || c(olonis) *om.* || pecuniae] *sic aes corr. ex* VECVNIAE || qui] CVI || 39 AD DICVRION || PEFERTO || 43 c(oloniae) G(enetivae)] CC || 44 decurionum sententia] D·D·SENTEN// || 45 referre consulere decurionum decretum facere *cum supra v. 39 iuxta ponantur, hic quoque interpolatio grassata est*; *potest fuisse* et nisi de eo homine tum referatur consulatur d. d. fiat || ITALIAM || IMPEEIO || 46 *extrema littera deest spatio vacuo relicto* || 48 inve] IN || 49 is sestertium C milia] /X HS CCCIↃↃↃ || 50 qui] CVI || AIVT

Tab. III
d(ecuriones) con||sulito neve d(ecretum) d(ecurionum) facito neve 8, 1
d(e) e(a) r(e) in tabulas publicas referto neve referri iubeto |
neve quis decurio d(e) e(a) r(e) in decurionib(us) sententiam 2
dicito neve d(ecretum) d(ecurionum) scribito ne|ve in tabulas 3
publicas referto neve referundum curato, quo quis senator | se- 4
natori[s]ve f(ilius) p(opuli) R(omani) c(oloniae) G(enetivae) I(u-
liae) hospes atoptetur, hospitium tesser[a]ve hospitalis cum |
quo fi[at, n]isi de maio[r]is p(artis) decurionum sententia per 5
tabellam facito et nisi | de eo [h]omine, de quo tum referetur 6
consuletur, d(ecretum) d(ecurionum) fiet, qui, cum e(a) r(es)
a(getur), in Itali[a] | sine imperio privatus erit. Si quis ad- 7
versus ea ad decuriones rettulerit d(ecretum)ve | d(ecurionum) 8
fe[c]erit faciendumve curaverit inve tabulas publicas rettulerit
re|f[e]rrive iusserit sive quis in decurionibus sententiam dixerit 9
d(ecretum)ve d(ecurionum) | scripserit in[ve] tabul(as) public(as) 10
rettulerit referendumve curaverit, | is in res sing(ulas), quo- 11
tienscumque quit adversus ea fecerit, (sestertium X milia) c(olo-
nis) c(oloniae) | G(enetivae) Iuliae d(are) d(amnas) e(sto), eius- 12
que pecuniae [q]ui eorum volet recu(peratorio) iudic(io) | aput 13
IIvir(um) pr[a]ef(ectum)ve actio petitio persecutioque h(ac) l(ege)
ius potest(as)que esto.

Ne quis in c(olonia) G(enetiva) post h(anc) l(egem) datam petitor 14
CXXXII kandidatus, | quicumque in c(olonia) G(enetiva) I(ulia) mag(i- 15
stratum) petet, [m]agistratu[s] peten|di causa in eo anno, quo 16
quisque anno petitor | kandidatus mag(istratum) petet petitu- 17
rusve erit, mag(istratus) pe|tendi convivia facito neve at cenam 18
que[m] | vocato neve convivium habeto neve facito sc(iens) d(olo) 19
m(alo), | quo qui[s] suae petitionis causa convi[vi]um habeat | 20
ad cenamve que[m] vocet, praeter dum quod ip|se kandidatus 21. 22
petitor in eo anno, [quo] mag(istratum) petat, | vocar[it] dum 23
taxat [in] dies sing(ulos) h(ominum) VIIII convi[vi]um | habeto, 24
si volet, s(ine) d(olo) m(alo). Neve quis petitor kandidatus |
donum munus aliudve quit det largiatur peti|tionis causa sc(iens) 25. 26
d(olo) m(alo). Neve quis alterius petitionis | causa convivia fa- 27
cito neve quem ad cenam voca|to neve convivium habeto, neve 28
quis alterius pe|titionis causa cui quit [don]um munus aliutve 29

8, 3 SINATOR || 4 TESSERASVE HOSPIIΛIIS || 5 MAIOSIS || IACITO || 6 fiet] IIIT *aes*, IIAI *B* || ITALIAM || 8 ΛITTVTIRIT || 10 inve] IN || *in fine versus post* CVRAVERIT *est* λ || 11 cumque quit] CVMOVEOVIT || HS CCIƆƆ || 12 C IVLIAE || qui] CVI || 12 *fin. spatium vacat in aere* || 13 praefectusve] PREFVE (*sic*) || 17 magistratus] /AGISTRATVSVE || 18 quem] QVEMVE || 20 quis] QVIT || convivium] *B*: CONVIVM || 21 quem] QVEMVE || 22 quo] *B*: *om.* || 23 dum taxat in] DVM TAXAT /I/ *aes*, DVM AM//// *B*, *restituens* dum amplius || convivium] *B*: CONVIVM || 25 *post* det *ins.* donet *Hübner* || 29 donum] O//VM

quid | dato donato largito sc(iens) d(olo) m(alo). Si quis atversus ea | fecerit, (sestertium V milia) c(olonis) c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) d(are) d(amnas) e(sto), eiusque pecuniae [q]ui eor(um) | volet rec(uperatorio) iudic(io) aput IIvir(um) praef(ectum)[ve] actio petitio per|sec(utio)que ex h(ac) l(ege) i(us) potest(as)que esto.

Qui col(oni) Gen(etivi) Iul(ienses) h(ac) l(ege) sunt erunt, eorum
CXXXIII omnium uxo|res, quae in c(olonia) G(enetiva) I(ulia) h(ac) l(ege) sunt, eae mulieres legibus c(oloniae) G(enetivae) I(uliae) vi|rique parento iuraque ex h(ac) l(ege), quaecumque in | hac lege scripta sunt, omnium rerum ex h(ac) l(ege) haben|to s(ine) d(olo) m(alo).

Ne quis IIvir aedil(is) praefectus c(oloniae) G(enetivae), quicumque
CXXXIV erit, post | h(anc) l(egem) ad decuriones c(oloniae) G(enetivae) referto neve decuriones consu|lito neve d(ecretum) d(ecurionum) facito neve d(e) e(a) r(e) in tabulas publicas re|ferto neve referri iubeto neve quis decurio, cum e(a) | r(es) a(getur), in decurionibus sententiam dicito neve d(ecretum) d(ecurionum) | scribito neve in tabulas publicas referto nev[e re]|ferundum curato, quo cui pecunia publica a[liutve] | quid honoris habendi causa munerisve d[andi pol]|licendi [prove] statua danda ponenda detur do[*netur* . . . .
. . . .

8, 29 QVD || 30 dato] DXTO || LARCITO || 31 ~~HS~~ IↃↃ || CCC || qui] CVI || 32 ve] *B*: *om.* || 35 MVLIERIS || 40 NIVE || 41 NIVE || 47 prove *om.*

TH. MOMMSEN.

AD AES ITALICENSE (p. 149).

Quas ego in ectypo a Berlanga misso distinguere mihi visus sum litteras 2 in. G, 3 in. I, 4 in. I, eas in aere non apparere idem nuper monuit.

AEM. HÜBNER.

ADDITAMENTA
AD TITVLOS HISPANOS.

---

301 (ins. post n. 1). Basis magna rep. a. 1873 prope Ossonobam (*Faro*), fissura quae mediam secat male habita.

	OL
	ELICI
VI	NSI◇
AM	ETĪĪ
VIR	SSON
OB	AREIVS
A·M	ARIVS
LAFI	ƆPTATVS
A	ᛌSCOMA
	XIV
	ELICIORI
	ƎMEREN
	TPIENTIS
SIMO	DD

Soromenho misit imaginem delineatam accurate, sed non perite. Dum ectypum aut melius exemplum expecto, interim ita lego et restituo:

[C. Iuli]o L. | *[f. Quir. F]elici*|*[ori] Vi[vatie]nsi,* | *fl]am[ini] et II* | *vir[o O]sson*|*ob(ensi) L. V]areius* | *[S]am[i]arius* (?) | *L. Ael(ius) Optatus* | *[C.] A[ciliu]s Coma*|*[tus L. A]xiu[s]* | *[Tiro C. Iul(io) F]eliciori* | *[amico ben]emeren*|*tissimo e]t pientis*|*simo d(onum) d(ant)*

Nomina pleraque tam hominum quam oppidi, quod memoratur v. 3, posui exempli causa.

302 (ins. post n. 14). Prope *Castromarim* (*Algarve*), ubi Esurim sitam fuisse probabile est. Tabula lapidea magna litteris bonis.

QVINTIA · PALVSTRI · F
ANNOR · XX · H · S · E
STATVA VIBIVS · PROCVS
ET · TVSCILLA · VXSOR · D · S · P

Soromenho misit descriptam ex ectypo, adnotans v. 1 quadratarium primum P dedisse, deinde correxisse in F.

Quintia Palustri f(ilia) annor(um) XX h(ic) s(ita) e(st). Statua(m) Vibius Proclus et Tuscilla uxsor d(e) s(uo) p(osuerunt)

Statuae in sepulcris raro mentio fit; puto indicari protomen, quae Latine proprie dici nequit. A matre fortasse filia nomen gentis duxit. *Paluster* nomen alibi nondum legi; cf. *Fanester* n. 320.

---

303 (ins. post n. 93). Reperta duobus a Cuba cilometris, in via Ebora Pacem, *n'uma herdade do visconde da Esperança denominada Mezão Frio.*

IVLIA · Q · F · QVIN
TILLA · EBORENSIS
ANNORVM · XXXXII
H · S · E · S · T · T · L
Q · P · MAcER · MATR

Soromenho misit. T ubique ita scribitur in eius exemplo r. Praeterea v. 5 traditur MArER; correxi MACER. Nam legendum fere *Q. P(ompeius) Macer matri.*

---

304 (ins. post n. 267). Mafrae prope Olisiponem rep. a. 1872.

ALEBA ✿ ARCONIS
F · L · IVLIO · REGVLO
MATER · PON
ENDVM
CVRAVIT

Statius da Veiga repperit, Augustus Soromenho misit.

Lege *Aleba Arconis f[ilia] L. Iulio Regulo mater ponendum curavit.* Cf. *Aleba Celti f(ilia)* in titulo Alcantarensi n. 755, quae in indice errore vir esse dicitur. Arco nomen non rarum est in Lusitania et in regionibus vicinis.

---

305. 306 (ins. post n. 364). Tituli duo reperti *no cunhal da torre N. E. do castello de Porto de Mós* (inter Olisiponem et Collipponem, prope Aljubarrotam). In *b* versibus singulis lineae subsunt.

a

D · M · S
C · A · M
CLAVDIVS
IVLIANVS
PA PIISSIMO

b

C SVLPICIO
PIILIO CIILTIF
MILITI CORTIS
LVSITANORVM
QVI OBIT CVN N...
AI IIICVNA . .

Soromenho misit descriptos ab amico non satis perito.

a *D(is) M(anibus) s(acrum) C... A... M... Claudius Iulianus pa(tri) piissimo*

b *C. Sulpicio Pelio, Celti f(ilio), militi cortis Lusitanorum, qui obit cun .....*

Titulum priorem ideo tantum adscripsi, quia dicitur eodem loco repertus esse atque alter; videtur autem esse aetatis recentioris. Tria nomina patris, si recte lecta sunt, possunt ita explicari, ut Claudius filius naturalis tantum fuerit, vel similiter.

Alter titulus memorabilis est propter cohortem Lusitanorum numero carentem, quae videtur ad Augusti fere tempora nos remandare; conveniunt nomina patris et filii peregrina. *Celtus* in Lusitania iam comparuit (II 755); item saepius *Pellus* (II 406 675* 834 853), quod hic quoque malim pro Pelio; conferantur etiam *Pellia* (II 2657) *Pellicus* (3166) **Pelliocus* (687). Deinde etiam formula, quae in fine est, *qui obit* e. q. s., inter rariores et antiquiores numeranda. Quid lateat in fine, nescio; potest cogitari de vitae annis locove mortis; sed sollemne fere, diem mortis indicari. Unde ludendo quis poterit conicere scriptum fuisse *cun(tum*; i. e. *quintum) n*[*on*]*a*[*s*] *I*[*an*(*uarias*) . *H*(*eres*) *p*]*ecun*[*i*]*a* [*sua titulum posuit*] vel similia.

---

307 (ins. post n. 1253). Carmone, reperta in domo quadam sita in oppidi parte vetustissima, quae dicitur *el arrabal* sive *el barrio*; arula parva servata Hispali apud Franciscum Mathaeum Gagos.

MATRBVS · AV
EANIABVS M
IVL GRATVS

Berlanga misit ex ectypo delineatam accurate ab eo qui servat. 1. 2 Lege *Au*[*f*]*aniabus*. V. 2 E in lapide est, sed errore quadratarii aperto.

Matronae Aufaniae ex titulis Germanicis notae (v. Brambach n. 73. 295. 405. 466. 526. 533. 546. 548) ab homine Germano videntur cultae esse in Hispania.

308—310 Ursone, unde legis Iuliae fragmenta, quae supra publici iuris facta sunt, prodierunt, nuper reperti sunt tituli tres hi, qui secuntur.

a

IO · L · F · GAL · GALLO
EFECTO · FABRO
RVFAE · AVIAE
FACI · C

L. Postum]io L. f. Gal(eria) Gallo [...., pr]aefecto fabro(rum?) [avo et Titiae] Rufae aviae [...... nepos] fa(ciendum) c(uravit)

b

T · TALENV
T · F · PVDENS
R · AN · XXXII
H · S · E · S · T · T · L

T. Talenu[s] T. f. Pudens R..... an(norum) XXX h(ic) s(itus) e(st). S(it) t(ibi) t(erra) l(evis)

c

II
AELIA APRA
TISPITANA
SACERDOS PER
PETV AIT AN
NIS XXXV MENS
V · DIES XXVIII P · I · S

...... *Aelia Apratispitana* (aut *Apra Tispitana?*) *sacerdos perpetu[a vix]it annis XXXV mens(es) V dies XXVIII p(ia) i(n) s(uos)*

Berlanga ex ectypis descripsit omnes mihique misit.

a v. 1 Tribus Ursonis Sergia fuisse credebatur propter C. I. L. II, 1404; potest etiam fuisse Galeria.

v. 2 Ante praefecti munus duoviratus fortasse aliusve magistratus municipalis mentio facta erat. Genetivus *fabro(rum)* insolenter breviatus quadratario provinciali imputandus est.

Supplementa initii et finis posui exempli gratia.

b v. 1 Taleni nomen videtur novum esse. Videndum num potius *Taienus* fuerit.

v. 3 in. R quid significet ignoro; patriam indicari suspicatus est Berlanga. Sed *Romanus* ita nusquam indicatur.

c A quadratario imperito videtur sculptus esse. Quid v. 1 lateat definiri nequit. Aratispi oppidum Baeticae notum est (II p. 282), Apratispi, si recte scriptum est, ignotum.

v. 5 Inter PETV et AIT spatium vacuum relictum esse, in quo nullam unquam litteram scriptam fuisse appareat, Berlanga testatur; supplevit idem probabiliter.

311. 312 (ins. post n. 1703). Bases duae rep. in Tucci (*Martos*). Servantur in museo Granatensi.

a

ↄMPEIAE
SENACIAN
IVLIO NIGRO SEN
ↄMPEIAE · H
5 ENACIAI

b

ITALICILLAE
N
AVIENA CALLIOPE

Berlanga misit.

a [*P*]*ompeiae* [-. *f.*] *Senacian*[*ae*], [-.] *Iulio Nigro Sen*[*aciano*], [*P*]*ompeiae H*[*adrianillae S*]*enacia*[*nae*] . . . . .

b Italicillae n(*ostrae*) *Aviena Calliope*

In titulo *a*, qui hominum videtur esse inlustris in colonia loci, ut docent cognomina duplicia, cognomen *Senaciani* bis ita perspicue scriptum novum est; expectaveris *Senecianus*, nam *Senaca Palumbi* homo Noricus III 5411 barbarus est.

Etiam Italicilla tituli *b* femina videtur fuisse nobilis; sunt enim cognomina in *-illa* feminarum fere inlustrium. Tum cognomen nude positum cum pronomine possessivo devotionem indicat. Avieni gentile perquam rarum (nam I. N. 2560 incertae fidei est); sed poetae quamvis recentis nomine probatur etiam tempori vetustiori.

---

313 (ins. post n. 1946). Ilurone (*Alora*) una cum reliquiis aedificii incerti, fortasse thermarum, a. 1872 prodiit pars basis lapideae inferior inscripta litteris paene evanidis his

CONSERVATORI SVO II
/VBI / VRI / / VFVSTIONIS
/ /IIIBAEBIRVSTIIPIANS

Berlanga descripsit, qui v. 2 rei publicae Ilurensis mentionem factam esse putat. Sed potest inter reliqua nomina etiam *Veturi Aufustionis* latere.

MVRGI.

(*Campo de Dalias* prope Almeriam.)

Inserendum ante conventus Cordubensis caput I (p. 269.)

314 Tabula marmorea lata m. 0,96, alta 0,50, reperta a. 1872 in agro dicto *el campo de Dalias* inter Almeriam et Abderam (*en el 31 kilometro de la carretera*), ubi multae iam antea detectae erant aedificiorum parietinae. Servatur Matriti. Litterae sunt optimae saeculi secundi fere exeuntis.

Ad n. 2149*a* (p. 301). In tradita lectione PRAEFECTO | IIVIR · POLESI latere IIVIR · POTEST, i. e. *duumvirali potestate*, monuit Carolus Morel in ephemeride Britannica *the Academy* a. 1870 p. 301.

---

316 (ins. post n. 2004). Basis parva Nescaniae (*Valle de Abdalajis*) reperta, servata in praedio quodam vicino; litterae detritae sunt paene omnes.

protome
urceus *feminae velatae* *patera*

DEO SC/ VVTI\r
M·CC AIOB

Berlanga descripsit misitque ectypum, ipse praeter *deo* vocem certi nihil dignoscere se confessus.

---

317 (ins. post n. 2010). Nescaniae rep. a. 1874. Litterae sunt altae et tenues saeculi tertii ineuntis.

L · AELIO · QVIRINAE · MELAE ·
NESCANIENSI · AELIA ·
OPTATA · MATER · STATVAM ·
EPVLOQVE · DATO · DECVRIONIBVS
5 DEDICAVIT

Berlanga descripsit et ectypum ab amicis sibi missum mecum communicavit. Lectio certa est, nam quod Berlanga primum legerat v. 4 EPVLO ΛTE DATO, quamvis elegantius dictum esset, postea perspexit fuisse potius EPVLOQVE·DATO; quod et ipse in ectypo distinguo. V. 2 tribus nomen genetivo casu positum ut II 347 1186.

Ad n. 2395 (p. 335). Libellum anonymi (*um Flaviense* se ipse appellat) de loco *Panoyas*, quem frustra quaesivisse me ibi dixi, indagavit meaque causa inspexit Eduardus Augustus Allen Portuensis. Acceperat ille libellum a Ludovico de Bessa Correa, advocato in *Villa Real* degente; de titulis autem Panoyensibus scriptor nota tantum repetit ex Argotio, neque vero ipse vidit. Inde de Kingstonis quoque fide nova subnascitur suspicio.

---

318 (ins. post n. 2388). Cippus altus m. 1. 32, latus 0. 30, crassus 0. 25, non procul a *Villa Real* repertus, infixus parieti domus alicuius iuxta portam. Titulus trifariam divisus est marginibus extantibus.

TRITES · M ·
EBDIIR · S ·
EST · TAVR
OCVTIVS
APOITAE ·
F · F · C ·
D · S · P
AVCALVS
NOSCITES
ARCIVS · ET ·
VRTINVS
P

Ludovicus de Bessa Correa civis Villae Realis et Paes Portuensis descripserunt ambo; eorum exempla mecum communicavit Eduardus Augustus Allen Portuensis, Bessae etiam Guerra Matrito misit. Ectypum nancisci nondum potui. V. 2 EBDIIR, 5 APOLTAE, 9 HOSCITES dedit Paes.

Antequam de lectione constat nihil temptandum.

---

319. 320 (ins. post n. 2581). Ad Lucum Augusti Gallaeciae (*Lugo*) in moenium oppidi ruderibus reperti a. 1872 cum aliis sepulcralibus.

a

BATAESI
NA ❦ RVFI
F ❦ SEVERA
CAMP ❦ ANO
XXII · H · S · E

b

D M S
AEMILIAE
HOMVLLINAE
FANESTER ❦
CONIVG KA
RISSIMAE

Guerra misit acceptos ab amicis.

a *Bataesina Rufi f(ilia) Severa Camp(ensis) ano(rum) XXII h(ic) s(ita) e(st)*

b *d(is) M(anibus) s(acrum) Aemiliae Homullinae Fanester coniug(i) karissimae*

Bataesinae nomen novum est; inde emendandum *Balesini*, quod in titulo Aquiflaviensi (II 2471) dederunt descriptores. Num Baetasiorum Germanorum nomen eiusdem stirpis sit videndum. A campis loci non pauci dicti sunt; in Hispania habemus locum Campanianensum prope *Mancha Real* (II 3354).

Alterum titulum adscripsi propter Fanestris nominis exemplum quantum scio primum; a Fano oppido eandem formam derivari notum est. Et fuit illa fortasse vetustior quam *fanaticus*.

Ad n. 2628 (p. 365). Titulum Zamorensem nuper Saavedra denuo examinavit misitque ectypum, in quo dei nomen ita apparet

DEO MENII)
VIACO

Tertium elementum N esse, contra veterum descriptorum fidem, certum est; sed versus primus, evanidus fortasse antiquitus, refictus est aperte a manu imperita (fortasse saeculi XVI exeuntis), unde N illa speciem fere habet duarum litterarum LV vel similium, sed malarum. Tum secuntur hastae duae, quarum prior tam T potest fuisse quam I, altera quaecunque fere a tali hasta incipit littera; nam lapis in fine ibi effractus est. Itaque etiam post elementa illa duo incerta secuta esse possunt unum alterumve non amplius. De dei igitur nomine restituendo utique desperandum; potest fuisse *Mentiviacus*.

Reliqua certa sunt; litterarum forma saeculum primum arguit.

Ad n. 2694 (p. 375). Exempla tituli antiquissimum et recentissimum nuper demum innotuerunt. Antiquissimum Gasparis (non Alphonsi, v. praef. vol. II p. IX, 12) de Castro ex Metelli codice, quo usus est Smetius, mecum non communicatum, propterea quod casu caret loci indicatione, ab Henzeno vol. VI, 152 errore collocatum est inter urbanas; recentissimum Saavedrae ectypo, quod is mihi misit, confirmatur. Sunt autem haec

Castri:	ectypi:
FONTI SAGINEES GENIO	FONTI · S
BPŒCCI L VIPST	BRŒCCI · L · VIPSI
ALEXIS AQVEEGVS	ALEXIS · AQVILEGVS
V · S · L · M	V · S · L · M

Itaque legendum *Fonti Sagin*[*i*]*es*(*i*) *Genio Brocci L. Vipst*(*anus*) *Alexis aquilegus v*(*otum*) *s*(*olvit*) *l*(*ibens*) *m*(*erito*).

Fons Saginiesis sive Saginiensis aliunde non est notus; Broccus fortasse loci erat dominus, nam nomen Brocci vel Brocchi in Hispania satis frequens est.

Ad n. 2707 (p. 376). Guerra imaginem tituli, qui cippo rudi insculptus est, photographam nanctus haec in ea legere sibi visus est, adnotans litteraturam esse pessimam; versibus singulis lineae subsunt. Tamen potest saeculi esse alterius tertiive.

'MPDM
BoVIICIo BODE
CIVES ORGNoM
EX GEN PEMB
ELoR · VI · PN · MV
EV POSVIT
RAICIV

V. 1 videtur esse *imp(erator) d(o)m(inus)*; ut fortasse putandus sit superesse ex miliarii titulo lapidi antea insculpto. Nam *m(onumentum) p(ositum) d(is) M(anibus)*, quod proposuit Guerra, vix legerim. Reliqua fortasse ita explicanda:

Bou[t]icio Bode(ni filius) cives Org(e)nom(escus) ex gent(e) Pembeloru vi(xit) p(lus) [m(inus)] an(norum) [L) V. Posuit ......

Orgenomesci in illa ipsa regione Cantabrorum collocantur apud Plinium 4 § 111; *Orgenomesqui* sunt Melae (3, 3, 15), Ptolemaeo (2, 6, 51) Ἀργενομέσκον Cantabrorum oppidum. Gens Pembelorum aliunde non est nota. Exemplum adhuc solum notum et a me quondam editum tria tantum totius tituli vocabula exhibet, eaque male.

---

321 (ins. post n. 2847). *Medinaceli*, lapis longus m. 1. 43, altus 1. 09, crassus 0. 60, servatus in praedio quodam iuxta murum oppidi Romanum collocatum, parti muri eius interiori infixus. Litterae sunt elegantes.

VALERvS	VALERA	T · LCNvS
BEDCQ	VENNIQ	Q V I R
CADIDvS	SVCESsA	TITVLVS
H S · E	CADIDI V·	CORNvTNvLvS
E·	V·S·E MRTo	H·S·E·SVC·SR
	F·C	D·S·F·C·

Aurelianus Guerra descripsit ex ectypo, quod mihi misit.

Valerius Bedaciq(um) Candidus .... h. s. e. [Val]e?

Valeria Venniq(um) Sucessa Candidi ux(or) v(iva) s(ibi) et marito f(aciendum) c(uravit)

T. Licinius Quir(ina) Titulus Cornutanulus h. s. e. Suc(essa) s(o)r(or) d(e) s(uo) f(aciendum) c(uravit)

Bedaciqum et *Venniqum* gentilitatum nomina sunt in regionibus illis non infrequentia, qualia composui in indice vol. II p. 756. *Licinius* quidam *Titulus Coronicum* memoratur in titulo Segoviensi n. 2745.

De nomine oppidi eius vetusti, quod situm *Medinaceli* hodierni videtur occupasse (adsunt enim ibi vestigia antiquitatis, veluti arcus operis Romani), quaerere differo.

SEGISAMO.

(*Sasamon*).

Inserendum post cap. XII conventus Cluniensis (p. 397).

322 Lamina aenea alta m. 0, 30, lata 0, 22; rep. a. 1869 Segisamone (*Sasamon*) et servata in *Burgos* in museo provinciali.

VOT SVCI
FEL *rosa* LIBEN
PATRONIS MERENTISSIMIS ET · FE
ET PRESTANTISSIMIS ET PIENTISSIMIS
CIVES PIENTISSIMI ET AMICISSIMI · SEG
DOM · NOSTRO · AVG · GOR · ET · AVIOLA · COS p. C.

G SEMPRONIO	FLAVO	
VALERIE	SEVERINE · PATRONE NOSTRE	
G SEVERIO	PRESSO	
G VALERIO	LVPO	
G G TVRELLIO	CASSIANO	
PVB PARATVS		ANTI · CALIOPE
PVB MARTIALIS	LIBERTVS · GEN · VAL · DONATA	
PVB MARITIMVS	LIB · GEN	BOTIA
PVB MASCELLIO	LIB GEN	VALERIA BRITTA
PVB MERCATOR	LIB GEN	VAL · AVANA
VAL CANDIDVS	PECTENARIVS	
VAL QVINTIO		
IVL MORINVS		
BEB VALODDVS	FVLLO	
ANT MISSILLVS	SVTOR	OCT · SEVERA
IVL EVFEMVS	AMAINIVS	
ELENVS	FVLLO	
AEVARISTVS	SER · GEN	
EMILIVS ·	SECVNDVS	
PELAGIVS	CLAVARIVS	

Ectypum chartaceum misit Eduardus Saavedra, sed exceptum ab homine, ut videtur, minus perito et, quod peius est, ab eodem atramento repictum; tamen in universum lectio certa est. Litterae accurate et pro tempore illo eleganter incisae.

Vot(a) fel(iciter) suc[ceperunt(?)] liben(tes) patronis merentissimis et fe(licissimis) et prestantissimis et pientissimis cives pientissimi et amicissimi Seg(isamonenses) dom(ino) nostro Aug(usto) Gor(diano) et Aviola co(n)s(ulibus),

G. Sempronio Flavo
Valerie Severine patrone nostre
G. Severio Presso
G. Valerio Lupo
[G.] Turellio Cassiano,

Pub(licius) Paratus	*Anti(stia) Caliope*
Pub(licius) Martialis libertus gen(tilis)	*Val(eria) Donata*
Pub(licius) Maritimus lib(ertus) gen(tilis)	*Botia*
Pub(licius) Mascellio lib(ertus) gen(tilis)	*Valeria Britta*
Pub(licius) Mercator lib(ertus) gen(tilis)	*Va[l(eria)] Avana*
Val(erius) Candidus pectenarius	
Val(erius) Quintio	
Iul(ius) Morinus	
Beb(ius) Valoddus fullo	
Ant(onius) Missillus sutor	*Oct(avia) Severa*
Iul(ius) Eufemus Amainius	
Elenus fullo	
Aeuaristus ser(vus) gen(tilis)	
Emilius Secundus	
Pelagius clavarius	

11 GGTVRELLIO traditur. Praenominis littera fortasse errore tantum iterata.
12 ANT·I·CALIOPE traditur.
15 VA-DONATA ectypum repictum; sed videor mihi distingere quod dedi.
16 VAE·AVANA traditur.
22 EVFIMVS ectypum; sed videtur E incuriose incisa subesse.

Ad tesseram hospitalem Hispanam anni u. c. 752, quam edidi in ephemeride a. 1872 n. 141, iam hoc eiusdem generis monumentum, sed tamen diversum suoque in genere ni fallor singulare accedit. Etenim ad instrumenta quidem patronatus tabella pertinet aperte, ut ipsa eius forma demonstrat, neque vero decretum continet aut de decreto aliquo relationem, quo iura patronatus homini alicui deferuntur, ut reliqua eius generis monumenta omnia adhuc nota (quae ubi collecta extent indicavi ad eph. 1872, 141), sed votiva est et oblata patronis quattuor patronaeque a collegio

SEGISAMO.

(*Sasamon*).

Inserendum post cap. XII conventus Cluniensis (p.

322 Lamina aenea alta m. 0, 30, lata 0, 22; rep. a. 18 (*Sasamon*) et servata in *Burgos* in museo provinciali.

VOT SVCI
FEL *rosa* LIBEN
PATRONIS MERENTISSIMIS ET · FE
ET PRESTANTISSIMIS ET PIENTISSIMIS
CIVES PIENTISSIMI ET AMICISSIMI · SEG
DOM ❀ NOSTRO · AVG · GOR · ET · AVIOLA
G SEMPRONIO FLAVO
VALERIE SEVERINE · PATRON
G SEVERIO PRESSO
G VALERIO LVPO
G G TVRELLIO CASSIANO
PVB PARATVS AN
PVB MARTIALIS LIBERTVS · GEN · VA
PVB MARITIMVS LIB · GEN
PVB MASCELLIO LIB GEN V
PVB MERCATOR LIB GEN V
VAL CANDIDVS PECTENARIVS
VAL QVINTIO
IVL MORINVS
BEB VALODDVS FVLLO
ANT MISSILLVS SVTOR
IVL EVFEMVS AMAINIVS
ELENVS FVLLO
AEVARISTVS SER · GEN
EMILIVS · SECVNDVS
PELAGIVS CLAVARIVS

quodam incerto virorum libertinae plerumque vel adeo servilis condicionis et mulierum, quod fortasse iam aliquo tempore antea patronos illos sibi cooptaverat.

Locus, ubi inventa est tabella, *Sasamon* hodiernum Segisamo conventus Cluniensis Plinii (3 § 26), ut dudum docuerunt mensurae itinerarii (p. 449, 5. 454, 2 cf. 394, 5), titulos antea nullos protulit; illud tantum compertum habuimus ex titulo II 2915 reperto illo inde leugis aliquot magis versus septentriones, qui stationis Segisamonensium mentionem facit, fuisse aut Segisamone stationem fortasse publicanorum, aut prope Segisamonem in loco eo, quo titulus ille prodiit. Nunc tabella in ipso situ oppidi veteris effossa et collocationem confirmat et nomen civium, quod scriptum est v. 5, Segisamonensium esse indicat.

Interpretatio, quam proposui, paucis eget explicationibus. Observanda sunt rusticitatis vitia nonnulla, illi tempori illique loco convenientia:

SVCI, *suc[c(eperunt)]* v. 1. Puto enim ultimam litteram errore positam esse pro C. Ita *succepto* bis legitur II 136, *succeptus* III 6423. Nisi fortasse praestat SVCE *suceperunt*, ita ut *subs sus* non assimilatum, sed littera finali privatum sit.

Emilius v. 25

Beb(ius) v. 20

prestantissimis v. 4

Valerie Sorane patrone nostre v. 8

pectenarius v. 17

Nomina Graecanica rustice scripta *Caliope* v. 11, *Aeuaristus* v. 24, *Eufemus* v. 22, *Elenus* v. 23

Compendia scripturae insolentia *vot, suc[c], fel, liben* v. 1. 2, *fe* v. 3 [1]) spatii penuria aliquo modo excusantur.

Sodalium nomina gentilicia, item mulierum, tribus litteris indicantur tantum non omnia (excipiuntur *Emilius Secundus* v. 25 et *Valeria Britta* v. 15) more consueto, insolenter quattuor litteris *Anti(stia)*, si recte solvo.

Puncta plerumque omissa; ubi posita sunt, ut v. 13. 14. 16. 21. 24. 25, nimis grandia evaserunt.

Nomina tam patronorum quam sodalium in laterculi formam redacta sunt, ita ut vv. 7—11 nomina patronorum alteram, cognomina alteram columnam efficiant; tertia solis vocabulis *patrone nostre* constat ad patronae unius nomina adiectis, quia patroni iam supra in praescriptione diserte appellati sunt *patroni merentissimi et fe(licissimi) et prestantissimi et pientissimi.* Ceterum observa v. 9 *Pressi* cognomen mihi novum; comparandum illud cum Concessi Habiti Taciti et aliis quibusdam eius generis item raris. Vv. 12—26 secuntur sodalium quindecim nomina disposita columnis

[1]) Nisi in ET·FE patronae unius mulieris mentio quaedam latet inscite addita ab eo qui titulum in aere incidit.

quattuor, ita ut prima gentilicia contineat breviata plerumque (excepto ultimo, scilicet hominis qui unum tantum nomen gessit), ut dixi, altera cognomina perscripta (uno excepto paenultimo, quod cum nomen hominis eius perscriptum sit solum, in tertiam columnam cessit), tertia condiciones virorum, quarta mulieres.

Nominibus gentiliciis carent *Elenus fullo, Pelagius clavarius, Aeuaristus servus.* Reliquorum tam nomina quam cognomina Latina vel Graecanica vulgaria sunt exceptis cognominibus his:

Missillus v. 21
Morinus v. 19
Valoddus v. 20

Cum Missillo conferantur *Medsillus* V 5527, *Mesilla* III 1872 1901 3105 3990, *Meddillus* VII 1336, 690. Morinus potest rustice scriptum esse pro Maurino; sed noti etiam Morini in Galliae Belgica. *Valoddus* omnino peregrinum; confer *Atlondus* II 76 4980.

Mulieres sex (aut quinque) uxores videntur fuisse eorum hominum, quorum nomina eodem versu scripta sunt, Caliope Parati et sic deinceps. Botia v. 14 num Maritimi sive uxor fuerit sive concubina dubitari potest; fortasse Valeria Donata, cuius nomen praecedit proximo versu, Botiae nomen peregrinum pro altero cognomine retinuit. *Boutius Boutia,* a quibus *Botia* non videtur diversum esse, in Lusitania potissimum frequentia sunt. Eiusdem generis sunt *Britta* v. 15 (cf. II 1335) et *Avana*; quocum comparaverim **Auvo* II 1775 et *Auvancum* gentis ut videtur nomen II 2827.

Condiciones sodalium indicantur hae:

Amainius v. 22
clavarius v. 26
fullo v. 20. 23
pectenarius v. 17
sutor v. 21
libertus gen(tilis) v. 13
  lib(ertus) gen(tilis) v. 14. 15. 16
ser(vus) gen(tilis) v. 24

Praeter Amainium, quam puto gentilitatis indicationem esse sive cognomen alterum (ut *Botia* v. 14), artes clavarii (cf. *clavarius materiarius* tituli Narbonensis Orell. 4164; glossa ἡλικόπος *clavarius*; clavarium donativum milites petunt apud Tacitum hist. 3, 50), fullonum, pectenarii (quod solet *pectinarius* scribi in titulis, quos indicat Furlanettus apud Forcellinium; nam apud scriptores legi non videtur), sutoris notae indicantur. Libertos et servum *gen* . . . gentiles puto fuisse (vix enim alia trium illarum litterarum explicatio invenietur probabilis), scilicet gentis gentilitatisve alicuius, quales in regionibus illis scimus superfuisse ex vetusta barbarie. Servum gentilicio nomine carere par est; libertos quattuor Publicios dictos esse puto (non Publios vel Publilios) ex more sueto (v. supra p. 89), scilicet a publico gentilitatis

OBSERVATIONES EPIGRAPHICAE.

XVII. REGES THRACIAE INDE A CAESARE DICTATORE.

Regum Thraciae qui fuerunt aetate Romana ordinem cum decreta duo Cyzicenorum in honorem Antoniae Tryphaenae Polemonis filiae nova luce illustrarint nuper ab Ernesto Curtio in actis minoribus academiae Berolinensis [1]) primum edita, Curtius autem de decretis iis commentans reliquum eorum argumentum magis quam res Thracicas persecutus sit, regiam Thracum dynastiam a Caesare inde explicare in animo est. — Thracia quo tempore bellum inter Caesarem et Pompeium exarsit quamquam pluribus regibus paruit, Odrysarum reges ab Hebri fluvii ostiis ad Odessum usque dominantes [2]) ita super reliquos eminebant, ut universae Thraciae praeesse viderentur [3]), nec dubitari potest id ipsum esse regnum Thraciae a. 46 p. Chr. in provinciae formam commutatum. Nam bello a. u. c. 725, quo maxime dextra ripa Danuvii inferioris Romanorum facta esse videtur Moesia provincia constituta, a solis Odrysis Crassus abstinuit iisque adeo agri Bessis adempti partem attribuit [4]). Quod infra apparebit sedem eos reges habuisse non in regione Odrysarum, sed in Bizye urbe regia quondam Astarum [5]); item natione eos neque Odrysis adnumerari neque Astis, sed diversae genti Thra-

[1]) A. 1874 p. 1 seq. Apographa et ectypa, quibus ipse usus est, ego quoque beneficio eius inspexi, neque tamen quicquam repperi quod editioni accurate factae adiceretur.

[2]) Strabo 7 fr. 48.

[3]) Ita Cotys is qui in bello Persico contra Romanos arma tulit Livio dicitur modo *Odrysarum rex* 42, 29, 12, c. 51, 10, modo *rex Thracum* 45, 42.

[4]) Dio 51, 25. Praeses Macedoniae a. 732 iudicium, maiestatis opinor, subiit propter bellum Odrysis sua sponte illatum (Dio 54, 3).

[5]) De ea re exposuimus infra p. 252.

cum Sapaeis [1]), id quamquam mirum est, tamen fieri potest, ut regnum universae Thraciae coeptum a regno Odrysarum reges habuerit stirpis Sapaeae, regiam eam quae fuit antea Astarum.

1. Cotys genti praefuit et a. 697 [2]) et quo tempore Caesar in Thessalia debellavit a. 706; nam Pompeio auxilia miserat Cotys Thraciae rex filium Sadalam cum equitibus quingentis [3]), fuitque Sadala inter eos, quibus post victoriam Caesar ignovit [4]).

2. Sadala [5]) paullo post patri successisse videtur; obiit autem c. a. 712 teste Dione [6]), qui addit eum stirpem nullam post se reliquisse et propterea testamento regnum legasse Romanis, idque occupasse M. Brutum eo ipso tempore in Thraciam advenientem. Diverse Appianus Polemocratiam ait uxorem cuiusdam ex regulis Thraciae, cuius nomen auctor non ponit, caeso marito filio infanti etiamtum metuentem eum attulisse una cum gaza regia ad Brutum; Brutum filium Cyzici seposuisse, donec in regnum paternum reduci posset, thesauros autem in suum ipsius usum convertisse [7]). Utraque narratio si vera est et incorrupta, Polemocratiae maritus et Sadala, quamquam rex Thraciae uterque fuit eodemque fere tempore uterque obiit, diversi fuerint necesse est; nam ille obiit sine liberis (ἄπαις), hic filium infantem reliquit. At adest titulus ante hos viginti annos a Rangabio [8]) editus, sed adhuc quod sciam a viris doctis neglectus hic:

---

1) Cotyn eum, qui periit c. a. 19 p. Chr., Strabo 12, 3, 29 p. 556 Sapaeum ait: Κότυι τῷ Σαπαίῳ. Fieri potest, ut auctor scripserit Κότυι τῷ Σαδάλα, sed coniunctionem regiae stirpis Sapaeorum cum ipsius Thraciae regibus tuetur nomen Rhescuporidis utrisque commune.

2) Cicero in Pis. 34, 84. Anno autem 679 Sadala rex, pater videlicet Cotyis, regnabat (Cicero Verr. l. 1, 24, 63).

3) Caesar b. c. 3, 4. 36. Lucan. 4, 54. Dio 41, 51.

4) Dio 41, 63.

5) Nummum Mionneti S. 2, 555, 37, in quo legere sibi visus est Sestinius nomina Cotyos et Sadalae regum Thraciae coniuncta, vere esse oppidi Hispaniae Iptuci monuit Friedlaender.

6) Dio 47, 25.

7) Appianus b. c. 4, 75: ἀγείροντι δὲ αὐτῷ (M. Bruto) στρατὸν ἔτι καὶ χρήματα συντυχία Θράκιος τοιάδε γίνεται. Πολεμοκρατία γυνή τινος τῶν βασιλίσκων ἀναιρεθέντος αὐτῇ τοῦ ἀνδρὸς ὑπ' ἐχθρῶν δείσασα περὶ τῷ παιδὶ ἔτι ὄντι παιδίῳ ἧκεν αὐτὸν φέρουσα καὶ ἐνεχείρισε Βρούτῳ, ἐνεχείρισε δὲ καὶ τοὺς τοῦ ἀνδρὸς θησαυρούς. ὁ δὲ τὸν μὲν παῖδα Κυζικηνοῖς ἀνατρέφειν παρέδωκε, μέχρι σχολάσειεν ἐπὶ τὴν βασιλείαν καταγαγεῖν, ἐν δὲ τοῖς θησαυροῖς εὗρε παράδοξον χρυσίου τε πλῆθος καὶ ἀργύρου, καὶ τοῦτο μὲν ἔκοπτε καὶ νόμισμα ἐποίει. Nummos ex gaza ille regia cusos eos esse, in quibus nomen ΚΟΣΩΝ et monogramma LB cernitur, Eckhelius coniecit 6, 23 adsensusque sum ego in libro de re monet. p. 693, in eo certe errans, quod mariti nomen ab Appiano non enuntiatum Κόσων fuisse posui.

8) *Antiquités Helléniques* 2 p. 784 n. 1236. Eiusdem tituli dum haec scribo ad me attulit Mordtmannus alterum exemplum, sed corruptum et ita hians, ut lapidem interim diffractum esse appareat. Varia lectio haec est: 1 fin. ΑΣΑΔΑΛΑ deest. — 2 ΚΑΙΒΑΣΙΛΙΣΣΑΠΟΛΕ omissis reliquis. — 3 ΓΟΝΕΙΣ] ΕΘΝ

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΟΤΥΣ ΒΑΣΙΛΕΑ ΣΑΔΑΛΑ
ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΠΟΛΕΜΟΚΡΑΤΕΙΑΝ
ΤΟΥΣ ΕΑΥΤΟΥ ΓΟΝΕΙΣ
ΘΕΟΙΣ ΠΑΤΡΩΙΟΙΣ

Unde cum efficiatur reginae Polemocratiae maritum nomen habuisse Sadalam, nec recte cogitari possit de duabus reginis eiusdem nominis praesertim in tanta vocabuli raritate, apparet Sadalam Polemocratiae maritum non sine liberis decessisse nec regnum Romanis legavisse, sed obiisse relicto infante filio vel potius, ut infra videbimus, filiis, nec hereditatis nomine, sed tutelae Brutum regnum occupavisse. Inventus est titulus in oppido Thraciae Viza hodie, olim Bizye sito in mediterraneis supra Salmydessum. Ea urbs cum apud scriptores Graecos regia feratur Astarum Thraciae gentis, apud Latinos regum Thracum [1]), universae Thraciae reges eos de quibus nos agimus ibi potissimum sedem habuisse titulus supra propositus confirmat; nam Cotys rex ubi parentibus memoriam posuerit, ibi eum habitavisse consentaneum est.

Per bella civilia Romanorum gesta a morte Caesaris dictatoris ad proelium usque Actiacum qui commemorantur Thracici reges, numero quattuor sunt Rhescuporis, Rhascus, Sadala, Rhoemetalces. Ex his Rhescuporis et Rhascus fratres reguli fuerunt Sapaeorum gentis in confiniis Thraciae et Macedoniae constitutae [2]), quorum ille et antea Pompeium contra Caesarem adiuverat [3]) et Brutum adiuvit Bessis bellum inferentem [4]). Bello autem Philippensi Rhescuporis Cassii partes secutus, Rhascus Antonii suae uterque parti fortissimam operam navavit [5]); quo suo merito Rhascus devicto Cas-

---

[1]) Strab. 7 fr. 48: Ἀστῶν δὲ βασίλειον ἦν Βιζύη. Steph. Byz.: Βιζύη πόλις Θρᾴκης τὸ τῶν Ἀστῶν βασίλειον Plin. 4, 11, 57 (cf. Solin. 10, 18): *Bizye arx regum Thraciae, a Terei nefasto invisa hirundinibus.* Astae habitabant in mediterraneis a Perintho ad Apolloniam (Ptolem. 3, 1, 10, cf. Liv. 38, 40). Inter titulos quorum Mordtmannus mihi copiam fecit hic est exceptus in oppido Tschorlü prope Perinthi rudera (cf. C. I. Gr. n. 2023):

ΜΕΡΙΟΣ'ΟΥΛΙΟΣΙΟΥΛΔΟΣ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΣΑΣΤΙΚΗΣΠΕΡΙ
ΠΕΡΙΝΘΟΝΕΥΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΝ

id est [Τι]βέριος Ἰ[ο]ύλιος [Τ]οῦλ[λ]ος (?) στρατηγὸς Ἀστικῆς περὶ Πέρινθον εὐχαριστήριον.

[2]) Haec plene intelleguntur ex accurata narratione Appiani b. c. 4, 87.

[3]) Caes. b. c. 3, 4: *ex Macedonia CC erant, quibus Rhascipolis praeerat excellenti virtute.* Lucan. 5, 55: *gelidae dominus Rhascipolis orae.* Sapaei cum iuga Rhodopes occupent, quibus Macedonia et Thracia separantur, pari fere iure utrique terrae tribui potuerunt. *Gelida ora* est litus ab Abdera ad ostia fluvii Nesti.

[4]) Dio 47, 25.

[5]) Appianus b. c. 4, 87. 103. 104. 129.

sio a victoribus impetravit, ut fratri parceretur [1]). Sapaeos hosce regulos omnino differre a Thraciae regibus qui dicuntur cum inde apparet quod in bello inter Caesarem et Pompeium accurate distinguuntur, tum ex narratione rerum Thracicarum ante proelium Philippense; nam cum per id tempus rex Thraciae infans Cyzici degeret, Sapaeos regulos ei interfuisse modo vidimus. — Post aliquot annos in exercitu Antonii contra Caesarem rex quidam Thraciae fuit, quem Plutarchus altero loco [2]) Sadalam appellat, altero [3]) Rhoemetalcen, hoc addens eum ab Antonio ad Caesarem defecisse. Si intellegitur rex Thracia universae, utroque loco in nomine erraverit auctor necesse est; nam eum locum modo demonstravimus tum tenuisse Cotyn Sadalae filium, qui adultus factus interim quominus bello interfuerit nihil obstat. Quod si verum nomen Plutarchus posuit utroque loco vel certe altero utro, reguli Thracici hi fuerint oportet sive Sapaeorum sive alius cuiusvis populi.

3. Cotys Sadalae et Polemocratiae filius [4]), quem a. 712 infantem fuisse vidimus, deinde regno potitum parentibus Bizyae memoriam dedicavisse, obiit ante a. 738 morte immatura; nam liberos impuberes reliquit [5]).

4. Rhescuporis Cotyis filius necdum pubes rex factus est a. 738 [6]) tutore ipsius et reliquorum Cotyis liberorum constituto patruo Rhoemetalca. Tum Romani eum a Bessis defenderunt; paullo post a. 743 reguli eorundem Vologaesi insidiis interfectus est [7]) adulescens stirpe nulla relicta.

---

[1]) Appianus b. c. 4, 136. Dio 47, 48.

[2]) Anton. 61. Dio 50, 6 Thraces inter eos populos nominat, qui ab Antonii partibus starent, regis nomen nullum ponit.

[3]) Romul. 17; apophthegm. Caes. Aug. 2.

[4]) Titulum Atticum C. I. Gr. n. 359: *βασιλέα Κοῦτυν βασιλέως Ῥαισκουπόριδος υἱόν* huic Cotyi tribuit Boeckhius. Ad eundem deinde Cavedonius (*di alcune monete antiche degli ultimi rè di Tracia.* Modenae 1846. 8.) p. 4 revocavit nummos inscriptos ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΟΤΥΣ) (ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ (Eckhel 2, 59) antea male omnino attributos Cotyi Rhescuporidique iis qui simul regnarunt sub Augusto. Mihi dubium non est Cotyn hunc Rhescuporidis filium vixisse aliquanto ante ea de quibus agimus tempora.

[5]). Dio 54, 20.

[6]) Dio l. c., cf. 54, 34. Huius est titulus a. 1838 repertus Athenis ad exemplum Rossii sic editus apud Adolfum Schoell *archaeol. Mittheilungen aus Griechenland* p. 128 aliquanto correctius quam legitur in ephem. archaeol. Atheniensi 1839 p. 226:

ΒΑΣΙΛΕΑ ΡΑΣΚΟΥΠΟΡΙΝ ΚΟΤΥΟΣ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΤΗΣ ΕΙΣ ΕΑΤΟΝ *sic*
ΑΝΤΙΓΝΩΤΟΣ ΕΠΟΗΣΕΝ

Artificem commemorat Plinius 34, 8, 86.

[7]) Dio 54, 34. L. Piso, qui eo tempore rebelles subegit, consul est a. u. c. 739. Hic est Piso, quem Antipater pariter atque Cotyn (p. 254 adn. 4) in carminibus passim celebrat ob res fortiter gestas.

5. Rhoemetalces patruus praecedentis[1]), filius igitur alter Sadalae et Polemocratiae, cum fratris filio, cuius antea tutelam eum gessisse modo vidimus, a. 743 successisset, a. 759 = p. Chr. 6 auspiciis Tiberii bello Pannonico egregie pugnavit[2]). Obiit imperante Augusto ante a. p. Chr. 12[3]).

6. Cotys Rhoemetalcae filius post patris mortem meliorem et cultiorem regni eius partem obtinuit (adn. 3), laudatus Tacito ob 'ingenium mite et amoenum', Ovidio[4]) ob studia poesis. Patrui Rhescuporidis parte regni, quam ei Augustus adsignarat, non contenti insidiis periit inter a. 14 et 19 p. Chr.[5]). Cotyn uxorem duxisse filiam Polemonis regis Ponti et Pythodoridis neptis ex filia M. Antonii IIIviri antea compereramus[6]); iam vero decreta duo Cyzicenorum eidem tabulae incisa et nomina eius mulieris nos docuerunt et alia complura scitu sane digna. Scilicet appellatur in priore Ἀντωνία Τρύφαινα βασιλέως Πολέμωνος καὶ βασιλίσσης Πυθοδώριδος Φιλομήτορος

[1]) Fratrem crederem natu minorem proximi regis Rhescuporidis, cum plures liberos constet Cotyn reliquisse, nisi obstaret, quod Rhoemetalcae successit frater Rhescuporis, nec duos eiusdem nominis fratres Rhoemetalces habuisse potest.

[2]) Vellei. 2, 112. Dio 55, 30. Ovid. ex Ponto 2, 9, 45. 59. Nummi eius regis extant non pauci, habentes ab una parte caput Augusti adscripto nomine, adiuncto plerumque capite Liviae, ab altera caput regis adscripto item vocabulo adiunctisque capitibus cum uxoris tum filii infantis, Cotyis videlicet (Eckhel 2, 58). In titulo Amphipolitano C. I. Gr. 2009 qui nominatur Φιλότειμος βασιλέως Ῥοιμητάλκα δοῦλος et quae titulum urbanum Orell. 631 posuit *Iulia Tyndaris C. Iuli regis Rhoemetalcaes l(iberta)* aut ad huius familiam pertinuerunt aut ad familiam cognominis fratris filii (infra n. 8); nam qui sub Pio in Bosporo regnavit Rhoemetalces rex Ti. Iulius fuit (C. I. Gr. 2108 *f*).

[3]) Tacitus ann. 2, 64: *omnem eam nationem* (Thraecum) *Rhoemetalces tenuerat; quo defuncto Augustus partem Thraecum Rhascuporidi fratri eius, partem filio Cotyi permisit.* Cum libri secundi epistularum ex Ponto nonam Ovidius scripsit, Rhoemetalces mortuus fuit; scripsit autem eam a. fere 765 biennio ante obitum Augusti.

[4]) Ex Ponto 2, 9: *Cotyi regi.* Ibi ait v. 49: *nec regum quisquam magis est instructus ab illis* (artibus) *mitibus aut studiis tempora plura dedit: carmina testantur, quae, si tua nomina demas, Threicium iuvenem composuisse negem.* Antipatri Thessalonicensis aequalis ipsius in eum epigramma legitur in anthologia Planudea 4, 75 (2, 646 Iacobs) hoc:

Ζηνὶ καὶ Ἀπόλλωνι καὶ Ἄρει, τέκνον ἀνάκτων,
    εἴκελον εὐκταίῃ μητέρος εὐτοκίῃ
πάντα τοι ἐκ Μοιρέων βασιλήια, πάντα τέλεια
    ἦλθεν· ἐποιήθης δ' ἔργον ἀοιδοπόλων.
Ζεὺς σκῆπτρον βασίλειον, Ἄρης δόρυ, καλλοσύνην δὲ
    Φοῖβος ἔχει· παρὰ σοὶ δ' ἀθρόα πάντα, Κότυ.

[5]) Narrant rem Tacitus 2, 64—67 et Velleius 2, 129; cf. Sueton. Tib. 37 et Strab. l. c.

[6]) Strab. 12, 3, 29 p. 556.

θυγατήρ, in posteriore ἡ βασιλέων μὲν θυγατήρ, βασιλέων δὲ μήτηρ Τρύφαινα. Antoniae nomen repetitum esse patet ab avia filia natu maxima Antonii IIIviri in titulo Smyrnaeo appellata εὐεργέτις, quae quodammodo stirpis suae splendorem fundavit [1]). Prius decretum factum est imperante Tiberio post Cotyis obitum opinor, cuius nulla ibi mentio fit. Nam virgini nec sacerdotium Liviae satis convenit, quod ei titulus tribuit, nec probabile est Tryphaenam post obitum demum Augusti Cotyi nupsisse, nec necessitudo Tryphaenae ulla cum Cyzicenis fuit nisi propter maritum. Cyziceni cum eam creassent sacerdotem Iuliae Augustae, quoniam aeternam domum maximi deorum Ti. Augusti Drusique fratris eius summa religione coleret, matris horum, scilicet Iuliae Augustae imaginem Tryphaena publice dedicavit [2]). Drusum fratrem Tiberii eapropter adiectum esse apparet, quod Tryphaenae aviae soror Druso nupserat itaque Drusus et Tryphaena affinitate iungebantur. Secundum decretum factum est imperante Gaio ipso illo opinor quo regnare coepit anno [3]), quo tempore Tryphaena cum filiis duobus natu maioribus Cyzicum advenit ad ludos ibi edendos deae novae Veneri Drusillae. — Necessitudo quae inter Antoniam eiusque liberos et Cyzicenos intercedit summa et ita comparata, ut Cyzicus iis tamquam urbs patria esset [4]), sine dubio inde repetenda est, quod puerorum illorum regiorum proavus Sadala aliquando infans a Cyzicenis receptus apud eos adoleverat. Ipsos enim non tam Cyzici quam Romae educatos esse mox videbimus. — De nummis Tryphaenae huius infra dicetur in Polemone.

7. Rhescuporis patruus praecedentis, Sadalae igitur et Polemocratiae filius natu minimus, cum regnante fratre in Pannonico bello laudem sibi meruisset [5]), post fratris mortem parte regni impetrata totum sibi paravit captivitate primum, deinde caede fratris filii, sed non diu tenuit a Tiberio regno primum, mox vita privatus (p. 254 adn. 5).

---

1) Vide huius eph. vol. 1 p. 270 seq.

2) Decretum sic incipit: ἐπεὶ Ἀντωνία Τρύφαινα .... τὸν αἰώνιον τοῦ μεγίστο[υ] θεῶν Τιβερίου Σεβαστοῦ Καίσαρος οἶκον [καὶ τὸν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Νέρωνος Δρούσου] διὰ παντὸς εὐσεβοῦσα συγκαθιέρωσ[ε] τῇ Πολιάδι Ἀθηνᾷ ἄγαλμα τῆς μητρὸς αὐτῶν ... . [παραλαβ]οῦσα παρὰ τῆς πόλεως ἱερητείαν αὐτῆ[ς]. Mox dicitur ἱερήα Σεβαστῆς Νεικηφόρου. Drusi nomen ut suppleatur, flagitant quae sequuntur verba τῆς μητρὸς αὐτῶν.

3) Eo ducit et quod ipse imperator hipparchi locum Cyzici obtinuit tum cum decretum factum est et universus tenor eius. Drusilla quod Graecis dicitur θεὰ νέα Ἀφροδείτη tantum abest, ut contrarium probet, ut vivae id magis conveniat quam defunctae. Obiit autem anno Gaii secundo p. C. 38.

4) Mater, ut ait decretum alterum, ταύτην (Cyzicum) ἡγημένη πατρίδα οἴκου τε τὸ ἑφέστιον καὶ βίου τὸ εὐτύχ[ημα ἀνεμε]σήτοις εὐδαιμονήσουσα τέκνων βασιλείαις ἐνταῦθα ἵδρυται. Filii eo adveniunt οὐχ ὡς εἰς φίλην μόνον, ἀλλὰ καὶ ὡς εἰς γνησίαν πατρίδα. Omnes rogantur ἰδίαν ἡγεῖσθαι πατρίδα τὴν πόλιν.

5) Dio 55, 30.

8. Rhoemetalces Rhescuporidis filius eius de quo modo diximus patre everso, cum eius consiliis ipsum adversatum esse constaret, partem regni ab imperatore Tiberio accepit[1]). Narrat Tacitus[2]) ad a. 21 adversus hunc Rhoemetalcen, quod popularium iniurias inultas esse sineret, Coelaletas Odrysasque et Dios Thraciae populos arma sumpsisse eumque Philippopoli inclusum obsedisse, sed obsidionem solutam esse Romanis adventantibus regisque item opportuna eruptione. Eam narrationem pulchre illustrat titulus ineditus, quem dum haec scribo opportune ad me attulit Mordtmannus bonae spei iuvenis exceptum in Bizyae ruinis:

ΘΕΩ ΑΓΙΩ ΥΨΙΣΤΩΙ
ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΡΟΙΜΗ
ΤΑΛΚΟΥ ΚΑΙ ΠΥΘΟ
ΔΩΡΙΔΟΣ ΕΚ ΤΟΥ ΚΑ
ΤΑ ΤΟΝ ΚΟΙΛΑΛΗΤΙΚΟΝ
ΠΟΛΕΜΟΝ ΚΙΝΔΥΝΟΥ
ΣΩΤΗΡΙΑΣ ΕΥΞΑΜΕΝΟΣ
ΚΑΙ ΕΠΙΤΥΧΩΝ ΓΑΙΟΣ
ΙΟΥΛΙΟΣ ΠΡΟΚΟΣ ΧΑΡΙ
ΣΤΙΙΠΟΝ

Θεῷ ἁγίῳ ὑψίστῳ ὑπὲρ τῆς Ῥοιμητάλκου *καὶ* Πυθοδώριδος *ἐκ τοῦ κατὰ τὸν* Κοιλα[λ]*ητικὸν πόλεμον κινδύνου σωτηρίας εὐξάμενος καὶ ἐπιτυχὼν* Γάιος Ἰούλιος Πρόκος [fort. *Πρόκλος*] *χαριστ[ήρι]ον.* Pythodoris, quam patet una cum rege Rhoemetalca fuisse Philippopoli cum urbs obsideretur, non video cur non fuerit avia filiorum Cotyis et Tryphaenae; nam a. certe 19 eam etiamtum in vivis fuisse aliunde constat, neque quicquam obstat quominus eo tempore ex Ponto in Thraciam profecta sit ad filiam caede mariti afflictam nepotesque parvulos visendos. — Idem Rhoemetalces a. 26 Romanis adversus populares rebellantes auxilia misit[3]). Post eum annum amplius non commemoratur. Fieri potest ut ad Gaium usque regnum protraxerit et simul regnarit cum cognomine Cotyis filio; videtur tamen Gai principatu Thracia universa sub uno rege fuisse eoque filio Cotyis, itaque magis crediderim Rhoemetalcen Rhescuporidis filium imperante Tiberio aut diem obiisse aut regno amotum esse nec quemquam ei successisse.

9. Rhoemetalces Cotyis filius natu maximus patri in parte regni (nam altera pars data est ei de quo modo diximus Rhoemetalcae Rhescuporidis filio) successit c. a. 19 infans etiamtum tutore T. Trebelleno Rufo[4]).

---

[1]) Tacitus ann. 2, 67.

[2]) ann. 3, 38. 39. Cf. 4, 5 ad a. 23: *Thraeciam Rhoemetalces ac liberi Cotyis ... obtinebant.*

[3]) Tacitus ann. 4, 5.

[4]) Strab. l. c.: ἡ μὲν (Polemonis filia) ἐδόθη Κότυι τῷ Σαπαίῳ, δολοφονηθέντος δὲ ἐχήρευσε παῖδας ἔχουσα ἐξ αὐτοῦ (τρεῖς ins. E. Curtius in actis minor. acad. Berol. 1874 p. 10 probabiliter)· δυναστεύει δ᾽ ὁ πρεσβύτατος αὐτῶν. Scripsit Strabo hoc ipso tempore a. 19 vel paullo postea.

Sed eum fratresque dum vixit suspiciosus imperator Tiberius in Italia retinuit, ubi educati sunt una cum imperatoris nepote Gaio eo qui postea regnavit [1]). Qui cum primum in contubernio proaviae Liviae fuerit, deinde ea defuncta a. 29 transierit in contubernium aviae Antoniae, mox a. 32 Capreas ad Tiberium accitus sit [2]), probabile est Cotyis filios tres de quibus agitur et ipsos aut apud Antoniam aviae suae sororem aut apud ipsum Tiberium in aula regia moratos esse [3]). Tutela autem regni Thraciae ab hoc suscepta quodammodo in occupationem verterit necesse est nec Tiberius Rhoemetalcae adulto facto eam restituerit; nam Gaius demum avo succedens a. p. Chr. 38 paternum ei regnum reddidit [4]). Cordi enim novo Soli fuit, ut ait titulus Cyzicenus, ut una cum ipsius sidere simul exorerentur comitantia principatum eius regna [5]). Scilicet Gaius filiique Cotyis proxima necessitudine coniuncti erant, cum avia Gaii et horum proavia sorores essent Antoniae duae [6]), omnes autem communem parentem haberent M. Antonium IIIvirum. Quapropter ut initio principatus Gaius Antoniam aviam optime de se meritam omnibus officiis fovit [7]) et omnino erga propinquos universos ad stultitiam usque pius esse voluit [8]), ita Cotyis quoque filios tres utpote ex sobrina ipsius natos omnes inter reges rettulit. — Eiusdem Rhoemetalcae Cotyis filii etiam nummi extant, in quibus ab altera parte caput Gaii cernitur adscripto nomine Γα[ίῳ Καίσαρι Γερ]μανικῷ Σεβαστῷ,

---

1) Hoc quoque docuit inscriptio Cyzicena verbis his: τοὺς Κότυος δὲ παῖδας Ῥοιμητάλκην καὶ Πολέμωνα καὶ Κότυν συντρόφους καὶ ἑταίρους ἑαυτῷ (imp. Gaio) γεγονότας.

2) Sueton. Gai. 10. Tacitus ann. 6, 20.

3) Conferri potest, quod Agrippa rex Iudaeorum Gaio imperatori tamquam paedagogus adfuit (Ioseph. ant. 18, 6, 4).

4) Dio 59, 12: Κότυι τήν τε Ἀρμενίαν τὴν σμικροτέραν καὶ μετὰ τοῦτο καὶ τῆς Ἀραβίας τινὰ τῷ τε Ῥομητάλκῃ τὰ τοῦ Κότυος καὶ Πολέμωνι τῷ τοῦ Πολέμωνος υἱεῖ τὴν πατρῴαν ἀρχὴν ψηφισαμένης δὴ τῆς βουλῆς ἐχαρίσατο ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐπὶ τοῦ βήματος ἐν δίφρῳ μεταξὺ τῶν ὑπάτων καθεζόμενος. Rhoemetalcen eum de quo hoc loco agitur adhuc credidimus intellegi Rhescuporidis filium (apud nos n. 8), cui altera Thraciae pars a Gaio data sit stirpe Cotyis ad Armeniam translata. At postquam titulus Cyzicenus docuit Cotyis liberorum natu maximum eodem nomine fuisse eumque regnare coepisse imperante non Tiberio, sed Gaio, collato testimonio Strabonis (p. 256 adn. 4) id efficitur quod supra posuimus nomine Rhoemetalcen regnare coepisse post obitum patris, sed tutelam regni Tiberium in occupationem vertisse. Sequitur item Cotyn eum, cuius regnum Gaius Rhoemetalcae tribuit, Rhoemetalcae patrem esse, non fratrem mox commemoratum; quamquam fieri potest, ut Dio ipse crediderit de eodem Cotye utroque loco agi.

5) Ἐπεὶ ὁ νεὸς Ἥλιος Γάιος Καῖσαρ Σεβαστὸς Γερμανικὸς συναναλάμψαι ταῖς ἰδίαις αὐγαῖς καὶ τὰς δορυφόρους τῆς ἡγεμονίας ἠθέλησεν βασιλ[εί]ας.

6) Vide quae in hac ephemeride vol. 1 p. 223 de Antonia triumviri filia natu maxima nupta Pythodoro Tralliano exposui.

7) Sueton. Gai. 15: *Antoniae aviae quidquid umquam Livia Augusta honorum cepisset, uno senatus consulto congessit.* Dio 59, 3. Eckhel 6, 179.

8) Sueton. l. c. Dio l. c.

ab altera sedens in sella curuli imperator iuveni ante se stanti diadema porrigens adscripto item nomine βα[σιλε]ὺς Ῥοιμητάλκας Κότυος [1]), plane ut sollemnia illa Dio enarrat (p. 257 adn. 4). — Idem Rhoemetalces eodem anno, quo regno potitus est, Athenis archon processit [2]). — Periit rex Rhoemetalces a. p. Chr. 46, Claudii sexto, insidiis uxoris [3]).

---

[1]) Huius nummi sola duo adhuc exemplaria innotuerunt, quorum alterum ex museo de l'Isle edidit Cary (*hist. des rois de Thrace* I p. 79 tab. 2 n. 11; pendent inde Eckhel 2, 60; Mionnet 1, 450, 155), alterum ex museo Boschinii Ferrariensis Cavedonius p. 11 (commentarii citati p. 253 adn. 4, mecum autem communicati a Friedlaendero). Neutrum totam inscriptionem habet; in postica Cary legit ΓΑ//////////ΥΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑΣ, Cavedonius Β//////////ΜΗΤΑΛΚΑΣ ΚΟΤΥΩΣ (sic). — Eiusdem regis alter extat nummus habens ab una parte caput imperatoris, ab altero regis; adscriptum est illi ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ, huic ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑΣ. Eum ediderunt Viscontius *iconographic grecque* 2 p. 153 ed. Mediol. tab. 6 n. 7 et Mionn. S. I, 557, 45. — Tertius, quem quidam ad eundem regem rettulerunt inscriptum ΓΑΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟϹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ et ΒΑ Ρ, Bosporanus est regis Rhescuporidis (Mionnet S. 4, 493, 64; Koehne *musée Kotschoubey* 2 p. 206).

[2]) In titulo Attico, quem sic de visu edidit Rossius in libro de demis Atticis p. 35:

ΕΠΙΡΟΙΜΗΤΑΛΚΑΝΤ//
/////ΚΑΙΣΑΡΑΥΤΟ
ΚRΑΤΩΡΑΝΕΔΕΙΧΘΗ
ΕΥΣΕΒΕΙΣΠΥΛΩ///

adnotans 1 fin. deesse litteram unam duasve, 2 in. erasas esse litteras quinque, monuit R. Neubauer legendum esse ἐπὶ Ῥοιμητάλκα ν(εω)τ(έρου), [ἐφ' οὗ Γάιος] Καῖσαρ αὐτοκράτωρ ἀπεδείχθη, εὐσεβεῖς πυλω[ροί]. Significari annum 37/38 p. Chr. apertum est. Idem archon redire videtur in altero titulo item Attico (C. I. Gr. 265) posito ἐν τῷ ἐπὶ βασιλέως Ῥοιμητάλκα [ν(εω)τ(έρου)] ἄρχοντος ἐνιαυτῷ, nam recte observavit idem Neubauer aliunde constare eum aetate imperatorum, ante a. autem p. Chr. 50 scriptum esse, item post regis vocabulum in apographis hiatum significari contignatione illa litterarum ΝΤ probabiliter explendum. — Magis incertum est νεώτερος additamentum quo pertineat. Rerum Atticarum periti ita id accipiunt, ut, cum archontes duo in fastis inveniantur, qui eorum postea processit, ea nota adiecta a priore distinguatur; nec sane quicquam obstat, quominus duorum regum Thraciae qui praeterea eo nomine fuerunt alter uter ante a. 37 Athenis archon creatus sit. Attamen cum fieri possit, ut eo tempore Thracia sub regibus duobus eiusdem nominis fuerit (v. p. 256), Rhoemetalca Rhescuporidis f. Sadalae nepote et Rhoemetalca Cotyis f. Sadalae pronepote, sic quoque recte distingui potuerunt Rhoemetalcae duo senior iuniorque.

[3]) Syncellus p. 631 ed. Bonn.: Κλαύδιος ... Κέλτους καὶ Βρεττανοὺς ὅπλοις ἀνδρείως ὑπηγάγετο, ὁμοίως καὶ Θρᾷκας, ἀναιρεθέντος αὐτῶν τοῦ βασιλέως Ῥυμητάλκου ὑπὸ τῆς ἰδίας γαμετῆς. Eusebius ad a. Abr. 2062 (= p. Chr. 46): Θράκη ἀπὸ τοῦδε τοῦ χρόνου ἐπαρχία ἐχρημάτισε βασιλεύουσα πρίν. — Causa nulla est, cur Rhoemetalcen eum qui periit c. a. 46 non eum ipsum credamus qui c. a. 19 infans etiamtum patri successit. Si quis contendat aut hunc patrem esse, illum filium, aut regem interfectum a. 46 fuisse Rhoemetalcen Rhescuporidis filium, aetatis rationes minus recte conveniunt, quamquam tam hanc quam illam ratiocinationem admitti posse non nego.

Quo mortuo Thraces in provinciae formam redacti sunt[1]) et cum rebellarent, armis Romanorum devicti[2]). Eodem tempore Apros colonia deducta est Claudia[3]).

10. Polemo Cotyis et Antoniae Tryphaenae filius alter quin et ipse a Gaio imperatore regnum pariter atque frater acceperit a maioribus ipsius quondam obtentum, dubitari non potest post repertum titulum Cyzicenum id ipsum disertis verbis enuntiantem[4]). Nec de ea re auctores tacent, sed non recte eam tradiderunt; scilicet Dio cum narrat (p. 257 adn. 4) Gaium simul Thraciam adsignavisse Rhoemetalcae et Polemoni Polemonis filio regnum paternum Pontum Polemoniacum, ibi iam apparet vere agi de Polemone Polemonis regis Ponti non filio, sed ex filia nepote, filio autem Cotyis regis Thraciae, solvunturque ita felici decreti Cyziceni inventione quae de Ponti regibus dubia adhuc manserunt. Nam constat hodie Polemonem regem Ponti Pythodoridis maritum diem obiisse c. a. 746, eo autem defuncto uxorem regnum tenuisse certe cum Augustus excessit[5]) scripsitque Strabo[6]), id est ad a. p. Chr. 19. Deinde de Ponti regno quid factum sit ad a. p. Chr. 37, non traditur; eo autem anno regnare coepisse Polemonem et Dionem tradere vidimus et nummi Polemonis alterius confirmant annos regni habentes qui currant ab anno aut 37 p. Chr. aut 38[7]). Praeterea in quibusdam eorum nummorum ab altera parte caput cernitur muliebre cum adscriptione *βασιλίσσης Τρυφαίνης*[8]). Eum Polemonem filium esse

---

[1]) A Vespasiano demum qui provinciam Thraciam constitutam esse dicunt, decepti sunt falsa lectione apud Suetonium Vesp. 8 *Thraciam Ciliciam* pro eo quod est *trachiam Ciliciam*. Recte de ea re post alios nuper egit Marquardt *Staatsverwaltung* 1, 157.

[2]) Armis libertatem defendisse Thracas Syncellus ait (l. c.), ut antea fecerant a. 26 (Tacitus ann. 4, 46). Tacitus ubi ad a. 53 (ann. 12, 63) ait Byzantios *Thraecio Bosporanoque bello recens fessos*, intellegit Thraecium a. 46 (cuius anni res gestae apud Tacitum desiderantur) Bosporanumque a. 49. Eam ipsam expeditionem significat opinor titulus Castulonensis II n. 3272 (cf. n. 2079) *praefecti vexillariorum in Trachia XV*; nam legiones duas, quarum vexillationibus bellum id gestum esse traditur, [V Mace-]donicam et VIII Augustam, Claudii Neronisque tempore vicinae Moesiae praetendisse aut certum est aut probabile. — Anno 66 p. Chr. Thracia obtinebatur praesidio Romano militum quattuor milium (Ioseph. bell. Iud. 2, 16, 4).

[3]) Vol. V n. 386 = Orell. 512.

[4]) Ἐπεὶ ... Γάιος Καῖσαρ Σεβαστὸς Γερμανικὸς .... του; Κότυος ... παῖδας Ῥοιμητάλκην καὶ Πολέμωνα καὶ Κότυν ... εἰς τὰς ἐκ πάντων καὶ (sic) προγόνων αὐτοῖς ὀφειλομένας ἀποκαθέστακεν βασιλείας.

[5]) Sallet *Beiträge zur Gesch. und Num. des Königs des Pontus* p. 69. Waddington *mélanges de numism.* 2, 115.

[6]) Strab. 12, 3, 9 p. 555. Cf. Ephem. 1, 270.

[7]) Sallet l. c. p. 71 seq.

[8]) Sallet l. c. p. 7

natu maiorem Polemonis et Pythodoridis, Tryphaenam autem eius uxorem praeterea ignotam adhuc plerique statuerunt; neque aliter statui potuit, si quidem Dio loco citato non erravit. At opinionem vulgo receptam evertit Waddington eo quod observavit Polemonem eum, qui a. 38 rex factus est, in nummis anni tertii vultum prae se ferre pueri annorum fere quindecim [1], cum Pythodoridis filius natu maior eo tempore annos non potuerit habere minus quinquaginta. Propterea ego [2]) coniecturam proposui Pythodoridi successisse non filium, sed nepotem, Dionem autem errore paternum regnum dixisse, quod esset avitum; idque si non verum, certe a vero prope abesse iam apparet. Fuit enim Polemo alter vere Pythodoridis nepos, ex filia tamen, non ex filio, filius autem Cotyis. Nam postquam comperimus Polemonis matri nomen fuisse Antoniae Tryphaenae, imperatores autem, qui ab Antonio IIIviro originem traherent, eius mulieris propinquae suae filiis summopere favisse, Tryphaenam in nummis Polemonis repraesentatam iam nemo negabit non uxorem eius esse (cum praesertim aliunde compertum sit uxorem Polemonem duxisse Berenicen regis Herodis filiam [3]), sed matrem, item vel propter solum Tryphaenae nomen nummis suis inscriptum Polemonem alterum omnino ad stirpem Cotyis referendum esse [4]). Ita hoc quoque intellegitur Tiberium in Ponti regno id ipsum fecisse, quod fecit in Thracia, scilicet Pythodoride aut mortua aut a regno remota non liberis eius id tradidit, sed sibi retinuit. Gaius autem cum imperare coepit, deficiente videlicet stirpe Polemonis virili cognomini nepoti eius ex filia consobrina regi Thraciae nupta regnum Polemonis tradidit, id est Pontum et Bosporum; quorum Bosporum, cum Claudius regnare coepit a. p. Chr. 41, Polemo cum Ciliciae parte permutare coactus est [5]), Pontum retinuit ad a. p. Chr. 63, quo Nero eum in provinciae formam redegit [6]).

11. Cotys Cotyis et Antoniae Tryphaenae filius tertius quo tempore fratres maiorum regna adepti sunt, et ipse teste decreto Cyziceno regnum obtinuit, quod sub maioribus suis olim fuisset (p. 259 adn. 4). Ad-

---

[1]) Waddington l. c. p. 117.

[2]) Ephem. l. c. p. 271. Cf. Waddington l. c. p. 120.

[3]) Ioseph. 20, 8, 3.

[4]) Curtius in actis menstruis citatis p. 20 recte vidit Tryphaenam in nummis Polemonis memoratam eandam esse atque quae nominatur in titulo Cyziceno; minus recte Polemonem iudicat sorori hunc honorem habuisse. Nam ut mittam talia uxori matrive magis convenire quam sorori, accedit quod Polemo is cuius extant nummi propter aetatem non potest fuisse filius Polemonis Pythodoridis mariti. Proinde Tryphaena non soror eius fuit, sed aut amita aut mater.

[5]) Dio 60, 8. Ioseph. 20, 8, 3.

[6]) Suet. Ner. 18. Marquardt *Staatsverwaltung* 1, 202.

sentiunt auctores, cum eum eo tempore tradunt factum esse regem Armeniae minoris [1]); ea enim et ipsa avo ipsius Polemoni aliquando paruerat [2]).

Stemma subiecimus regum Thraciae et Bospori, prout ex ratiocinationibus nostris iam constituendum est.

---

[1]) Dio l. c. p. 257 adn. 4. Tacitus ann. 11, 9 ad a. p. Chr. 47: *rex minoris Armeniae Cotys.* Ioseph. 19, 8, 1.

[2]) Dio 49, 33: ὥστε ... τῷ Πολέμωνι μισθὸν τῆς κηρυκείας τὴν μικροτέραν Ἀρμενίαν μετὰ ταῦτα δοῦναι. c. 44.

Sadala
rex Thraciae
a. 679
⋮
Cotys
rex Thraciae
a. 697. 706
|
Sadala ◡ **Polemocratia**
rex Thraciae,
† a. 712

Cotys
rex Thraciae † ante
a. 738

Rhescuporis
rex Thraciae
impubes a. 738,
† a. 743

liberi

Rhoemetalces
rex Thraciae a. 743
† ante a. $\frac{765}{12}$
|
Cotys ◡ **Antonia Tryphaena**
rex partis Thraciae † ante
a. $\frac{772}{19}$

Rhescuporis
rex partis Thraciae
remotus a. $\frac{772}{19}$
|
Rhoemetalces
rex partis Thraciae
ab a. $\frac{772}{19}$
ad a. certe $\frac{779}{26}$

Antonia ⌣ M. Antonius IIIvir ⌣ Octavia

Zeno rhetor Laodicenus | Pythodorus ⌣ Antonia | Nero Drusus ⌣ Antonia

Polemo Eusebes rex Ponti Ciliciae Bospori Armeniae minoris factus a. 715, † c. 746 ⌣ Pythodoris Philometor nata c. a. 720, superstes a. $\frac{774}{21}$ ⌣ Archelaus rex Cappadociae † a. $\frac{770}{17}$ | Germanicus | Claudius

…tys …hra…ae ⌣ Antonia Tryphaena | *filius natu maior* | Zeno = Artaxia rex Armeniae maioris factus a. $\frac{771}{18}$, obiit a. $\frac{788}{35}$ | Gaius

…oemetalces …rtis Thraciae …s sub tutore a. $\frac{772}{19}$; …ost ab a. $\frac{790}{37}$ …d a. $\frac{799}{46}$ | Polemo rex Ponti et Bospori ab a. $\frac{790}{37}$ ad a. $\frac{816}{63}$, deinde dominus Olbae ⌣ Berenice regis Herodis filia | Cotys rex Armeniae minoris ab a. $\frac{790}{37}$


M. Antonius Polemo dominus Olbae

M. Antonius Zeno sacerdos Laodiceae.

XVIII. DEDICATIO FACTA OB VICTORIAM DE TACFARINATE.

Misit mihi ex Trapani oppido Siciliae comes Franciscus Hernandez de Carrera titulum qui sequitur sub *A* repertum ad Erycem montem adservatumque hodie domi suae et a se curiose descriptum; eundem descriptum dedit Bardtius. Litterae carminum minutae sunt et pravae.

A.



Apronii nomen cum in novo fragmento bis legatur, item tertium in Gualtheriano, praeterea facile intellegatur dedicationem hanc oblatam esse propter Aproniorum duorum patris filiique pugnam cum Gaetulis, iam quo pertineat, explicat Tacitus tertio annali (c. 21) enarrans bellum a L. Apronio proconsule Africae imperante Tiberio a. p. Chr. 20 gestum adversus Tacfarinatem ducem Numidarum Musulamiorum et finiens sic: (*Tacfarinas*) *postquam deflexit ad maritimos locos, inligatus praeda stativis castris adhaerebat. Missu patris Apronius Caesianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam fecit pellitque in deserta.* Ita cum argumentum carminum interviderem, ipsa Buechelero tramisi rogans, ut eorum restituendorum periculum faceret. Quod ita perfecit, ut spem quam habebam eventus longe superaret; nec committere volui, ut carmen propter rerum memoriam memorabile nec per se spernendum iam egregie resartum diutius lateret.


Quod fragmentum ut beneficio duorum illorum virorum mihi innotuit, statim compertum est eiusdem tituli aliud frustum dudum circumferri descriptum olim a Georgio Gualthero in oppido Montis S. Giuliani in domo Antonii Cordice (p. 40 editionis prioris, p. 23 n. 152 secundae); repetiverunt id Torremuzza p. 289 et Mur. 762, 3 et anthologiarum editores Burmannus 4, 28 et Meyer n. 1463. Ipsum dudum videtur interiisse; datur autem ab unico quem habemus auctore sic ut nos expressimus sub *B*.

B.

M	
	DIVOR . . . . .
	MVT . . . . .
D	FILIVS APRONI MAIC .
	CAETVLAS · GENTES · Q. . . . .
	EFFIGIEM · CARI GENITOR . . . . .
. . DVXQVE	AENEADVM ALMA PARENS . . . . .
LVCTOR	ARMAQVE · QVAE · GESSIT · SCVTO . .
SVMPTAE	QVANTA PATET VIRTVS ENS . . . .
. OCARAT	CAEDIBVS ATTRITVS CONSVMMATQVE
. ICVI	QVA · CECIDIT · POSVI · BARBAR . . .
	QVO · NIHIL · EST · VTRIQVE · MAGIS · VENER . .
	HOC TIBI SACRARVNT · PILIVS ATQV . . . . .
	CAESARIS · EFFIGIEM · POSVIT · PE . .
	CERTAVIT · PIETAS SV . . . . . .

Editio prior Panormitana, quam propter mendas ipse Gualtherus damnavit, differt in his: 1, 1 VDDVXQVE — 3 QVMPTAE — 4 om. — 5 ICHT — 2, 4 GENTES CL . . . — 6 PARFN . . . — 9 CONSVMATQ. . . . — 10 POSVIT — 12 TIBI. Ibidem PILIVS est in utraque editione. Haec ex perrari libri exemplari invento Romae in bibliotheca Alexandrina amici mihi enotaverunt.

Fragmenta duo ita se exceperunt, ut quattuor carminum dedicationi olim subscriptorum, quorum reliquiae supersunt, prius habeat primi extrema, secundi principia, alterum secundi extrema et tertii quartique principia. Praeterea alia carmina olim a sinistra perscripta fuisse respondentia iis quae habemus ex reliquiarum dispositione colligitur. Totius monumenti formam hanc fere fuisse Buechelerus coniecit non improbabiliter:



[*L. Apronius L. f. Caesianu*]*s VII vir*[*um epulonu*]*m*
[*de sua pecunia Vene*]*ri Erucinae* [*d.*] *d*

I.

[A patre hic missus Libyae procon]sule bella
[prospera dum pugnat, cecidit Maurus]ius hostis.

II.

Felicem gladium [tibi qui patrisque dicavit]
Aproni effigiem, [natus belli duce] duxque,
hic idem fuit: hic [claro certamine vi]ctor
praetextae positae [causa pariterque re]sumptae
septemvir puer han[c genitor quam rite r]ogarat,
Caesar quam dedera[t, vestem tibi, sancta, rel]i[q]ui[t].

III.

Divor[um . . . .
mut[ua . . .
filius Aproni maio[r quam nomine factis]
Gaetulas gentes q[uod dedit ipse fugae,]
effigiem cari genitor[is, diva, locavit,]
Aeneadum alma paren[s, praemia iusta, tibi]
armaque quae gessit: scuto [per volnera fracto]
quanta patet virtus! ens[is ab hoste rubet]
caedibus attritus, consummatque [hasta tropaeum]
qua cecidit [f]os[s]u[s] barbar[us ora ferus.]

IV.

Quo nihil est utrique magis vener[abile signum,]
hoc tibi sacrarunt [f]ilius atqu[e pater:]
Caesaris effigiem posuit p[ar cura duorum:]
certavit pietas, su[mma in utroque fuit.]

[*Curante*] L. *Apronio* [*L. l.*] . . . . . .

Ex Aproniis duobus, ad quos carmina pertinent, pater L. Apronius C. f. C. n. (nomen legitur plenum in fastis Capitolinis vol. 1 p. 442) primum nominatur propter fortem felicemque operam navatam in bello Delmatico a. p. Chr. 6-9 teste Velleio 2, 116: *celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus vir consularis* (fasces is gessit a. p. Chr. 5) *praepositus Delmatiae ornamenta meruit triumphalia . . . . Postumi operum L. Apronius particeps illa quoque militia eos quos mox consecutus est honores excellenti virtute meruit.* Quo loco tum fuerit, non satis constat; videtur autem ob ea gesta ornatus esse consulatu, quem gessit secundo semestri a. p. Chr. 8. Deinde quo tempore Germanicus praefuit Galliis et Germaniis, inter duces ei additos etiam Apronius fuit (Tacitus ann. 1, 56) obtinuitque propter res in Germania gestas a. 15 ornamenta triumphalia (Tacitus ann. 1, 72), ad quem honorem apparet Velleium quoque respicere loco supra laudato [1]). In urbem reversus ante Septembrem a. 16 [2]) mox proconsul Africae praefuit a. 18-20, qua de re fidem faciunt praeter Tacitum 3, 21. 4, 13 nummi municipiorum eius provinciae inscripti *permissu L. Aproni procos. III* (Müller *num. de l'Afrique 2, 155*) obtinuitque propter res in

[1]) *L. Aponius eques Romanus ex cohorte Drusi* a militibus exercitus Pannonici a. 14 ad Tiberium missus (Tac. ann. 1, 29) ab hoc nostro omnino diversus est, ut recte observavit Nipperdeius ad h. l., cum contrarium statuant et alii et nuperrime Henzenus (act. Arval. p. 177) nomine mutato et contra codicem et contra rationem.

[2]) Tacitus ann. 2, 32, quo refutatur, quod Nipperdeius pro Anteio Apronium Tacito ann. 2, 6 obtrusit.

Africa gestas ornamenta triumphalia denuo statuamque laureatam (Tacitus ann. 4, 23). Romae commoratus per annos sequentes (Tacitus ann. 3, 64. 4, 13. 22.) legatus Germaniae inferioris factus est a. 28 (Tacitus ann. 4, 73. 11, 19); nam eam legationem qui filio tribuunt eo tempore nondum consuli facto, graviter errant. Recte autem opinor ad eum rettulerunt viri docti titulum Mogontiacensem (Orell. 2976 = Brambach 937) mulieris cuiusdam civis Romanae *natione Nerviae inmunis benefic(io)* [*L.*] *Aproni.* Legationem Germaniae, in qua cladem a Frisiis accepit, eum protraxisse ad a. 34 non satis certo efficitur ex Taciti loco 6, 30: *Gaetulicus ea tempestate superioris Germaniae legiones curabat mirumque amorem adsecutus erat effusae clementiae, modicus severitate et proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingratus.* Lentulus Gaetulicus consul a. 26 cum per decem annos Germaniae superiori praefuisset, periit imperante Gaio a. 39 (Dio 59, 22). Sed quamquam eodem tempore Tiberius socerum inferiori, generum superiori exercitui praefecisse videtur, ut nihil impedit ita nihil cogit ut utrumque ad mortem usque Tiberii in eodem officio permansisse statuamus. Utut est, eo quo Velleius scripsit tempore a. 30 Apronius etiamtum in vivis videtur fuisse. Postea non commemoratur et ut Tiberii tempora effugerit, propter exactam aetatem diu superesse non potuit. Satis autem apparet L. Apronium et propter militarem industriam et propter fidem adversus imperatorem ab adulatione (Tacitus ann. 2, 32) non alienam inter principes aetatis Tiberianae viros locum conspicuum obtinuisse.

Praeter filias duas, quarum nupsit altera, ut modo vidimus, Lentulo Gaetulico consuli a. 26, altera Plautio Silvano praetori a. 24 (Tacitus ann. 4, 22), filium habuit L. Apronium Caesianum, cuius plenum nomen servant fasti Antiates vol. 1 p. 327 et acta Arvalium a. 39 (p. XLVIII Henzen). Meruisse eum a. p. Chr. 20 in Africa sub patre supra ex Tacito rettulimus, confirmantque carmina. Legatum eum patri in Africam ivisse adhuc viri docti statuerunt non sine probabilitate; at cum iam ex carmine intellegatur filium eo tempore pueritiam vix egressum neque ullo magistratu etiamtum functum pugna tempore non senatoris, sed equitis Romani loco fuisse, non legatus patrem comitatus est, sed aut tribunus militum legionis ivit aut comes tantummodo et contubernalis. Septemviratum eum mox accepisse propter laudem bello sibi partam ex hoc titulo colligitur; scilicet cum propter aetatem magistratus capessere non posset, sacerdotio exornatus est (cf. Liv. 40, 42, 8. 42, 28, 13). Deinde a. 39 cum ipso imperatore Gaio fasces eum gessisse fasti Antiates et acta Arvalium docuerunt ita comparata, ut non iterum tum, sed primum eum consulem factum esse ostendant; quod moneo propter errorem a Nipperdeio in adnotatione ad Tacitum ann. 3, 21 commissum. Praeterea memoria eius non extat, nisi quod ad eum pertinere videntur quae Plinius tradit h. n. 11, 37, 213: *L. Aproni consularis viri filio detractos adipes levatumque corpus immobili onere.* Apud eundem quae nominantur *cerasa Aproniana* (h. n. 15, 25, 102) unde nomen traxerint, ignoratur.

Supplementa carminibus addita quamquam pro re ad verbum praestari nequeunt, rerum argumenta sententiarumque ordinem nexumque Buechelerus sine dubio ita adsecutus est, ut perpauca sint, de quibus iusta dubitatio supersit.

Primo carmine quatenus intellegi potest victoria de Tacfarinate celebratur in universum.

Secundo dedicatur non tam praetexta sacerdotalis, scilicet ea quam primam induerat Caesianus septemvir epulo a Ti. Caesare creatus, quam Apronii filii effigies praetexta ea induti; eo enim ducit quod est v. 3 *hic idem fuit.* Conferri potest quod ait Valerius Maximus 3, 1, 1: *Aemilius Lepidus puer etiamtum progressus in aciem hostem interemit, civem servavit, cuius . . . operis index est in Capitolio statua bullata et incincta praetexta senatus consulto posita*, item nummus eam statuam proponens addito titulo *M. Lepidus an(norum) XV pr(ogressus) h(ostem) o(ccidit) c(ivem) s(ervavit) (röm. Münzwesen p. 634).* — Utriusque fragmenti reliquiae quomodo coagmentandae sint, intellegitur maxime ex huius carminis v. 4, ubi inter se opponuntur praetextae duae puerilis posita et sacerdotalis sumpta.

Tertia pagina duo epigrammata continet, quorum altero filius dedicat effigiem patris una cum armis quae gessit in pugna illa Africana, altero pater filiusque effigiem Tiberii. — Ad v. 7 cf. Ovidius ex Ponto 4, 7, 38: *parsque fere scuti vulnere nulla vacat.* — Hastam ne quis contendat duci Romano parum convenire, Buechelerus haec adscripsit: 'Quod in nummis 'Augustus hastam tenet ut Roma dea aliique, id fortasse non ad vitam in'stitutum est, sed ad artem; nec plus tribuendum est poetae (Propertio '5, 6, 56) Augustum in pugna Actiaca sic facienti cum Apolline prorumpere: '*proxima post arcus Caesaris hasta fuit.* At monstravit mihi Kekuleius 'collega Traianum hastam iaculantem in hostem in arcus triumphalis hodie 'Constantini imagine (Bartoli admir. tab. 11; Rossini *archi trionfali* tab. 73). 'Ibidem (Bartoli tab. 18; Rossini tab. 71, 5) cernitur iuxta imperatorem 'stans dux Romanus, legatus ut videtur tribunusve, hastam tenens. In 'columna Traiani Froehnero teste p. 93 editionis minoris imperator hastam '(*un javelot*) tenet, quam ut in oppugnatione castelli vix credideris hastam 'puram. Etiam Statius silv. 3, 2, 16 de Celere legato Augusti quid? *fortis* '. . . *iaculo*, nihil aliud armorum adiciens. Denique ut neges hastam 'inter legitima arma Apronii pueri fuisse, quamquam non negabit qui inspexe'rit monumenta illa, potuit gregario eam eripuisse et ita consummare tropaeum.' — 10 in POSVI quid insit, satis adsequi non potuimus. Potuit hoc loco nominari dux Numidarum ab Apronio interfectus et in tabula scripta litteris pravis vocabulum aliquod Numidicum, ut est *Bocut* (sic enim Bogudis regis nomen nummi enuntiant), a Gualthero cum eo quod dedit confundi. Sed religioni fuit coniecturam tam incertam rerum memoriae inferre itaque id posuimus, quod ut fortasse non magis verum est, certe nocere non potest.

MOMMSEN.

Prodiit d. 12. Aug. 1874.

Formis Academicis (G. Vogt).

SC. DE NVNDINIS SALTVS BEGVENSIS.

In radice saltuum illorum quibus planities Sufetulensis et Sufetana separatur ab ea quae occidentem versus extenditur usque ad montes, qui ut olim inter provinciam proconsularem et Numidiam ita hodie inter regnum Tunetanum Algeriamque finem constituunt, a monte qui hodie Djebel Semmema dicitur septentrionem versus, meridiem et occidentem versus ab Djebel Tauvuscha, hic illic ruinae inveniuntur circuitus ita parvi vix ut vicorum reliquiae fuisse videantur. Eodem omnes nomine ab Arabibus nunc in iis locis habitantibus *Hanschir*[1]) *el Begar* appellantur. Victor Guérin, qui primus ante hos fere quindecim annos illam regionem perscrutatus est, incidit ibi in monumentum omnium quae ex provincia proconsulari innotuerunt facile gravissimum hoc est in tabulam lapidis calcarii altam 1 m. 64 cent., latam cent. 80, viginti novem[2]) versibus inscriptam: eam ipsam autem ita deletam repperit ut de lectione maioris partis eius desperaret nec nisi versus undecim postremos describeret.[3]) Post eum ante me nemo quod sciam loca illa non nimis tuta adiit; ipse autem ea adii sperans mihi fortasse in hoc quoque monumento rem melius successuram esse. Primas ruinas quas Begar nominari incolae mihi dicebant, frustra pervestigaveram, item secundas, denique in tertiis iam antequam de equo descenderem haud procul ab ruderibus satis amplae porticus quadratae ingentibus postibus fultae, conspexi lapidem adhuc eodem fortasse loco stantem, quo stetit olim cum nundinae in eo commemoratae ibi habebantur. Porticus illius titulus si qui unquam fuit, aut periit aut sub terra latet: sine dubio autem ipsa

---

[1]) *Hanschir* in regno Tunetano omnino veterum oppidorum ruinae vocantur.

[2]) Triginta male dixit Guerinius.

[3]) Guérin *voy. arch.* 1 p. 391: *malheureusement toute la partie supérieure a été rongée par une sorte de lichen qui a altéré profondément la plupart des caractères, ce qui ne m'a permis de déchiffrer qu'un petit nombre de mots dans les dix neuf premières lignes; les onze dernières sont beaucoup plus faciles à lire.*

mercatui destinata erat atque lapides ante eam dispersi fundamentaque parva quorum vestigia hic illic distingui possunt erant tabernarum in quibus negotiantes merces venales emptoribus proponebant pretiaque frumenti et animalium emptorum venditorum solvebantur: ut decurio quidam Mursae *ob honorem flaminatus tabernas quinquaginta cum porticibus duplicibus in quibus mercatus ageretur* [1]) aedificavit.

Post quattuor horas et praescripta magnam partem versuumque sequentium particulas aliquot legeram et cum Gueriniano exemplo contuleram versus postremos, qui cum terra tecti sint tam bene conservati sunt ut eos heri incisos esse dixeris: tum continuo labore solisque meridiani radiis fessus destiti et ectypo facto ruinas circumiacentes percurrere coepi. Ecce alius mihi offertur lapis ei quem modo reliqueram simillimus sed minus alte ex terra prominens: erat aliud eiusdem tituli exemplum. Versus novem priores in eo etiam magis evanuerunt, cum ibi lapidis superficies maximam partem omnino exesa sit, sed in reliqua inscriptione tota ne una quidem littera invenitur de cuius lectione dubitari possit. In altero hoc lapide effodiendo abluendo purgando describendo denique huius quoque ectypo faciendo diei horae quae supererant consumptae sunt, neque denuo ad exemplum Guerinianum reverti potueram locum, ubi noctem agerem, quaerere coactus. Repperi eum in tentorio spurcissimo collocato sub pinis humilibus saltus Beguensis, qui hodie Changet Msahel dicitur, apud ipsos opinor Musulamiorum veterum posteros. Nam mihi quidem constat gentem hodie Uled Omran dictam, quae planitiem illam saltusque incolit, cum facie totoque corporis habitu magnopere differat ab gentibus circum habitantibus, haudquaquam Arabes esse genere: inimicitiaeque illae et latrocinia quibus post hominum memoriam longe lateque regiones finitimas infestant nescio an ex primis imperii Arabici temporibus ipsisque veterum incolarum contra novos dominos dimicationibus originem ducant. Fortasse igitur montes non nomina tantum antiqua [2]), sed etiam homines servarunt.

In patriam reversus quae in re praesenti descripseram summa cura contuli cum ectypis meis plenis confectisque atque ex iis supplevi, quae in Africa temporis angustiis pressus legere non potueram: quae ita erui infra p. 4. 5 proposui.

---

[1]) Corp. 3. 3288.

[2]) Nomina antiqua Beguensis (a Begua, ut videtur) et Musulamii in Begar et Msahel conversa sunt. Haud pauca eiusmodi conversionum exempla afferre cum possim, unum sufficiat. Notus regni Tunetani mons vicusque in eo situs hodie appellatur Kissera. Eum ita appellatum esse narrarunt mihi Arabes, quia ibi Mohammetus olim, cum exercitus Musulmanorum bellum gerens contra infideles magna fame premeretur, viginti millia hominum parvulo frusto panis satiavisset: *Kissera* enim lingua arabica est *frustum* (*panis*). At ego in ipso illo vico, qui eodem loco situs est ubi olim Romanum oppidum fuit, inscriptionem repperi, in qua id *Chusira* vocatur: apparet nomen hodiernum antiquum esse corruptum.



Ita igitur legendum est:

S(enatus) c(onsultum) de nundinis saltus Beguensis in t(erritorio) Casensi.

Descriptum et recognitum ex libro sententiarum in senatu dic[ta]rum k(apite) septimo (?) T. Iuni Nigri C. Pomponi Camerini co(n)s(ulatu), in quo scripta erant A[frica]ni iura et id quod i(nfra) s(criptum) est.

In comitio in curia; [scr]ibundo adfuerunt Q. Salonius (?) Q. f. Qui. Longus (?) ....m.. Quar[t]inus, C. Oppius C. f. Vel. Severus, C. Fi... ...., [Sex. Eru]ciu[s] M. f. Quir. Clarus, P. Cassius L. f. Aem. Dexter q(uaestor), P. Nonius M. f. Ouf.(?) Macrinus q(uaestor); in senatu fuerunt C...

S(enatus) c(onsultum) per discessionem factum.

Quod P. Cassius Secundus, P. Delphius Peregrinus Aleius Alennius Maximus Curtius Valerianus Proculus M. Nonius Mucianus co(n)s(ules) verba fecerunt de desiderio amicorum Lucili Africani c(larissimi) v(iri), qui petunt:

ut ei permittatur in provincia Afric(a), regione Beguensi, territorio Musulamiorum, ad Casas, nundinas IIII nonas Novemb(res) et XII k(alendas) Dec(embres), ex eo omnibus mensibus IIII non(as) et XII k(alendas) sui cuiusq(ue) mensis instituere habere,

quid fieri placeret, de ea re ita censuerunt:

permittendum Lucilio Africano c(larissimo) v(iro) in provincia Afric(a), regione Beguensi, territorio Musulamiorum, ad Casas, nundinas IIII non(as) Novembr(es) et XII k(alendas) Decembr(es) et ex eo omnibus mensibus IIII non(as) et XII k(alendas) sui cuiusq(ue) mensis instituere et habere eoque vicinis advenisq(ue) nundinandi dumtaxat causa coire convenire sine iniuria et incommodo cuiusquam liceat.

Actum idibus Octobr(ibus) P. Cassio Secundo M. Nonio Muciano.

Eodem exemplo de eadem re duae tabellae signatae sunt.
Signatores. T. Fl(avi) Comini scrib(ae),
C. Iuli Fortunati scrib(ae),
M. Caesi Helvi Euhelpisti,
Q. Metili Onesimi,
C. Iuli Periblepti,
L. Verati Philerotis,
T. Fl(avi) Crescentis.

Exemplum a Guerinio repertum:

S C DE NVNDINIS SALTVS BEGVENSIS INT
CASENSI DESCRIPTVM · ET RECOGNITVM EX LIBRO SEN
TENTIARVM IN SENATV DIC//RVM KVII TIVNI NIGRI C POMPO
NI CAMERINI COS IN QVO SCRIPTA ERANT AIII//NI IVRA ET ID
QVOD · I · S · EST ////////////////////// IBVNDO
ADFVERVNT · Q SA/ONIVS Q F OVI /NGVS //////// M I QVAR/INVS
C OPPIVS C F VEL SEVERVS ///////// CII VI ///////////////
M F QVIR CLARVS P CASSIVS L F AEM DEXTER Q P NONIVS M F OVI MA /
RINVS Q IN SENATV FVERVNT C ////////////////////
//OD P CASSIVS SECVNDVS P DELPHIVS PEREGRINVS ALEIVS ALEN
NIVS MAXIMVS ///////// ALERIANVS PROCVL ///////////////
sic NVS COSS VERBA FECERVNT DESIDERIO AMICORVM LVCILI AFRICA
NI C V QVI PETVNT VT EI PERMITTATVR IN PROVINCIA AFR REGIONE
///// NSI TERRITORIO MVSVLAMIORVM AD CASAS NVNDINAS
IIII · NON · NOVEMB · ET · XII · K DEC EX EO OMNIBVS MENSIBVS
IIII · NON · ET · XII · K · SVI CVIVSQ · MENSIS INSTITVERE HABERE QVID
FIERI · PLACERET · DE EA RE ITA CENSVERVNT
PERMITTENDVM · LVCILIO · AFRICANO · C · V · I// /ROVINCIA AFRIC
REGIONE · BEGVENSI · TERRITORIO · MVSVLAMIORVM · AD · CASAS
NVNDINAS · IIII · NON · NOVEMBR · ET · XII · K · DECEMBR ET EX EO OM
NIBVS · MENSIBVS · IIII NON ET XII · K · SVI CVIVSQ MENSIS IN
STITVERE ET · HABERE EOQVE · VICINIS · ADVENISQ · NVNDINANDI
DVMTAXAT · CAVSA · COIRE CONVENIRE · SINE INIVRIA · ET · IN
COMMODO · CVIVSQVAM LICEAT ❦ . ACTVM IDIBVS OCTOBR
P CASSIO SECVNDO · M · NONIO · MVCIANO · EODEM · EXEMPLO
DE EADEM · RE · DVAE · TABELLAE · SIGNATAE · SVNT · SIGNATORES
T · FL · COMINI·SCRIB · C·IVLI · FORTVNATI · SCRIB · M · CAESI · HELVI
EVHELPISTI · Q · METILI · ONESIMI · C · IVLI · PERIBLEPTI
L · VERATI · PHILEROTIS · T · FLAVI CRESCENTIS

3 litterae VII post K omnino dubiae sunt. 6—8 ita evanidi sunt ut ne ea quidem quae dedi ubique satis certa sint. 6 fortasse *Q. Salonius Q. f. Ouf.* [vel *Qui.*] *Longus*, sed vestigia litterae quae inter SA et ONIVS visuntur ad B vel R potius quam ad L pertinere videntur. 12 in hoc exemplo non est DE DESIDERIO.

Exemplum alterum:

S C DE NVNDINIS SALTVS BE / / / / / / / /
/ /
/ /
MERI /
IN COMITIO IN CVRIA / Q S / / /
NIVS Q F OVI / / / NCVS /
/ / / / EVERVS C FI / / / / / / C F / / / / / / / / / / / CIV / / / QV/ /
CLARVS P CASSIVS / / / / / / / / / / / / / / / / / / NONIVS M/ / VI MACRI
NVS Q IN SENATV FVERVNT C/ / / /
S C PER DISCESSIONEM FACTVM . QVOD P CASSIVS SE
CVNDVS P DELPHIVS PEREGRINVS · ALEIVS · ALENNIVS · MAXI
MVS CVRTIVS VALERIANVS · PROCVLVS · M · NONIVS · MVCIANVS
COSS VERBA FECERVNT DE DESIDERIO AMICORVM LVCILI AFRI
CANI CV QVI PETVT VT EI PERMITTATVR IN PROV AFRIC REGIONE
BEGVENSI TERRITORIO MVSVLAMIORVM AD CASAS NVNDINAS
IIII · NONAS · NOV ET · XII · K DEC · EX · EO OMNIBVS MENSIB IIII NON
ET · XII · K · SVI · CVIVSQ · MENSIS INSTITVERE HABERE · QVID FIERI
PLACERET DE EA RE ITA CENSVERVNT PERMITTENDVM · LV
CILIO · AFRICANO C · V · IN PROVINC AFRIC · REGIONE · BEGVENSI
TERRITORIO MVSVLAMIORVM · AT CASAS NVNDINAS · IIII · NON
NOV · ET · XII · K DEC · ET · EX EO OMNIB · MENSIB · IIII · NON · ET · XII · K
SVI · CVIVSQ · MENSIS · INSTITVERE · ET · HABERE · EOQ · VICINIS
ADVENISQ NVNDINANDI · DVMTAXAT · CAVS · COIRE · CONVE
NIRE · SINE · INIVRIA · ET INCOMMODO · CVIVSQVAM LICEAT
ACT · IDIBVS · OCT · P · CASSIO · SECVNDO · M · NONIO · MVCIANO
sic EODE · EXEMPLO DE EADEM · RE · DVAE TABELLAE SIGNATAE SVN *sic*
SIGNATORES · T · FL · COMINI · SCRIB·C IVL · FORTVNATI · SCRIB
M · CAESI · HELVI · EVHELPISTI · Q · METILI · ONESIMI · C · IVL · PERI
BLEPTI · L · VERATI · PHILE ROTIS · T · FL · CRESCENTIS

Monumentum inscriptum *senatus consultum de nundinis saltus Beguensis in territorio Casensi* re vera non tam exemplum est senatusconsulti quam illius exempli, quod Roma in Africam ad ipsum ut videtur Lucilium Africanum missum est et ut publicam fidem haberet ita scriptum ligatum sigillis clausum fuerat, ut instrumenta apud Romanos scribi ligari sigillis claudi solebant. Ideo initio indicatur unde transscriptum sit et in fine addita reperiuntur signatorum civium Romanorum nomina septem, olim sigillis cereis in exteriore parte diptychi adposita.

Atque ut de tempore primum videamus, consules ordinarii noti sunt anni 138 p. C., primum tamen hoc loco pleno nomine appellantur cum praeterea et apud auctores et in titulis cognomina tantum Camerinus et Niger reperiantur: refellitur igitur antiquiorum coniectura qui alterum Sulpiciae alterum Quinctiae genti consulem tribuerunt. Sed quamquam consulatu senatusconsultum secundi saeculi esse indicatur, equidem titulos ipsos nullo pacto eodem tempore exaratos esse iudico, cui ne unius quidem litterae forma satis convenit. Sunt enim tenues et inaequales, hic illic caudis ornatae, omnino eius formae cuius esse solent in inscriptionibus post Diocletiani tempora vel certe post medium saeculum tertium incisis: praecipue formarum

ƈLREM pro CLREM

frustra opinor exempla saeculi secundi quaerentur. Saeculo igitur tertio exeunte exempla senatusconsulti aut renovata videntur esse aut omnino primum publice proposita. Quam accurate autem quadratarius exemplum antiquum expresserit orthographia nusquam corrupta ostendit; quin in compendiis scripturae in kalendis indicandis vetustum usum sequitur, cum ipsius aetate semper KAL scriberetur pro K aevi melioris, nec nisi in consulatu peccavit ubi COS in COSS mutavit, quod ante saeculum tertium medium non invenitur.

Consules suffecti noti sunt. Alter *P. Cassius Secundus* commemoratur in titulo Lambaesitano[1]) imperatori Hadriano a militibus stipendia emeritis dicato, in quo dicitur legatus Augusti pro praetore, scilicet legionis III Augustae in Numidia castra habentis; ex qua legatione cum statim ad consulatum provehi soliti sint, Secundus ea postremis imperatoris Hadriani annis functus videtur esse. Alterius qui initio senatus consulti vocatur:

P. Delphius Peregrinus Aleius Alennius Maximus Curtius Valerianus Proculus M. Nonius Mucianus, in fine simpliciter *M. Nonius Mucianus* novimus titulum ante consulatum ei a Veronensibus dedicatum[2]) in quo *M. Nonius M. f. Pob. Mucianus P. Delphius Peregrinus* appellatur et deinde honores ab eo gesti exhibentur: in monumento eo de quo agimus, ubi

---

[1]) Renier, Recueil n. 1.

[2]) Corp. V. n. 3343.

omnia nomina referuntur, nomina principalia in fine ponuntur, etiam praenomen, quod moneo, cum id ab usu recedat.[1])

Scribendo adfuerunt senatores numero septem, ex quibus ii qui postremo loco ponuntur quaestores sunt. Numerus ille utrum fortuitus sit an aetate imperatoria statutum, ut etiam in senatus consultis conscribendis septem testes adessent, non diiudico; notandum autem videtur esse curatorem actorum senatus inter eos qui scribendo adfuerint reperiri nullum; apparet igitur, id quod etiam aliis de causis verisimile est, in concipiendis consultis senatus eum versatum non esse sed ea iam conscripta accepisse atque ita in acta rettulisse, quibus praeter ipsa decreta etiam sententiae a patribus dictae, litterae ad senatum scriptae aliaque continebantur. Ex senatoribus iis de quorum toto nomine constat duo noti sunt:

C. Oppius C. f. Vel. Severus in inscriptione Auximi reperta[2]) vocatur *C. Oppius C. f. Vel. Sabinus Iulius Nepos M. Vibius Solemnis Severus*; in eodem titulo vivo Hadriano inciso consulatus eius mentio fit, ut eum a. 138 consularem fuisse constet.

P. Cassius L. f. Aem. Dexter sine patris nomine tribuque commemoratur in titulo Canusino[3]) uxori eius Anniae Rufinae dedicato, unde eum septemvirum epulonum fuisse discimus, idemque est Cassius Dexter et Cassius proconsul ad quem saepius rescripsit Imperator Antoninus Pius.[4])

P. Nonius M. f. Macrinus ignotus est: tribus videtur esse *Ouf(entina)* ut iam in Noniorum gente ex Gallia cisalpina ut videtur oriunda Veronensium Brixianorumque tribui[5]) tertia accedat Comensium Mediolanensiumve. Certa opinor coniectura quinto loco restitui nomen

[*Sex. Eru*]*ci*[*i*] *M. f. Quir. Clari* consulis iterum a. 146, cui optime conveniunt incerta quae adhuc visuntur litterarum vestigia: homo ipse notus est.[6])

De iis qui restant tribus

Q. Salonio (?) *Q. f. Qui.* (vel *Ouf.*) *Longo* (?)

. . . . *Quartino*

C. Fi. . . . . vel *C. Fl.* . . .

non habeo quod dicam, neque de *Lucilio Africano*, quamquam senatorii ordinis viro, genteve eius quae latifundia in provincia Africa possedisse videtur, quicquam reperire potui.

Signatores et ii, qui scribae dicuntur, et reliqui simul nominati cum libertini sint, absunt patrum nomina tribusque.

---

1) Mommsen Hermes 3 p. 76.
2) Gruter 446, 4.
3) Inscr. Neap. 645.
4) Ulp. Dig. 36, 1, 16 § 17; 40, 5, 30 § 6. Callistr. Dig. 42, 1, 31.
5) Corp. V p. 339.
6) cf. Mommsen Ind. Plin. ed. Keil p. 409.

Agitur in monumento de nundinis instituendis habendisque *in provincia Africa regione Beguensi territorio Musulamiorum ad Casas* vel ut supra minus accurate breviusque dicitur *de nundinis saltus Beguensis in territorio Casensi*. Musulamii saepius commemorantur. Narrat enim Florus[1]) de Augusto: *sub meridiano tumultuatum magis quam bellatum est. Musulamos atque Gaetulos accolas Syrtium Cosso duce compescuit*, quam victoriam a Velleio Dione Orosio quoque commemoratam Cossus a. 6 reportavit. Quae hic de sedibus Musulamiorum referuntur non ita intellegenda sunt quasi gens illa in ora maritima habitaverit vel in partibus Africae Syrtibus proximis: rhetor Romanus de geographia Africae idem fere novisse videtur quod nostrae aetatis viri docti plerique sciunt, scilicet eam meridie maris Tyrrheni sitam esse sinusque habere Syrtes appellatos, praeterea ibi reperiri leones deserta homines nigros, in Aegypto etiam hippopotamos. Gaetulos enim nunquam Syrtium accolas fuisse notum est, idemque de Musulamiis constat ex iis quae Ptolemaeus geographus Tacitusque de sedibus eorum tradiderunt. Ptolemaeus[2]) gentem quam *Μισουλάμοι* appellat sub Audo monte habitavisse scribit a Cirtensibus meridiem versus in occidentali parte Numidiae, Tacitus[3]) eam solitudinibus Africae propinquam Maurisque accolam dicit: quibus testimoniis ducti iam pridem recte viri docti Musulamios inter montes hodie Djebel Aurez dictos finesque Mauretaniae territorium habuisse statuerunt. Iam vero emergit aliud eorum territorium in media fere provincia proconsulari, longe remotum ab Audo monte Maurisque: num inde huc usque fines gentis pertinebant? Immo alia ratione res explicanda est. Refert enim Tacitus[4]) imperante Tiberio Tacfarinatem Numidam adiutum maxime Musulamiorum valida gente bellum Romanis intulisse, cum Furius Camillus proconsule Africam obtineret (a. 17), ab eoque fusum fugatumque. Quo proelio etsi bellum fortasse paullulum intermissum, extinctum tamen non est, varioque per complures annos Marte gestum[5]); anno demum 24 caeso duce provinciae pax reddita est.[6]) Inter res anno 21 gestas haec apud Tacitum[7]) leguntur: *neque multo post Caesar, cum Iunium Blaesum proconsulem Africae triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Seiani, cuius ille avunculus erat. Ac tamen res Blaesi dignae decore tali fuere. Nam Tacfarinas quamquam saepius depulsus reparatis per intima Africae auxiliis huc adrogantiae venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret sedemque ultro sibi atque*

---

[1]) II, 31.

[2]) IV, 3, 24 dicit ab occidente incipiens descriptionem *πάλιν δὲ τῶν μὲν Κιρτησίων καὶ τῆς Νουμιδίας μεσημβρινώτεροι ὑπὸ τὸ Αὖδον ὄρος Μισουλάμοι κτλ.*

[3]) Ann. II, 52.

[4]) Ann. l. l.

[5]) Ann. III, 21 et 72 sq.

[6]) Ann. IV, 23 sq.

[7]) Ann. III, 72 sq.

exercitui suo postularet aut bellum inexplicabile minitaretur. Non alias magis sua populique Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret. Ne Spartaco quidem post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labaret res publica, datum, ut pacto in fidem acciperetur: nedum pulcherrimo populi Romani fastigio latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur. Dat negotium Blaeso, ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi, ipsius autem ducis quoquo modo poteretur. Itane vero? Eaedem gentes, quae ultro bellum inferunt, vivo tanto duce eam ob causam ab armis discedunt quod Romani eis ignoscunt? Sine dubio ii, qui arma posuerunt, ea quae poposcerant consecuti sunt, id est territorium intra provinciam ubi habitarent: nam Musulamiis saltum Beguensem planitiemque subiacentem tributa esse ex monumento de quo agimus discitur. Tacitus rem ita narrat ut in acta publica relata videtur fuisse neque intellexit, cur Tiberius Blaesi res gestas triumphalibus ornamentis non nimis dignas existimaret. Ad hanc Musulamiorum partem in provinciam proconsularem receptam videtur pertinere quod anno 24 narratur, Dolabellam *principes Musulamiorum defectionem coeptantes securi percussisse*[1]), deinde qui apud Plinium[2]) post Capsitanos commemorantur *Musulami* inter *civitates, quae etiam nationes iure dici possunt,* denique *praefectus gentis Musulamiorum* tituli Calamae reperti[3]), cum manus illa Musulamiorum quam Victor sub imperatore Claudio[4]) caesam narrat, eorum videatur fuisse qui in veteribus sedibus remanserant. *Praefectus cohortis I Musulamiorum in Mauretania* occurrit in titulo Tubursicensi[5]).

Ius nundinarum instituendarum petitur a senatu. Ita apud Plinium[6]) quoque vir praetorius a senatu petit, ut sibi instituere nundinas in agris suis prope Vicetiam sitis permittatur, neque alia res a Suetonio[7]) significatur, ubi imperatorem Claudium ius nundinarum in privata praedia a consulibus petiisse refert, ita quidem ut ii relationem ad senatum facerent. Contra in provincia Syria et Pannonia superiore ab imperatore idem ius

---

1) Tac. Ann. 4, 24.

2) Hist. nat. 5, 4, 30.

3) Renier Rec. 2715 *T. Flavio T. f. Quir. Macro II vir(o) flamini perpetuo Ammaedarensium, praef(ecto) gentis Musulamiorum, curatori frumenti comparandi in annona[m] urbis facto a divo Nerva Traiano, proc(uratori) Aug(usti) praediorum saltuum . . . poniensis* [vix *Hipponensis*] *et Thevestini, procuratori Aug(usti) provinciae Siciliae.* Hic praefectus gentis '*nullo etiamtum urbium cultu*' componendus est cum praefectis gentium Alpinarum, civitatium Moesiae et Treballiae aliisque similibus.

4) Aur. Victor Claudius 4,2 epit. 4,5.

5) Renier Rec. 2971.

6) Epist. 5, 4.

7) Claudius 12.

datur confirmaturve, eidemque id ius tribuitur apud iuris auctores[1]). Res igitur sine dubio ita se habebat, ut senatus intra Italiam et in provinciis ab ipso administratis, item imperator in iis provinciis quas per legatos procuratoresque suos regebat ius nundinarum exercendarum tribueret.

Nundinae bis singulis mensibus habentur. Idem reperitur in titulo Graeco supra laudato et in altero Africano hoc: *Antonia L. f. Saturnina vicu(m) et nundina V kal(endas) et V idus sui cuiusque mensis constituit*[2]); nundinae per singulas hebdomadas die Solis scilicet actae commemorantur in titulo Pannonico supra citato aetatis Constantinianae.

Denique de actis senatus ex hoc monumento hoc addiscimus *librum sententiarum in senatu dictarum* ab eo quod plerumque *acta* vel *commentarii senatus* appellatur non diversum esse. Videmus iam singulorum annorum acta in libros singulos consulum ordinariorum nominibus inscriptos collecta et deinde in kapita divisa esse: K enim littera dubitari vix potest quin kaput legenda sit. Contineri autem dicitur in libro sententiarum praeter consulum relationem ipsumque consultum *iura* (*Lucili*) *Africani.* Quae iura cuius generis fuerint non dicitur nec coniecturis multum proficimus. Vix comparari potest monumentum Baetocecense: nam si Africano ius fuisset a maioribus acceptum nundinas agendi, a senatu non tam ut sibi nundinas instituere habere liceret petere debebat, quam ut ius sibi confirmaretur vel si irritum factum erat non utendo, ut restitueretur. Sed fortasse iam inde a Tiberii temporibus Musulamii hoc loco nundinas agebant, earum autem ius tributum erat vel ipsi genti vel uni ex principibus eius: tempore posteriore maior territorii pars in possessionem

---

[1]) Corp. III n. 184 (rep. in vico Baetocece Syriae) exhibetur primum epistula Antiochi cuiusdam, Syriae regis, qua Iovi Baetotecensi vicus cum vectigalibus tribuitur et deinde vicanis permittitur: *ἄγωνται δὲ καὶ κατὰ μῆνα πανη[γ]ύρεις ἀτελεῖς τῇ πεντεκαιδεκάτῃ καὶ τριακάδι κτλ.* Sequitur ψήφισμα τῆς πόλεως πεμ[φ]θὲν θεῷ Αὐγούστῳ. Denique Gallienus et Valerianus imperatores edicunt: *regum antiqua beneficia consuetudine* [*e*]*tiam insecuti temporis adprobata is qui provinciam regit*, *remota violentia part*[*i*]*s adversae incolumia vobis manere curabit.* Corp. III n. 4121 (rep. prope Warasdin in Pannonia superiore) *Imp. Caes. Fl*(*avius*) *Val*(*erius*) *Constantinus pius felix maximus Aug*(*ustus*) *aquas Iasas olim vi* [*i*]*gnis consumptas cum porticibus et omnib*(*us*) *ornamentis ad pristinam faciem restituit, provisione etiam pietatis suae nundinas die Solis perpeti anno constituit curante Val*(*erio*) *Catullino v*(*iro*) *p*(*erfectissimo*) *p*[*r*](*aeside*) *p*(*rovinciae*) *P*(*annoniae*) *super*(*ioris*). Digest. 50, 11, 1 Modestinus libro tertio regularum: *nundinis impetratis a principe non utendo qui meruit decenni tempore usum amittit.* Cod. Just. 4, 60 Impp. Valentinianus et Valens AA. ad Probum p. p.: *Qui exercendorum mercatuum aut nundinarum licentiam vel veterum indulto vel nostra auctoritate meruerunt, ita beneficio rescripti potiantur* cet.

[2]) Rep. in ruinis dictis *Aïn Mechira* in provincia Numidia *Annuaire de Constantine* 1858/9 p. 121 n. 15.

Lucilii Africani venit[1]) atque ita etiam is locus ubi nundinae agebantur. Emptione autem territorii Africano ius nundinarum non adquirebatur; id enim haudquaquam loco adhaeret, sed privilegio imperatoris senatusve reipublicae alicui hominive tribuitur. Nihilominus loci domino cum ius nundinarum habendarum soli tribui posset, poterat is quodammodo de iure aliquo suo loqui. Sed haec ut omnino incerta sunt, ita fortasse res longe aliter se habet. Etsi enim apud iuris auctores nihil de ea re traditur, probabile tamen est non unicuique ius nundinarum petere licuisse: fortasse ius illud ex privatis non tribuebatur nisi possessoribus vel maior census postulabatur et quae eiusmodi condiciones excogitari possunt: quod si statuimus, iura Africani intellegenda sunt litterae, quibus comprobavit se secundum legem ius nundinarum exercendarum adquirere posse.

Scripsi Argentorati mense Octobri 1874.

G. Wilmanns.

SCHOLIA TH. MOMMSENI.

Ad v. 1. *Territorium Musulamiorum ad Casas* quod infra legitur, hoc loco breviter dicitur *territorium Casense*. Id ita accipe territorium sive gentem dupliciter significari cum a populi nomine tum ab oppido primario, fere ut in Gallia sive Aeduos nomines sive Augustodunum, perinde est. Cf. Kuhn *Verfassung des röm. Reiches* 2, 405 seq. Lucilii Africani senatoris Romani saltum Beguensem partem non minimam territorii gentis Musulamiorum fuisse consentaneum est.

Ad v. 2. *Liber sententiarum in senatu dictarum T. Iuni Nigri C. Pomponi Camerini co(n)s(ulum*: ita enim explico) componendus est cum libro eo, *in quo sunt senatusconsulta Cn. Cornelio L. Mummio cos.* (a. u. c. 608),

---

[1]) Frontinus in gromat. p. 53 L.: *in Africa, ubi saltus non minores habent privati quam respublica territoria: quia immo multis saltus longe maiores sunt territoriis: habent autem in saltibus privati non exiguum populum plebeium et vicos circa villam in modum munitionum.* Plinius h. n. 18, 6, 35: *sex domini semissem Africae possidebant, cum interfecit eos Nero.*

requisitus a Cicerone (ad Att. ep. 13, 33, 3), item cum praescriptione senatus consulti apud Iosephum ant. 14, 10, 10, quae est haec: *δόγμα συγκλήτου ἀντιγεγραμμένον ἐκ τῶν δέλτων τῶν δημοσίων τῶν ταμιευτικῶν Κοΐντῳ Ῥουτιλίῳ ... Κορνηλίῳ ταμίαις κατὰ πόλιν δέλτῳ δευτέρᾳ καὶ ἐκ τῶν πρώτων*, alteraque simili senatus consulti Aphrodisiadensis (Lebas et Waddington n. 1627): *ἐπὶ ....ου Λευκίου υἱοῦ ὑπάτων ἐκ τῶν ἀν[αγεγραμμένων*[1]) *κεφαλαίῳ .....π]έμπτῳ ἕκτῳ ἑβδόμῳ ὀγδόῳ ἐνάτῳ τα[μιευτικῶν δέλτων ...... ταμι]ῶν κατὰ πόλιν δέλτῳ πρώτῃ.* Quod olim in ann. inst. 1858 p. 192 his locis allatis demonstravi singulis annis quaestores urbanos volumen conscribendum curavisse senatus consultorum eo anno factorum, id etiam sub imperatoribus in usu mansisse iam intellegimus. Explicatur ita, quod consulum nomina non sexto casu scripta sunt, sed secundo; liber enim, unde hoc decretum depromptum est, continuit senatus acta eius anni omnia tam a consulibus ordinariis facta quam facta a suffectis. — Hoc mirum est et novum librum dici non senatus consultorum, sed sententiarum in senatu dictarum; qui cum comprehenderit necesse sit acta senatus quae quidem publice perscriberentur omnia, plena inscriptio fuit opinor sententiarum in senatu dictarum consultorumque ab eo factorum, cuius indicis sola prima verba descriptores posuerunt. — Denique cum recte agnoverit Wilmannsius capitis notam, aegre desideratur tabula paginave, quam praeter caput in volumine citando sollemnem fuisse alibi demonstravi (Herm. vol. 2 p. 116). Quam ob rem aut in lapide fuit ad hoc exemplum K·V·P·L aut paginae indicatio collocata fuit loco parum apto post *i(nfra) s(criptum) est.*

Ad v. 5. Quod olim monui (C. I. L. 1 p. 113) senatus consulta ubi dicuntur facta esse *in comitio*, ibi intellegi curiam Hostiliam in ipso comitio positam, hac indicatione *in comitio in curia* denuo confirmatur. Curia autem intellegitur Iulia, quam in comitio vel ad comitium fuisse testes sunt Plinius 35, 4, 27 et Dio 45, 17; nam eam quamquam Domitianus refecit, locum non mutavisse hodie omnes consentiunt. Fuit autem ad arcum Severi. Comitium igitur eo ipso loco quaerendum esse denuo hoc optimae auctoritatis documento stabilitur; neque displicere sibi rei quamvis notae et diiudicatae confirmationem, quippe quae apta sit ad tricas comitiales a nescio quibus topographis nuper denuo excogitatas refutandas, scripsit ad me quem de hoc loco consului harum rerum peritissimus Iordanus. — Cum in senatus consulto perscribendo annus, utpote qui ex magistratuum nominibus effici possit, non raro praetereatur, dies autem, quo senatus convenerit, non magis omittatur quam locus, diem ne ab hoc quidem instrumento afuisse existimo, sed temporis iniuria periisse. Nam elementis dinumeratis inter verba *in comitio in curia*

---

[1]) Cum versus finiat in *ἀν*, restitutio parum satisfacit.

et [*scr*]*ibundo adfuerunt* repperi litteras deficere c. 12, quibus commode inseretur dies *idib. Octobr.* vel qui alius fuit.

Ad v. 8. Vix quicquam est in hoc documento magis insolitum et novum quam quaestorum nomina ad eos, qui senatus consulto perscribendo adhibentur, adscripta loco extremo. Diversa ex causa quaestores adhibitos esse atque solitos senatus consultorum testes indicat tam quaestoris appellatio utrique addita, cum testes nude perscribantur, quam quod quaestor ne senator quidem est, cum quaestorii demum senatoribus accedant. Pertinet huc, ni fallor, quod scribit Dio 54, 36 Augustum, cum aerarii curam a quaestoribus urbanis ad alios magistratus iam antea transtulisset, a. u. c. 743 sublata aedilium tribunorumque de hac re potestate solis quaestoribus senatus consultorum curam permisisse: τοῖς ταμίαις τὰ δόγματα τὰ ἑκάστοτε γιγνόμενα διὰ φυλακῆς ποιεῖσθαι ἐκέλευσθη. Ut igitur quo tempore quaestores pecunias publicas tractare desierunt, eam, quae in senatus consultis adservandis vertitur, aerarii administrationem nihilo minus retinuerunt, ita consentaneum est ab a. inde 743 hoc quoque introductum esse, ut deferendis ad ipsos senatus consultis etiam perscribendis adessent nominaque eorum post testes sollemnes adscriberentur. Ei soli negotio aetate imperatoria quaestores urbani videntur vacavisse.

Ad v. 8. 9. 10. Cum vetustioribus senatus consultis subscribi soleat vocabulum *censuere*, addito aetate imperatoria (puto ex constitutione ab Augusto a. u. c. 745 lata, de qua exposuit Dio 53, 3 cf. 54, 35) senatorum qui sententiam de ea re tulissent numero, hic ut numerus item adscribitur, ita pro nudo censendi vocabulo formula inducta est formam censendi accuratius declarans *s*(*enatus*) *c*(*onsultum*) *per discessionem factum.* Id similiter ut in in senatus consulto perscribendo enuntiaretur, post Augustum constitutum sit necesse est. Utraque autem adnotatio reperitur translata ex loco extremo in ipsum senatus consulti principium.

Ad v. 25. Verba *actum idibus Octobr. P. Cassio Secundo M. Nonio Muciano* non sunt pars senatus consulti, sed exordium ita continuant, ut hoc significent senatus consultum ea die descriptum et recognitum esse. Nam similis formula redit in uno senatusconsulto relato ab Iosepho 14, 10, 10, ubi post ipsum decretum cum praescripto die III id. Apr. sequuntur verba haec: ἐγένετο πρὸ πέντε εἰδῶν Φεβρουαρίων ἐν τῷ ναῷ τῆς Ὁμονοίας consulibus omissis fortasse culpa Iosephi; habentque haec duo senatusconsulta sola ex iis quae supersunt exordium de describendo et recognoscendo. Unde apparet eiusmodi dierum adnotationes cum exordiis coniungendas esse [1]). Denique exordium diem quodammodo requirit; nam saepissime instrumenta descripta et recognita ita concipiuntur, ut exemplari descripto praeponatur exordium de describendo, adiciatur dies

---

[1]) Aliter de loco Iosephi iudicavit Huebnerus in commentario de actis senatus p. q. R. p. 18; sed documento in Africa reperto quaestio decisa est.

descriptionis praemisso vocabulo *actum*. Exempli causa in titulo Caeretano Orell. 3787 praecedit: *descriptum et recognitum factum ... it quod infra scriptum est,* sequitur: *act. idib. Iunis Q. Ninnio Hasta P. Manilio Vopisco cos.* — Ceterum si qui statuerit eodem die senatus consultum et factum esse et ab amicis Africani descriptum, ut in Africam transmitteretur, me habebit adsentientem.


Ad v. 26. Duas tabellas simul factas signatasque esse, cuius rei aliud exemplum nullum novi, ideo opinor adnotatur, ne duobus exemplis simul prolatis alterum utrum in falsitatis suspicionem vocetur.

ADDITAMENTVM

AD FASTOS CONSVLARES CAPITOLINOS

(vol. I p. 440).

Fragmentum marmoreum altum m. 0.07, effossum d. 8 Aprilis anni 1872 in foro Romano eruderando, nunc adservatum in monte Palatino in cubiculo curatoris monumentorum urbis.



Descripsi. — Pertinet frustulum ad fastorum fragmentum XXII *b* annosque u. c. 709 et 710. Partem fragmenti Capitolini novo respondentem maiusculis inclinatis dedi.

709 *C · IVLIVS · C · F · C · N ·* *CAESAR · III* *Dict* *rei publicae constit. caussa*
M · AIMILIVS · M · F · Q · N · *LEPIDVS* *MAg. eq*
EODEM · ANNO
C · IVLIVS · C · F · C · N · *CAESAR · IIII* *SINE · conlega . abd*
EODEM · ANNO
Q · FABIVS · Q · F · Q · N · MAXIMVS · IN · MAG C · TRI*bonius. c. f. . . n*
MORTVVS · EST · IN · EIVS · L · F · EST
C · CANINIVS · C · F · N · *RE*BILVS
710 *C · IVLIVS · C · F · C · N · CAESa*R · IIII · ABD

. . . .

Discimus ex hoc fragmento Caesarem dictaturam quartam ante deposuisse, quam in perpetuum dictator fieret. Distinguendae igitur sunt dictatura quarta dataque in perpetuum, quas pro eodem magistratu habuit Mommsenus (vol. I p. 453). Quo tempore Caesar dictator perpetuus factus sit, inde intellegitur, quod in tabula triumphorum a. d. VII k. Febr. appellatur dictator IIII, Lupercalibus, id est a. d. XV k. Mart., Cicerone teste (Phil. 2, 34) dictator perpetuus fuit. Itaque inter dies Ian. 25 et Febr. 15 dictaturam perpetuam suscepit, ut recte posuit Eckhelius (d. n. 6 p. 16), quamquam contra dicente Zumptio (stud. Rom. p. 288). Suscepisse autem eum dictaturam sibi delatam non statim, sed post intervallum apparet ex praescriptione decreti relati apud Iosephum antiq. 14, 10, 7, quae haec est: *δικτάτωρ τὸ τέταρτον, ὕπατος δὲ τὸ πέμπτον, δικτάτωρ ἀποδεδειγμένος διὰ βίου.*

Hac occasione oblata indicabimus mensuras eorum fragmentorum laterculi consularis et triumphalis, quae post primum volumen editum innotuerunt, ut qui de aedificii, cui laterculi hi olim incisi fuerunt, condicionibus mensurisque post ea, quae de ea re nos diximus I p. 417 seq., aliquando disputabunt, plenas copias paratas habeant. Sunt autem hae:

I fastorum consularium

a. 613—618 (eph. 2, 210)	lin. 8	altum m. 0.13
a. 616—620 (eph. 1, 154)	lin. 7	altum m. 0.11
a. 709. 710 (supra)	lin. 4	altum m. 0.07

II fastorum triumphalium

principium (eph. 1, 157) lin. 3 altum m. 0.20
(pars scripta non occupat nisi m. 0.06, cum superiora m. 0.03 + m. 0.04 + m. 0.07 coronam astragalumque efficiant).

a. 453 (eph. 1, 158[1]) lin. 3 altum m. 0.18
(pars scripta non occupat nisi m. 0.06, cum superiora m. 0.04 + 0.08 occupentur astragalo et spatio vacuo intermedio inter eum et scripturam).

a. 559—563 (eph. 1, 158) lin. 11 altum m. 0.26.

[1]) Fragmentum II^{a} hodie aut latet aut periit; mensurae quae dantur pertinent ad II^{b}.

G. Henzen.

ADDITAMENTA
AD CORPORIS VOLVMEN III.

AEGYPTVS.

ALEXANDREA (p. 6. 967).

326 prope Alexandream ad litus rep. in ruinis q. d. castrorum Caesaris, nunc in museo Instituti Aegyptiaci.

*imp. caes. m. aurelio commodo a*NTONI*no*
*augusto pio sarmatico germ*ANICO MAX*imo*
pont. max. trib. pot. . . . imp. . . cos. . . III · PATRI · *Patriae*

Schnepp *Bulletin de l'Institut Égyptien* 7 (1862) p. 65.

---

327 Ramleh sive Nicopoli rep.; est Bulaki prope Cairum in museo.

signum militare | *miles gladio cinctus stans, d. ex patera in aram libans, s. volumen tenens* | *signum militare*

D M
AVREL · ALEXANDRVS QVANDAM *sic*
SIGNIFER LEG · II · TRAIANAE FOR · GER
COHOR · II · HASTATI · PR · NATIONE MACE
DON · STIPENDIORVM · XIII · ANNOS · VIXIT
AN · XXXI AVREL · HELIODORVS LIBERTVS
ET HERES MONIMENTVM FECIT DIGNIS
SIMO PATRONO SVO

Ectypum photographicum misit Renierius. *Bulletin de l'Institut Égyptien* 27 Dec. 1871 n. 11 p. 139; Renier *comptes rendus de l'Académie des inscr.* 1872 p. 210 ad ectypum a Mariettio missum anaglypho ligno inciso; Nerutsus in eph. Attica Ἀθήναιον 2 (1874) p. 426.

4 HASTATI Bull. Renier idque ipsum in ectypo deprehendi; HASTAT · 7 Nerutsus errore. — 6 AN · XX . . AVREL Bull. — 8 SVO] V · VO Bull. — Adnotat Longperierius apud Renierium p. 215 crines militis ita factos esse, ut solebant facere artifices ab Alexandro ad Gallienum. — Legionem II Traianam fortem praeterea dictam esse Germanicam ex hoc titulo alteroque n. 334 nunc demum didicimus.

328 tabula marmorea. Ex Alexandrea adlata Bononiam in museum universitatis ROCCHI.

pes

M·AVRELIO AVITO·C·R·A|VITIANI FILIO
CARNVNTIENSI PROVINCIA|E PANNONI
AE SVPERIORIS QVI VIXIT QV|OD FATVS
VOLVIT PATER CVM C|NIVGE FILIO D
VLCISSIMO · MILES · L| ONIS II TRA
IANE FORT · POS|

Bormannus ectypum dedit descripsitque.

M. Aurelio Avito c(ivi) R(omano) Avitiani filio Carnuntiensi provinciae Pannoniae superioris, qui vixit quod (= quoad) fatus voluit. Pater cum c[o]*niuge filio dulcissimo — miles l*[*egi*]*onis II Traiane fort(is) — pos*[*uit*].

---

329 *εὑρέθη κατὰ τὴν πέραν τῆς Νικοπόλεως μικρὰν Ταπόσιριν, τὸ ἀραβιστὶ νῦν Μάνδαρα καλούμενον ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ χωρίον* NERVTSVS.

puer in terra sedens d. passerem, s. muscipulam tenens

M · AVREL · PTOLEVS · FILIVS
M · GAI · IVLI · PROCESSI · MIL ·
LEG · II · TRAIANE ·

Nerutsus Ἀθήναιον 2 p. 428.

---

330 Nicopoli rep., extat in Instituto Aegyptiaco.

AVRELIVS · SABIVS · MI · LEG · II · VIXI · ANN
XXXV · MILIT · ANN · V · NVNAT · PO · SV
RVS · SARA · POSVIT · B · M

Nerutsus Ἀθήναιον 2 p. 429.

2 anni vitae et militiae parum inter se respondent. — *Nunat(ius) Po(stumus)* vel simile nomen subest. *Surus Sara* num recte explicuerit Nerutsus Σύρος ἐκ Τύρου, ambigo; nam Tyrum in titulo eius naturae nomine antiquo appellari vix videtur posse admitti.

---

331 Nicopoli.

LEG · XXII · DEIOTER *sic*
7 · CAESELLI · FVSCI
M · PONTIVS · M · F · POL
SABVRIANVS · GAL
VIXIT · ANNIS · XXV
MILITAVIT · ANNIS · II · HIC
SITVS
H · E · S

Nerutsus Ἀθήναιον 2 p. 424.

4 *Gal(atia)* Nerutsus recte; regio male posita pro domo redit in n. 327.

332 Nicopoli.

G · FARSVL*e*IVS · STR
ABO · PTOLOMAIDE · N
M · LEG · III · CYR · 7 IVLI · SAT
VRNINI · ANNOS · VIXIT
XXV · MILITAVIT · ANNOS
IIII · H · S · E

Nerutsus 'Αϑήναιον 2 p. 422.

1 FARSVLFIVS traditur. — 2 *Ptolomaide n(atione)* opinor; nam domus et natio alibi quoque permutantur. Intellegitur fortasse Ptolemais Hermii, cum titulus scriptus sit in Aegypto. — Eiusdem centuriae miles nominatur in titulo n. 335 a. p. Chr. 80.

---

333 cippus. Ex Alexandrea adlatus Bononiam in museum universitatis ROCCHI.

vir paenulatus stans, sin. volumen tenens;
d. quid gerat, non satis apparet

G · DA · MIANO ɤ FILIVS ET EREDES
PER · PROCVRATORES EIVS

Bormann descripsit deditque ectypa.

G(avidio?) Damiano(?) centurioni(?) filius et eredes per procuratores eius.

---

334 Nicopoli.

t · GAVIDIVS · *t* · F QVI
PRIMVS · VTICA · MIL
LEG · XXII · DEIOT · 7 VALERI
FABIANI · VIXIT · ANNIS
XXXIX · MIL · ANN · XIX · CVR
EGIT · P · VALERIVS · PRIMVL
MIL · LEG · III · CYR · 7 IVLI NIGRI
H · S · E

Nerutsus 'Αϑήναιον 2 p. 423.

Centuriae Iulii Nigri alterum militem Nerutsus ait nominari in ignoto mihi titulo aetatis Domitianae reperto in lapicidinis Portus Albi (cf. C. I. Gr. vol. III p. 1191).

---

335 Nicopoli.

LEG · III · CYR

7 IVLI · SATVRNINI · IMP p. C. 80
TITO · VIII · COS · A · XXII
T · COMINIVS · BASSVS · DA
MASCO · MILITAVIT · AN
NOS · XXII · VIXIT · ANNOS
XXXX · H · E · S

Nerutsus 'Αϑήναιον 2 (1874) p. 421.

Leg(ione) III Cyr(enaeica centuria) Iuli Saturnini, imp. Tito VIII cos. a(nno) XXII T. Cominius Bassus. Militavit annos XXII. Vixit annos XXXX. H(ic) e(st) s(itus). Videtur significari Basso annum p. Chr. 80 militiae fuisse duoetvicesimum.

336 Nicopoli.

C · NIGER · C · F · POL · MISS
AMASIA · ET · M
LONGINVS · M · F · POL · GANGR
MIL · LEG · III · 7 LAEL · TIRON

Nerutsus 'Αθήναιον 2 p. 422.

C. Niger C. f. Pol. miss(icius) Amasia et M. Longinus M. f. Pol. Gangr(a) mil(es) leg(ionis) III (centuria) Lael(ii) Tiron(is). Ut alia Bithyniae oppida, certe Nicomedia et Sinope (Grotefend trib. p. 147), ita etiam Amasia Bithyniae et Gangra vicinae Paphlagoniae tribui Polliae adscriptae fuerunt.

---

337 Nicopoli rep., nunc in museo Instituti Aegyptiaci ex dono Duparqueti.

miles sagatus et cinctus stans
d. hastam tenens, s. scutum

POMPEIVS · VERINVS · MIL · LEG · II · TR · F
OR · GER · 7 VIR · POST · STIP · VIIII · ANTISTIVS · P
ROBVS · PROC · INSTITVS · BEN · M · P

Bulletin de l'Institut Égyptien 29 Dec. 1871 n. 11 p. 139 (inde Renier *comptes rendus de l'Académie des inscr.* 1872 p. 213). Nerutsus 'Αθήναιον 2 p. 425.

2 VIII Bull. — *Pompeius Verinus mil(es) leg(ionis) II Tr(aianae) for(tis) Ger(manicae centuria) Vir(ii) Post(umi) stip(endiorum) VIIII. Antistius Probus proc(urator) institu[tu]s ben(e) m(erenti) p(osuit).* Proposuit Renier v. 2 7 V · PR · POST, id est *centuria quinti* (vel potius *quintae cohortis*) *principis posterioris*, praeter necessitatem et teste Nerutso contra lapidem. — *Procurator institutus* significat opinor procuratorem vivi testamento deinde heredem; nam quod vertit Renierius *fondé de pouvoirs de la famille du mort*, id Latine *constitutus* est, non *institutus*.

---

338 Nicopoli.

M · TITVRIVS · GAI · F · MIL · LEG · II · TRAIANES · CHOR
II · PRI · C · PRIOR
IS · NATIO · ITALVS · CONIVX · DVLCIS · SIMA · ERES
B ЄΥΨΥΧΙ M

Nerutsus 'Αθήναιον 2 p. 427.

M. Titurius Gai f. mil(es) leg(ionis) II Traianes chor(tis) II pri(n)c(ipis) prioris natio(ne) Italus. Coniux dulcissima eres b(ene) m(erenti). Εὐψύχι. Quod posuit Nerutsus *chor(tis) II pri(ncipum centuriae) prioris* non satis placet; nam centuriae vocabulum in his formulis intellegitur magis quam enuntiatur.

339 rep. Nicopoli prope Alexandream.

L · PVBLILIVS · *labeo* *uiator*
CONSVLVM · PRAETORVM ·
TI · CAESARIS · PRAEF · STATOR ·
PHILALEXANDREVS
ΛΟΥΚΙΟΣ ΠΟΥΒΛΙΛΙΟΣ ΛΑΒΕΩΝ ΟΥΙΑΤΟΡ Υ
πάτων στρατηγῶν . . . . . .

Nerutsus Ἀθήναιον 3 (Athenis 1874) p. 82.

Viatores consulum, praetorum, Ti. Caesaris re non differunt a *viatoribus qui Caesarib(us) et co(n)s(ulibus) et pr(aetoribus) apparent* (Grut. 256, 4 = C. I. L. VI, 998; cf. *Staatsrecht* 1, 270). — Statores autem ipsi cum satis noti sint, *praefectus* eorum nunc primum nominatur; quamquam re idem est *curator statorum* tituli Urvinatis (Herzog Gall. Narbon. n. 676). Fuisse eum dignitate supra primopilum, infra tribunum cohortis ex eodem titulo intellegitur. Ceterum notabile est in titulo Orell. 3422 = C. I. L. VI, 1009, qui numeros in urbe consistentes omnes eorumque praepositos recenset, nominari centuriones centuriasque statorum, praefectum curatoremve praeteriri. — *Philalexandreus* mihi agnomen est comparandum cum *φιλέλληνι, φιλαθηναίῳ, φιλορωμαίῳ* similibusque, quo significatur Labeoni huic Alexandream in deliciis fuisse.

340 Nicopoli.

FLAVIA · DOMITIA
IVSTI · FLIA · DAMASCO *sic*

Nerutsus Ἀθήναιον 2 p. 429.

341 tabula marmorea Alexandrea translata Florentiam in museum Etruscum.

S · Q · F · FAB
LIBERTAB
M · VIVOS · FECIT
*κο*INTOY YI*ός*

Gamurrinius et Bormannus dederunt; ab hoc ectypum accepi.

342 tabula marmorea Alexandrea translata Florentiam in museum Etruscum.

\EAMPRA · VIXIT ·
MESES · VII · ET
IOVEM

Gamurrinius et Bormannus dederunt; ab hoc ectypum accepi.

SYENE (p. 968).

343 ad n. 6025. 6026. Nunc Vindobonae in museo publico, ubi recognovi.

AEGYPTI INCERTA (p. 1059).

344 n. 6541 descripsi ad ectypum a Lumbroso missum sic:

H A L C I M V S
HELPIDVTIS · F
VIXI ME · XIIX
C · PINARI ⅂ PACC
NI LIBERTVS
ΑΛΚΙΜΟϹ ЄΛΠΙΔΟΤ
ΥΙΟϹ ЄΖѠΚЄ ΜΗ ΙΗ
ΓΑΙΟΥ ΠΙΝΑΡΙΟΥ ϹΠ
ΛЄΓ ΒΒ‹ ΠΑΚѠΝΙΟΥ

Halcimus Helpidutis f(ilius) vixi(t) me(nses) XIIX, C. Pinari (centuria) Pac[o]ni libertus. Ἄλκιμος Ἐλπιδότ(ου) υἱὸς ἔζωκε μῆ(νας) ιή, Γαίου Πιναρίου σπ(είρης) λεγ(ιῶνος) β′ ... (κεντυρία?) Πακωνίο[υ]. In v. 9 elemento quinto latet opinor *Traiana* vel *fortis.* Infra videtur integra esse.

SYRIA PALAESTINA.

AELIA CAPITOLINA (p. 21).

345 rep. Hierosolymis m. Iul. a. 1860 in opere posita prope ecclesiam S. Sepulcri *sur la terrasse dite du Khanké.*

?*genio* | L E G X F R
LIVS · SABINVS
?*ueli* | NA · PRINCEPS
leg. ei | VSDEM · D · D

Clermont-Ganneau *comptes rendus de l'Académie* 1872 p. 164, ubi datur ligno expressa. Ab eodem auctore sumpserunt R. F. Burton et Ch. F. Tyrwhitt Drake *unexplored Syria* (Londinii 1872) 2, 311.

3 NA Ganneau ipse, *centur*IO Angli. — Supplementa sunt Renierii.

346 *a* Hierosolymis *trouvé en creusant les fondations du patriarcat latin, dans la région nord-ouest de la ville* CLERMONT-GANNEAV, addens eo ipso loco castra facta esse post Hierosolyma a Tito excisa teste Iosepho bell. Iud. 7, 1, 1: *καταλιπόντας .... τεῖχος ὅσον ἦν ἐξ ἑσπέρας τὴν πόλιν περιέχον ... ὅπως εἴη τοῖς ὑπολειφθησομένοις φρουροῖς στρατόπεδον* [ibidem in museo proxeni Britannorum].

b Hierosolymis *trouvé vers la partie méridionale du mur d'enceinte sur les pentes nommées la D'houra* [possidet Clermont-Ganneau].

a L X FRE

b LE X FR/

a Saulcy *voyage en terre sainte* Parisiis 2 (1865), 198; Clermont-Ganneau *comptes rendus de l'Académie* 1873 p. 160. Uterque dedit ligno expressam.

b Clermont-Ganneau l. c. p. 158 ligno expressit.

CAPPADOCIA ET GALATIA.

ANCYRA (p. 47. 975. 1059).

347 ad n. 271. Monuit Zangemeister tetrametrum esse trochaicum sic conceptum:

Lectita, collis v[i]ator, h[o]c memoriae conditum.

Viator invenit Froehner *mélanges* (1873) p. 11.

PONTVS ET BITHYNIA.

NICOMEDIA (p. 59. 976).

348 ad n. 6059. Aliud exemplum dedit Mordtmannus; est ibi v. 2 ACTVARIO, ut conieci, item v. 5. 6 CVM QVO CONVIXI ANNIS SEX uno versu.

APAMEA (p. 60. 976).

349 prope Apameam Bithyniae (*Mudania*) in colle.

NVMINI ❦ DOMVS ❦ AVGVSTO*rum*
ET
IMP · CAESARI · DIVI · TRAIANI · PARTHICi *fil.*
DIVI · NERVAE · NEPOTI · TRAIANO · HADRIANO · AV*g*
PONT · MAX · TRIB · POT · XIII · COS · III · P · P · SABINAE · AV*g* p. C. 129
SENATVI POPVLOQ · ROM · COL · IVL · CONC · APAME*a*
BALINEVM · HADRIANVM · EX P · PVBLIC · DEDICAVI*t*

I. Mordtmann dedit descriptam a proxeno nostro Schwaab.

INSVLAE ASIAE (p. 84. 982).

350 tabula, in insula Tenedo.

APOLLO · ALEXANDER · ANICETVS
cena mortuaria

F. Weickum descripsit. Num sit antiqua, videndum.

VIAE ASIAE (p. 87. 982).

351 a Cyzico ad orientem prope Panderma vicum, dictum fortasse Panormum olim (inter Mussatscha et Pascha Tschiftlik) in coemeterio.

DD NN
/ / / / / / /
/ / / / / / /
/ / / / / / /
/ / / / / / /
/ / / / / / /
VICTORI A
XIII

F. Weickum descripsit.
7 fortasse VICTORI A*c triumfatori*. Similis opinor miliarii n. 463—465.

ACHAIA.

OPVS LOCRORVM (p. 1061).

352 n. 6547 edidit Kumanudes in Athenaeo 1 (1873) p. 488 acceptam a Stamataki, quod exemplum confirmatur ectypo mihi misso a Lampro:

D M
T · CATONI · T · F' · POL · SABINO
CLAT · EVOC · AVG · VIX*IT*
ANN ❦ XXXVIII ❦ MIL · A*nn*
XIX ❦ F · ET · M F · C E · C *cor*
NELIVS · NAEVOLV*s hom*
OPTIMO
T · ΚΑΤΩΝΙ · Τ · Υ · ΠΟΛ *σα*
ΒΙΝΩ ΚΛΑΤΕΡΝΑΙ*ς*
ΗΟΥΟΚ ΑΥΓΟΥΣ ΕΖ*ησεν*
ΕΤΗ · ΛΗ · ΕΣΤΡΑΤ*ευσεν*
ΙΘ ΤΑΦΗΣ ΚΑΙ Μ

3 VIX ego, VIXIT Stam. — 9 ΚΛΑΤΕΡΝΑΙΩ Stam. — 10 ΑΥΓΟΥΣΕ/// Stam., ΑΥΓΟΥ/ΕΖ ego. — 11 ΕΣΤΡΑ... ego. — 12 ΤΑΦΗΣ ΚΑΙ Μ| Stam., ΤΑ/ΗΣ ΚΑΙ| ego.

D(is) m(anibus). T. Catoni T. f. Pol. Sabino Clat(ernis), evoc(ato) Aug(usti). Vixit ann(os) XXXVIII, mil(itavit) a[nn(os)] XIX. F(uneris) et m(emoriae) f(aciendae) c(uram) e(git) C. [Cor]nelius Naevolus [hom(ini)] optimo.

Explicatio notarum v. 5 commendat quod in Graecis quoque videtur fuisse *ταφῆς καὶ μ[νήμης ἐπιμεληθέντος] κ. τ. λ.* Claternas prope Bononiam rem publicam habuisse et adscriptas fuisse tribui Polliae nunc primum innotescit; confirmat illud titulus repertus *alla Quaderna*, id est Claternis, servatus hodie Bononiae, quem mecum Bormannus noster communicavit, hic: *Q. (?) Camurius | . . n. Nicephor | . . . Ivir ludos fec(it). | P(edes) q(uoquoversum) XX.* V. 2 in. non videtur deesse plus una littera; prima quae remansit num supersit ex tribu an nepotem significet, nescio.

DELPHI (p. 106. 987).

353 ad n. 566. In codice Peutingeri Augustano n. 527 f. 49 inter Augustiniana a Cyriaco profecta sic legitur: *Delphis in | tripode marmoreo Appol|lini pythio au litteris | Thessalem Keis Graiis Latiisque.* Quae haud scio an ad hunc titulum referenda sint.

THRACIA.

CALLIPOLIS (p. 133).

354 ad n. 725. Bohnianorum, quorum ego adhibui exemplum Vindobonae servatum inter Eckheliana, exemplum alterum extare Nemausi inter Seguieriana certiorem me fecit Hirschfeldius. Iisdem usus Bouhier in corpore inscriptionum absoluto a. 1745, quod scriptum servat bibliotheca Parisina (cod. Bouhier 60 *bis* = codd. Gallic. 20, 317), ut alia inde excerpta ita sub n. 1089 hanc posuit sic: '*trouvée a Gallipoli*'.

LVCALEA · LVF
ARN · RVFVS · PR
O · SAC PED ɯ ɯ
D · S · P · F · C

MOESIA INFERIOR.

SEXANTA PRISTA (*Rustschuk*).

Sexanta Prista (Πολύκαρπος ἀπὸ Σεξανταπρίστων τῆς Μυσίας μετηνέχθη εἰς Νικόπολιν τῆς Θράκης Socrates hist. eccl. 7, 36; *Sexanta Pristis* itin. Ant. p. 222; *Sexaginta Prista* Not. Dign. Or. p. 102; 'Εξεντάπριστα apud Procopium de aedif. 4, 11 p. 307 Bonn.; *Pristis* Peut.; corrupte Τιριστὴ πόλις libri Ptolemaei 3, 10, 10) secundum mensuras itinerariorum ibi fuit, ubi nunc est Rustschuk oppidum. Tempore Notitiae ibi consistebant pars legionis I Italicae et cuneus equitum armigerorum; hoc titulo edocemur meliore aetate castra ibi habuisse cohortem II Flaviam Brittonum, quam nominatam item in titulo Orelliano n. 804 inde ab a. 99 stetisse in Moesia inferiore eius anni diploma (n. XX) patefecerat.

355 Rustschuk rep. a. 1874 in domo paschae.

IMP · CAES · DIVI · MAGNI · ANTONINI · PII · FIL
diui seueri pii nep. m. aur. seuero
alexandro pio felici aug. pon
TIF · MAXIMO · T · *p* · IX · COS · III · P · P *et iuliae* p. C. 230
mamaeae matri AVG · N · ET · CASTRORVM
*b*ALNEA · COH · II · FL · BRITT *alexa*N*d*RIANAE
A · SO*l*O · RESTITVTAE · SVB · ANICIO · FAVSTO · PAV
LINO · LEG · AVG · PR · PR
PER · SEPTIMIVM · AGATHONICVM · PRAEF

Kanitz misit.
4 TBIX traditur. — 6 malim BALNEAE. — /////NERIANAE, 7 SOIᴗ, 8 LLG · F A · V · G traduntur.

TOMI (p. 144. 997).

356 Köstendje rep. dum lapides fodiuntur propter stationem viae ferratae faciendam.

i O M
CERDO PRO
SE *et* F*ilis*
SVIS · ARAM
POSVIT · ET *v*
VOTVM · SO*l*VI*t*
V S M

F. Weickum descripsit.
1 D O M, 2 SEPΣFIIRV, 6 SOIVI traduntur.

---

357 Tomis rep. a. 1865 et statim in opus coniecta.

I · O · M
HEROI
Q · TREBELLIVS
Q · F · *f*AB · MAXI
MVS · ROMA
7 · LEG · V · MAC
TRECENARIVS
COH · III · PR
V · S

Kumanudis in eph. Νέα Πανδώρα 1 Iun. 1868 q. n. v. (inde Perrot rev. archéol. 1874 p. 19); idem misit.
2 puto latere HELIOP*olitano*. — 4 EAB traditur.

358 Köstendje in vestibulo curiae (*Konak*).

D M
VAL FELIX PRINCEPS OFFI
CI · PRESIDIS VIXIT AN XLV
AVREL · AEMILIA · BENE MERI
TO CON*p*ARI · VIRGINIO POSVIT
VALE VIATOR
ΟΥΑΛ · ΦΗΛΙΞ ΠΡΙΝΚΙΨ ΟΦΗΚΙΟΥ
ΗΓΕΜΟΝΟΣ ΖΗΣΑΣ ΕΤΗ ΜΕ
ΑΥΡΕΛ ΕΜΙLIΑ ΤΩ ΑΕΙΜΝΗΣΤΩ
ΑΝΔΡΙ ΠΑΡΘΕΝΙΚΩΝ ΣΤΗΛΗΝ ΑΝΕ
ΘΗΚΕΝ ΧΑΙΡΕ *πα*ΡΟΔΙΤΑ

F. Weickum descripsit.

5 CONBARI, 11 ΥΗΡΟΔΙΤΑ traduntur.

Praeses intellegitur Scythiae provinciae, in qua Tomi fuerunt. Officium quale habuerit, exponit Notitia Orientis p. 112: *officium autem habet ita: principem de eodem officio*, id est de schola agentium in rebus, et quae sequuntur.

ISTRVS (*Karanasib*).

359 a Karanasib (Dobrudje) primo chiliometro meridiem versus in coemeterio Turcico.

I NOM / N / I / / / / E / /
OVE VIXIT ANNIS
X / EI / / ER / ENE
QVE
VIXIT ANNIS XXXV

F. Weickum descripsit.

---

360 Karakarman media via inter Tomos et Istrum oppida (25 chiliom. a Köstendje scptentrionem versus) *in den Schanzen der Festungsruinen.*

NVS · SASSIANIS
FIL · EIVS ET SCAP*v*L
LIA GEMELLA CON*iunx*
EIVS SET E*t* SIBI PAREN
TIBVS BENE MERITIS
· POSVERVNT ·
· HAVE VIATOR ·

F. Weickum descripsit.

3 CONVM traditur; emendavit Christius. — 4 SETESIBI traditur; verba *set et sibi* postea inserta videntur esse.

361 in ruinis castri q. d. Kisilhissar prope vicum Slava (15 chiliom. a Babadag versus Dojani).

D
THKR
NIV //
TIAD
XIT A
RI F /
A ///
O ///
R I T
S I B
M

F. Weickum descripsit.

INCERTAE MOESIAE INFERIORIS (p. 1010).

362 ad n. 6223. Recognovit Hirschfeld commentarii, de quo dictum est in Dacicis (p. 301), p. 420. Non adnotavit Desjardinius v. 7 sublatum esse nomen Mamertini utpote damnati a Commodo (vita c. 9) sic:

D D MAm ET RVFo

363 ad n. 6224. Recognovit Hirschfeldius p. 420 gravissimosque errores a Desjardinio commissos emendavit.

Desjardins:	Hirschfeld:
	DEDIC · XII · KAL
	OCT · IVLIANO
II · ET · CRISPINO	II · ET · CRISPINO
COS · II	COS
//R · ANNIVM · FELICEM	//R · ANNIVM · ITALICVM
LEG · AVG · PR · PR	LEG · AVG · PR · PR

Ita evanescit iterationis nota v. 4, quam explicari posse ego in adnotatione negavi; in lapide est COS vel fortasse COSS. Annius autem Felix ille fictus a Desjardinio iam fit notus etiam aliunde (n. 6154) Moesiae inferioris legatus L. Annius Italicus Honoratus.

364 ad n. 6225. Hirschfeld p. 421 recognovit. 2 est PATERNO, ut dedi, non PALERNO, ut legit Desjardins.

365 ad n. 6227. Hirschfeldius p. 421 recognovit et sic emendavit lectionem a Desjardinio corruptam:

ALLINVS
PRÆPOSITVS — TVS litteris contignatis
TIONVM EX VOTO POS — POS litteris contignatis
EL PATER

Non est 4 PATET, ut dedit Desjardinius, neque igitur cogitandum de consulatu Paterni et Arcesilai.

---

366 ad n. 6232. Hirschfeld p. 422 recognovit. Desjardinius errores commisit hos: 1 fin. est GAE (non GAB). — 5 H · S · E, non H · S · F · C.

---

367 ad n. 6233. Hirschfeld p. 422 recognovit. 1 non est FL · VICTOR · BES, ut legit Desjardinius, sed BF · SE, id est, ut bene vidit Hirschfeldius, *b(ene)-f(iciarius) se(mestris)*. — 3 aut VIVIAE aut VNIAE. — fin. pro LV potest fuisse in lapide IV.

---

368 de origine non constat. Bukaresti antea in domo Mavros, nunc in museo.

pedum vestigia

HERONI · INVICTO · |

Hirschfeld p. 401, qui opportune citat quae de titulis deo cuidam equestri venatorique ΚΥΡΙΩΙ ΗΡΩΙ dedicatis frequentibus per Thraciam universam, sed nondum editis narrat Dumontius *comptes rendus de l'Académie* 1868 p. 417, item epigramma Thraecicum editum ab Eggero *ann. dell' inst.* 1868 p. 134 quod incipit: *τὸν πρὸ πύλαις* Ἥρωα. Eiusdem numinis in urbe quoque in thermis Diocletianis nuper titulus prodiit (editus ab Henzeno *Bullett.* 1873 p. 111) hic, subscriptus homini nudo equo insidenti: *deo Heroi sancto* [*p*]*r*[*o*] *salubritate*; *Long*[*i*]*cius cum suis votum s*(*olvit*); *Thraciacius f*(*ecit*). Hoc quoque nomen ad Thraeciam ducit.

---

369 originis incertae. Bukaresti antea in domo Mavros, iam in museo.

AVR · VICT · VE EX P EX V|

Benndorf dedit Hirschfeldio p. 402.

DACIA.

Daciae inscriptionibus post me strenuam et fructuosam operam dederunt duo viri Carolus Gooss Transilvanus, qui cum in programmate gymnasii Schaessburgensis (*Studien zur Geografie und Geschichte des trajanischen Daciens*. Hermannstadt 1874. 8. p. 77) tum in commentariis insertis actis societatis Transilvanicae (*Archiv des Vereins für siebenbürgische Landeskunde* vol. 11 a. 1873 p. 98—117; vol. 12 a. 1874 p. 107—175) etiam titulis nondum in lucem prolatis edendis curam impendit, et Otto Hirschfeld meus hodie professor universitatis Pragensis, qui a. 1873 iussu eorum qui in Austria rebus praesunt hanc terram vicinasque regiones una cum Benndorfio collega peragravit inscriptionibus editis recognoscendis ineditisque addendis vel maxime intentus. Eius itineris postquam brevis notitia data est *Mittheilungen der Centralcommission* vol. 18 a. 1873 p. 328 seq., data opera titulos a se emendatos additosve proposuit in actis minoribus academiae Vindobonensis (a. 1874 vol. 77 p. 363—429: *epigraphische Nachlese zum C. I. L. vol. III aus Dacien und Moesien*). — Hungari quae per hos annos de rebus Dacicis ediderunt, ut Theodorus Ortvay in actis maioribus academiae Pestinensis aliique, ea cum inscriptionum thesaurum non magnopere augeant scriptaque sint lingua apud exteros ignota, ita iis usus sum, ut ad inscriptiones solas attenderem. Goossius autem et qui de re epigraphica plenius longe exposuit Hirschfeldius quae protulerunt, infra repetentur paucis minoris momenti omissis vel magis ei tempori reservatis, quo harum provinciarum titulorum auctarium ipsi corpori aptatum prodibit.

Ad p. 140. Qui nuper innotuit cum ex titulo Concordiensi (*Bullett dell' Inst.* 1874 p. 34) tum ex diplomate a. 166 infra edito T. Desticius T. f. Cla. Severus *proc. Aug. prov. Daciae superior.* cum post eam procurationem a. p. C. 166 Raetiam procurarit, probabile est ad a. c. 150 antiquam partitionem mansisse.

Ager Bistritzensis.

370 Burghallen prope Bistritz.

M
ᴗSNII
TINA
SIMA

Gooss *Studien zur Geogr. Daciens* p. 48; *Archiv* 12, 175.

Szamos-Ujvar (p. 166. 1013).

371 ad n. 6247. Hirschfeld p. 422 recognovit lectionemque Tormae emendavit sic:

SILVANO
SACRVM
PRO · SAL
C V RVFIN
5 I MYRO EI
VSDEM

NAPOCA (p. 169. 1014).

372 Apahidae[1]) prope Puszta Sz. Miklos supra Klausenburgum iacet ad viam.

DIII PATR
ET PRRIOSE
RPINA
E

Ex schedis Tormae Hirschfeld p. 376.
Di[*t*]*i patr*(*i*) *et P*[*r*]*oserpinae.*

373 ara quadrata. Klausenburgi in domo baronis Apos, destinata museo.

I O M DOLIC
PRO SALVTE
AEL LYCIN
PrOC AVGG

Benndorf descripsit Hirschfeldio p. 377.
Eiusdem Lycini tituli sunt Ancyrani n. 244. 6054. 6055. Procurator fuit Daciae Porolissensis aetate Severi et Antonini.

374 Klausenburgi.

I O M DOI
VIE PATEF
ET IVSTIN

Iac. Elek *Koloszvár Törtenete* (Budae 1870) 1, 141 q. n. v. (inde Hirschfeld p. 377).
I(*ovi*) *o*(*ptimo*) *m*(*aximo*) *Do*[*l*(*icheno*)] *U*[*lpi?*] *Pate*[*rnus?*] *et Iustin*(*us*).

[1]) Loci qui nominantur in his additamentis neque adsunt in mappis tertio volumini adiunctis, ita in his additamentis ad eas determinantur, ut qui mappis utitur cuiusvis situm satis cognoscat.

375 Klausenburg *im Brückenthor*; destinata museo.

*d*EO SOLI ·
i N V I Ç T O
PRo SALVTE · SVA
ET · SVORVM
M CoCC · GENA
*i*IS · V · E · PROC ·
AVGG · NN ·
PRV DAC · PoRoL
V · L · M · P ·

Iac. Elek *Koloszvár Törtenete* (Budae 1870) 1, 141 q. n. v.; Hirschfeld p. 377.

---

376 antea apud comitem Kemény, iam Klausenburgi in museo.

anaglyphum
Mithriacum
PRO — *inscriptio scribi coepta est*
ATT VA — *nec absoluta*

Benndorf dedit Hirschfeldio p. 377.

---

377 Klausenburg rep. 1867 *in der Zigeunergasse*, nunc in aedibus parochi Graecorum.

XXV · AELIA PROBA · VIX · AN
XI P · AELIVS INGENVS · VIX
.IVS PROBVS FLAMEn MVNi
PIENTISSIMIS ET SIBI · VIX

Hirschfeld p. 378.
3 FLAMEM traditur.

---

378 ara, Klausenburgi in hortis botanicis.

IAE
· DEC

Hirschfeld p. 379.

---

379 Klausenburgi rep., est ibi in museo.

CO II
MARC //
LONGINA

Benndorf dedit Hirschfeldio p. 379.

POTAISSA (p. 172. 1014).

380 ad n. 911. In lapide est DEC · N M M teste Hirschfeldio p. 382 explicante *dec(urio) n(umeri) m(ilitum) M*.... collato titulo n. 6267. Decuriones tamen numero num conveniant, mihi non satis constat.

---

381 ad n. 913. Hirschfeldius p. 383 titulum recognoscens legit v. 3 {MVN · S · POT · ITV}, explicans *mun(icipii) S(eptimii) Pot(aissae)* recte.

---

382 ara parva rep. 1873 *im Szinderthal*, a Thorda hora dimidia meridiem versus; hodie Thordae in domo privata.

I O M
P AELIVS
M V C I A
N V S
V S L M

Hirschfeld p. 379.

---

383 ara parva Thordae in hortis parochi reformatorum.

VoTo
LIBERO PA
TRI ANIVS
SATVRNI
N V S

Hirschfeld p. 379.

---

384 Thordae rep. 1873 in hortis parochi reformatorum, est ibidem.

d *m* M
//// VS · T /
/// \KA · T · B Φ
ui XIT · ANKX
p ARENTI · BL
CONIVX · PII
f IKIS · VIBIV*s*
VS PRO PI*etate*

Hirschfeld p. 380.
3 latet fortasse *ala Thracum Britannica miliaria.*

SALINAE (p. 177. 1014).

385 columna reperta Maros-Ujvar in salinis a. 1792, collocata in domo Mikes.

PER SI
RONIA
A C F

Ex actis dictarum salinarum a. 1792 exscripsit Hirschfeld p. 380.

Agnethlen (p. 180).

386 Hendorf *am Harbach* (inter Agnethlen et Schaessburg) rep. 1871.

D · M ·
M V I D A E
P I C A D I F I L X
V I X I T N N S
5 X X X X V M R
CONP X/I POS H S E

Hirschfeld p. 399 ad ectypum; Gooss *Archiv* 12, 173.
6 fortasse scr. CONP

APVLVM (p. 182. 1015).

387 ad n. 1041. Vidit Hirschfeld p. 415 Karlsburgi in hortis Csörös. — 4 est LEG XIIII · G · QOT.

388 ad n. 1043. Hirschfeld p. 415 recognovit. — 2 est ut emendavi SALVTE IN.

389 ad n. 1112. Hirschfeld p. 416 recognovit. — 4 est ILSTION; erravit igitur quadratarius.

390 ad n. 1115. Nunc fracta in museo Pestinensi, ubi vidi. Incipit v. 2 ROSA. In fine est:

LOCI
· P ·

391 ara rep. 1872 ad Maros-Portum, extat apud praefectum Ioh. Demian.

ASCLEPIo
ET HYGIAE
patera C · FABRICIVS *urceus*
DEXTER
V · S · L · M ·

Hirschfeld p. 384.

---

392 ara parva, reperta a. 1867 ad Maros-Portum, nunc Hermannstadt in museo Bruckenthaliano.

DIIS ·
DEABVS
Q · P · FAB
ERCLIN
·V·S·L·M·

Hirschfeld p. 392.

Diis deabusq(ue) P. Fab(ius) Herclian(us) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

---

393 ara magna. Karlsburg *Vorstadt* n. 272.

Hirschfeld:	*Benndorf:*
DEAR\ / / / /	DEAPV CVN
CISE / / / / /	C T S E—ES
/ V V / / / / / /	/ V V
/ / / / / / / /	/ / / / / / /
	IVL

Hirschfeld p. 384.

---

394 ara magna, ad Karlsburgum in campis pone castellum.

EPONE REGIN
SANC · C · ////
S /////// LEG
AVG · PR · PR · COS
DAC · III /////
///////////
/ V ///////
NVS ////S ALE
// IENT ///

Hirschfeld p. 385.

395 ara parva. Karlsburg *Vorstadt* n. 272.

I O M

Hirschfeld p. 388.

---

396 rep. a. 1867 ad Maros-Portum, nunc Hermannstadt in museo Bruckenthaliano.

I O M
EX VO
POS

Hirschfeld p. 392.

---

397 columna magna male scripta, rep. ad Maros-Portum a. 1872, est ibi apud negotiantem Hirsch, destinata museo Klausenburgensi.

I O M
AVR · MRTNVS
BASVS · E · AVR
CASTOR · PO · LYD
I CIRCVMSTNTES
VIDERVNT · NWEN
AOVLAE · DSCIDSE
MONTE · SVPRADRACONES
TRES · VALIDA V/PE
SVPSTRNXIT · AOVLA
HI · SS · AOVLA DE
PERICVLO
LIBERAVERVNT

V · L · M · P

Hirschfeld p. 386.

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) Aur(elius) Martinus Basus(?) et Aur(elius) Castor po(ntem?) Lydi circumstantes viderunt numen a[q]uilae descidise [id est *descendisse*, ut *escidit* similiaque sunt in actis Arvalium p. 32 Henzen] *monte supra dracones tres. Valida v[i]pe[ra] supstrinxit a[q]uila(m). Hi s(upra) s(cripti) a[q]uila(m) de periculo liberaverunt. V(oto) l(ibentes) m(erito) p(osuerunt).*

4 quod proposui, ne *circumstantes* absolute proferatur, quam sit incertum, non ignoro; nam fluvii nomen tale ignotum est. Praestat fortasse *po(pulo) Lydi,* quamquam ita dicendum fuit non *populo,* sed *natione.* — 9 supplevit Hirschfeld.

398 ara parva. Karlsburg *Vorstadt* n. 272.

I O M
IVLIVS
MEMNON
VOTVM
REDDID
IT · D · D

Hirschfeld p. 387.

---

399 ad Maros-Portum rep., nunc Alvinczii apud Bacsillam.

I · O · M · E · IVN ·
REG · ET · G · LO

Hirschfeld p. 393.
I(ovi) o(ptimo) m(aximo) e[t] Iun(oni) reg(inae) et G(enio) loc(i).

---

400 ara parva, rep. fortasse Apuli, extat in vico Koslárd (prope Karlsburg versus Nagy Enyed) in domo quae fuit Pauli a Födvary, est Caroli Zejk.

I · O · M DOLICHE
NO · PRO SALVTE
IMPERATOR
AEL · *VALENTINVS · VET*
SACERDOS
TEMPL · IMPENDIO SVO
RESTITVIT

Hirschfeld p. 381.
4 quae dantur inclinatis, restituta sunt in litura.

---

401 columna rep. ad Maros-Portum, nunc Mühlbach *bei dem Oberförster Bömches.*

I · O · M · D ·
AVRELII
ALEXAN
DER · ET · FLA
VS · SVRI
NEGOTIA
TORES EX
VOTO · L · P

Gooss *Archiv* 12, 169.

402 ara, rep. ad Maros-Portum a. 1867, nunc Schaessburgi in gymnasio.

INVICTO
MYTRAE
SEX · SYNTR
OFVS · V · S · L

Gooss *Archiv* 12, 169.

---

403 ara reperta a. 1867 ad Maros-Portum, est Hermannstadt in museo Bruckenthaliano.

SILVA
NO ME
RIT A LI
BES POS ·
TAN · TERTI
VS

Hirschfeld p. 393.
Silvano merit(o) a(nimo) libe(n)s pos(uit) Tan(nonius) Tertius.

---

404 ara rep. ad Maros-Portum, est Karlsburgi apud advocatum Nicolaum Barbu.

SILVAN
DOM
L · AE · LVCI
ANVS
V · S · L · M ·

Benndorf descripsit Hirschfeldio p. 389.

---

406 ara parva, rep. ad Maros-Portum a. 1873, est Karlsburg *Vorstadt* n. 136.

SILVANO
DOMESTCO
M · LVCIL · PHI
LOCEMON
II · VIR · COL ·
AVR · APVL ·
V · L · P ·

Hirschfeld p. 388; Gooss *Archiv* 12, 161
Confirmatur hoc titulo quod co imperatorem Apuli non solum municipium Aurelium, sed Aureliam condidisse.

406 columna magna. Karlsburg *Vorstadt* n. 272.

D / . D Ɔ V
O MARIC/
SENTI
VS ALE
XAND
RI

V S L M

Hirschfeld p. 385.

1 inter D et B aut A fuisse aut V deficiente fortasse praeterea littera altera, in fine aut nullam litteram deesse aut unam ait Hirschf. Potest igitur fuisse *daeab(us) Su...* — 2 fin. aut C aut O aut Q.

---

407 ara, ad Maros-Portum, est Alvinczii apud Bacsillam.

IINVS II
M · ANT · SABI
NVS DEC · COL ·
V S

Hirschfeld p. 393.

---

408 rep. ad Maros-Portum a. 1868, est Maros-Varodyae penes Theophilum Israel.

pedes viri stantis
et bestiae

AVREL · TZOAOTVS
EX VOTO POSVIT

Hirschfeld p. 390.

---

409 ad Maros-Portum rep., est in muro Klausenburgensi.

Amor ad truncum arboris stans,
faci inversae innixus, d. ramum
cum fructibus tenens

PRIMA VERA

Benndorfius dedit Hirschfeldio p. 394 adseverans monumentum genuinum esse.

Addo Graecas tres:

410 ara rep. a. 1872/3 ad Maros-Portum.

ZЄY · CAP
ΔЄNΔHN
ω POYΦOC
ANTIΠA
TPOY ЄY
XHN · ANЄΘ

Hirschfeld p. 390. Numen ignotum est.

---

411 ara rep. a. 1872 ad Maros-Portum, est Karlsburg *Vorstadt* n. 134.

ЄΞ ЄΠIT
AΓHC MH
TPOC TPO
KΛIMHNH
C

Hirschfeld p. 390.
Ἐξ ἐπιταγῆς μητρὸς Τροκλιμήνης. Numen item ignotum.

---

412 in altero anaglyphorum Mithriacorum duorum repertorum c. a. 1860 in alveo fl. Marosch et Alvincz. Adservantur Broosi apud doctorem Bartsi.

AYPHΛI[o]C CTЄΦANoC ΘЄω MIΘPA ЄYXAPICTHPIN

Gooss *Archiv* 12, 170.

---

413 litteris pulchris. Rep. fortasse Apuli; extat in vico Koslárd [v. n. 400] in domo Zejk.

C · ANT · C · FIL · PAPIR ·
VALENTINO · Q ·
DEC · COL · APVL · C ·
ANT · AGRIPPIN'S
A MILIT · DEC · COL ·
NAPOC · ET MVNIC ·
POT · FIL · ET GAII · ANT ·
MARCELLVS · AGRIP
PINVS · DEC · COL · A
PVL · MARCELLA ET A
GRIPPINA · NEPOT · EI'S

Hirschfeld p. 381.

C. Ant(onio) C. fil. Papir(ia) Valentino q(uondam) dec(urioni) col(oniae) Apul(i) C. Ant(onius) Agrippinus a milit(iis), dec(urio) col(oniae) Napoc(ae) et munic(ipii) Pot(aissae) fil(ius) et Gaii Ant(onii) Marcellus, Agrippinus dec(urio) col(oniae) Apul(i), Marcella et Agrippina nepot(es) eius. Collegit inde Hirschfeldius collatis iis quae observavi p. 172 tituloque n. 913 iam ab ipso emendato (v. supra n. 381) Potaissam olim Napocae vicum deinde ad municipii ius pervenisse, mox factum esse municipium Septimium, postremo coloniam Septimiam.

414 ara scripta pulchris litteris saeculi Antoninorum; rep. a. 1872; est Karlsburgi *Vorstadt* n. 146.

in antica:

ER
II BALNE
POPVLO · PV
BLICE OLEVM
POSVIT

L · D · D · D

in latere sinistro:

RARISSIA
SEX · SENTINAS MAXI
MVS · ANNO · PRIMO
/ACTI MVNICIPI
POSVIT

Hirschfeld p. 389; Gooss *Archiv* 12 p. 167. 168.
1, 5 BLIC · E Gooss.

---

415 Karlsburg rep. c. a. 1865 *südwestlich von der Festung.* Hodie *Vorstadt* n. 126.

FAMILIARICVM A S
OLO · PROSMONI EX SVO
FECERVNT . PER AVR
STATIVM ET VLP PA
VLVM QVAESTORES

Gooss *Archiv* 11, 114; Hirschfeld p. 391.
Prosmoni Hirschfeldio interprete collegium est aliquod, quod ut verum sit, ita quomodo ad oppidum Dalmatiae Promonam referri possit, equidem non perspicio.

---

416 a. 1867 ad Maros-Portum rep., est Hermannstadt in museo Bruckenthaliano.

M · LICIN
N · MOESICVS
E · M · LICIN
EVANGELVS
FRAT ·

Hirschfeld p. 393.

417 Maros-Porto in aedibus e regione praefecti Demian.

D · M
MAMMVLO
VIX · AN · XXV
VLP CLONO
V MENS I VLP
IVVENALIS
MAMMVLO
NN XII
MAMMVLO
PIISSIMO

Gooss *Archiv* 12, 169.

Mammulus ὑποκοριστικόν ad exemplum Mammulae factum Iuvenalis duobus filiis videtur tribuisse, quorum alter mortuus est annorum XXV, alter annorum XII.

---

418 ad Maros-Portum rep. a. 1867, nunc Maros-Varodyae in aedibus Szandor.

d M
SEIO RE
*u*IX · AN · III
VS · SEC
III · AV

Hirschfeld p. 392.

ALBVRNVS MAIOR (p. 213).

419 n. 1263 explevit Hirschfeld p. 416:

D M
ARRIA MAMA
VIX ANN XXV POS
BEVCVS SER CO
NIVGI B M

---

420 ara Abrudbanyae ad ecclesiam.

DIANAE
SAC
CELSENVs
ADIVTOR
MAC COLL *sic*
D D

Hirschfeld p. 395.

Dianae sac(rum) Celsenus adiutor m [illegible] *d(onum) d(edit).* Refero ad collegium aurariarum n. 941.



AMPELVM (p. 215. 1016).

421 ad n. 1279—1285. Horum unius similisve tituli fragmentum Zalatnae apud Casparem Andream descripsit Hirschfeld p. 394 hoc:

V
S SATVRN
NVS DEC
COL
5 V S

---

422 ara, Zalatnae in domo Aronis Gligon.

DEO ////
N /OIIM
\C · DVLC

Hirschfeld p. 394.

Deo [*aeter*]*n*(*o*) [*C*]*ommag*(*enorum*) *Dulc*(*eno*) ... Hirschfeld collato titulo n. 1301 *a b*.

VECZEL (p. 226. 1016).

423 ad n. 1347. Iam Devae apud Noptsam. Hirschfeld p. 416, qui legit v. 3 LVCI·7, 5 VIGIL.

---

424 ad n. 1351. Hirschfeld p. 416 sic excepit vv. 7. 8 admodum pessumdatos:

PROMT EX ST MIC
EX VI ///////

explicans *promot*(*us*) *ex st*(*atione*) *Mic*... collato titulo n. 1405 dedicato *genio pagi Mic*....

---

425 ad n. 1374. Hirschfeld p. 416 vetat nos dubitare de v. 8 PRAEF·COH.

---

426 litteris bonis saec. II; Veczeli rep. a. 1867, nunc Devae apud Noptsam.

DEA · SYR ·
M · VLPIVS
PHOEBVS
L · P

Hirschfeld p. 395.

427 Veczeli rep.; est Devae apud Spanyikum.

D M
CI/SORNVS
INC / / PA/SIT
XXV / / / IIEYT
5 EF VXOR CARA
FLAVÁ VIETA/CVS
EIVS CV/ /IT AA/

Hirschfeld p. 396.

GERMISARA (p. 228. 1016).

428 Csikmo rep., est Broosi apud doctorem Bartsi.

in tabula quadrata aquila fulmini insistens unguibus coronam lauream tenens

C · IVL · TATO · D | ETR · NO · V P ·

Gooss *Archiv* 12, 170.
C. Iul(ius) Tato d(eo) et(e)rno v(oto) p(osuit).

SARMIZEGETVSA (p. 228. 1016).

429 ad n. 1455. Pars tituli nuper denuo prodiit Bacsi in effossionibus institutis ab archiepiscopo Haynaldo; Baccia igitur Apiani non est Waitzen, ut putaram, sed Bacs oppidum situm in sinistra ripa Danuvii a Petrovacz [n. 3266] occidentem versus, quo allatum esse titulum ex Sarmizegetusae ruinis probabile est. Subieci titulum expletum ex exemplo antiquo, cuius a me proposita restitutio reperto fragmento tota confirmatur.

L ANNIO *FABIANO*
*I*II VIRO CAP*ITAL* · *TRIB*
*L*EG II AVG *QVAEST* · *VRBAN*
*T*RIB PL *PRAETOR*I
5 *C V*RATORI VIA*E LATINAE*
*LEGA*T LEG X FR*ETENSIS*
*LEG A*VG PR PR *PROVINC DAC*
COL VLP TRAIAn SARm

Ediderunt Henszlmann *Grabungen des Erzbischofs von Kalocsa* p. 222 (cf. p. 208) q. n. v. (inde Hirschfeld p. 421, qui nescio quomodo fragmentum quo pertineat non agnovit) et Car. Torma *archaeol. ertesitö* 8 (1874) p. 135.

430 ad n. 1464. De G littera paene erasa, quam v. 7. 11 **dispicere mihi** visus sum, Hirschfeldius (p. 370) et Benndorfius dubitaverunt, **dum titulum** recognoscunt.

---

431 ad n. 1478. Hirschfeld p. 417 recognovit. — 4 XV. — 6 **in lapide** est LXXV. — Utrimque puer habitu Phrygio.

---

432 Varhély in casa Damascini Hibaiae.

*d*EO AETERN
*a*VR MARIN
*m*ARINI F · VEX
*col*L · FABRO
r pro SALVTE SV
*a et su*ORVM · FA
/ / / / CO
/ / / / VIT

Gooss *Archiv* 12, 171.

Cf. vita Gallieni 8: *vexilla centena praeter ea quae collegiorum erant, dracones et signa templorum omniumque legionum ibant.* Vita Aureliani 34: *populus ipse Romanus, vexilla collegiorum atque castrorum.* Ex titulis vexilliferi collegiorum antea nulli quod sciam innotuerunt.

---

433 ara, Zaikany (vico Sarmizegetusae proximo Tibiscum versus) iacet ad viam.

I O M
AVREL VALENS
FLAVIVS IORI
DEC · COLL FABR\ /
/ X VOT POSVII

Hirschfeld p. 397; Gooss *Archiv* 12, 172.

3 FLAVIVS ZOPI Gooss. — 4 FABR Gooss. — 5 /X Gooss, // Hirschf. — POSVI Gooss; requiritur POSVER.

---

434 Bukovae rep. (qui vicus est Zaikany [n. 433] proximus Tibiscum versus); nunc Brasovae apud Elekium.

Liber thyrsum tenens *Libera thyrsum tenens*

Pan *panthera* *Silenus cum tympano*

AVREL · ANNIANVS · DEO LI
BERO EX SV O DEDIT

Gooss *Archiv* 11, 110; Hirschfeld p. 397.

1 AVRELIVS Gooss.

435 Varhély in hortis prope cauponam Pichleri.

D M
// D // S /////
/////// O / RE
VL /////C\ //
PROC AVGG ORD
QVAEST VIX ANN
// XI //// RALIS
PATRI
B E N E M E R E

Gooss *Archiv* 12, 171.

5 editor cogitavit de procuratore Augusti Gordiani non recte; nam neque Augustus cognomini postponitur neque uno tenore enuntiari potuerunt procuratio commissa ab imperatore et honor municipalis. Quid subsit, ignoro.

---

436 Pestény in pavimento porticus ecclesiae reformatorum.

IMO
AVRELI
VITALIS
AVG COL
METROPOLIS
. . . .
AVR . . . A. . . . O
D . . . . CONIV
. . SPCANDE SII
ID S S D

Gooss *Archiv* 11, 111.

Primus Aurelii Vitalis redit in titulo descripto Apuli, origine tamen fortasse Sarmizegetusensi n. 1222.

---

437 ara litteris bonis, rep. Varhély, est Farkadini apud comitem Lonyai.

D · M
A V R E L I A E
D O N A T A E
V I X A N N L V
M · V L P I V S
M A R T I A L I S
VET ET DEC · COL
S A R M M E T R
C O N I V G I
C A R I S S I M Æ

Hirschfeld p. 397.

438 videtur rep. esse Sarmizegetusae, extat Brasovae (hora dimidia a Varhély) apud Elekium.

M · IVL · PAP · IVSTVS · DEC
COL· OB · HON · PONTIF ·
CAMPVM · CVM SVIS
ADITIBVS CLVSIT · ET
STATVAM · POSVIT

Gooss *Archiv* 11, 108; Hirschfeld p. 398.
3 CV/, 4 CLV//T, 5 PO/VIT Gooss.

---

439 videtur rep. Sarmizegetusae, est Brasovae apud Elekium.

D M
M · SVRONIO
ADRASTO AVG · CoL
VIX · AN · L · ET
SERVILIAE · PRI
MITIVAE · CONIVG
VIX · AN · XL · ADRAS
TVS · MARCVS · TITIA
II / I / E

Gooss *Archiv* 11, 108; Hirschfeld p. 398.
9 om. Gooss.

---

440 *auf zwei Steinbänken mit Lehnen*; Pesteny in curte rustica.

FLAMEN

VALER

Gooss *Archiv* 11, 112.
Cf. n. 1522. 1523.

---

441 Varhély rep., est Brasovae apud Elekium.

AVE · VIATOR
D · M
ANTONIAE
F
SE

Gooss *Archiv* 11, 109; Hirschfeld p. 399, hic plenius paullo.
1 'similem litterae figuram vide n. 1460' HIRSCHF.

442 videtur rep. Sarmizegetusae, est Brasovae apud Elekium.

OMPONI ///
RAE F//. AN///
A//C/A/ENA//
CL//// EP ////
NA///N XVIII
M · POMP · SEVE
CONIVGI·CARISSIMAE
CVM ///S

Gooss *Archiv* 11, 109.

TIBISCVM (p. 246. 1017).

443 Karansebes rep., iam Temesvari in museo.

I · O · M · D ·
I V L I V S
V A L E N T I N
/LAMEN · M · T
PRO SALVTEM
⌐VAM SVORVM
QVE OMNIVM
CNTVBERNIVM
·V·L·M·P

Theodorus Ortvay Pestinensis in sylloge *Történelmi Adattár* vol. 2 q. n. v. Hirschfeld p. 400 ad ectypum.

8 sic in ectypo esse visum est Hirschfeldio; in apographis est CONTVBERNIVM.

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) D(olicheno) [vel *d(epulsori)*] *Iulius Valentin(us)* [*f*]*lamen m(unicipii) T(ibisci) pro salutem suam suorumque omnium contubernalium(?) v(oto) l(ibens) m(erito) p(osuit).*

DROBETA (p. 251. 1018).

444 ad n. 1581, add. p. 1018. Recognovit Hirschfeld p. 422 et haec repperit cum coniecturis meis convenientia: 3 DIVI — 9 P P — 10 PVBLICA MVN — 11 DROBET.

---

445 ad n. 1585. Hirschfeld p. 417 recognovit Bukaresti in museo. — 1 INTERFECTA A LATRO, ut conieci. — 3 VLCVDIVS, id est *Ulcudius*. — 6. 7 DIM · VLCVDVS | ED...

Rečka (p. 252. 1018).

446 ad n. 1590. Hirschfeld p. 417 recognovit:

I O M
D E F B S Ꝺ
Ɛ T V T A T Ꝺ
C · IVL · SEI/I
NIAN'S CVA / *cet.*

---

447 ad n. 1596*a*. Hirschfeld recognovit p. 417. Est in lapide, ut emendavi, 1 PLACIDAE, 5 PRNC.

---

448 ad n. 6281. Bukaresti in museo recognovit Hirschfeld p. 422 et sic emendavit:

leones duo
aedicula

D M
AEL · VALES ·
QVI Ɛ · ES
BENVS VIX
AN LXXX ◦
SIPA CONIV
Ɛ FORVNA
TVS LIPRT
VS · PARO◦
· B · M · F · C◦

---

449 Rečka rep. a. 1870, est Bukaresti in aedibus Bolliac.

cervus fugiens ab aquila
(cuius pars superior deest)
adprehensus

TVRMASGADA
MAX . MAXIMINVS ET
IVLIANVS · MAXIMINVS
EX VOTO · POS ·

Hirschfeld p. 401.

1 Hirschfeldio nomen est numinis; sed vide ne lateat *tur(ma) Masgada(e)*. Titulus n. 1338 dedicatus *g. t. Maz.* in utramque partem trahi potest.

Tscheleju e regione Oesci.

450 Celei rep., est Bukaresti in domo Papazoglu.

/ / / / / / /
SANCTV
SOLIS
*i*NVICTI
*mi*T*h*R*ae*

Hirschfeld p. 400.

Daciae incertae (p. 253. 1018).

451 ad n. 1625. Recte dedi PRO, male autem legit Desjardinius RO. Hirschfeld p. 371.

---

452 de origine non constat; videtur tamen allata esse ex Valachia minore. Est Bukaresti apud Mich. Ghikam.

> FEROX MIL
ITAViT · AN . XXV
EQ · AN · XVIII · VIXT
AN VIIL · M · POMP
EIVS · PROCVLVS
FRATER · BENEF ·
TIRONIS · LEG ·
H · BENEMERE
NTI · POSVIT

Hirschfeld p. 401.

4 'VIIL est XXXXIII; cf. titulum Grut. 540, 3 quamquam mihi suspectum' Hirschfeld. IIL est in legis repetundarum v. 34; sed hoc repraesentat locutionem *duodequinquaginta*.

Daciae miliariae (p. 256).

453 *columna rep. Veczeli, nunc Devae apud Andream Pitsch. destinata museo Klausenburgensi.*

IMP C C/ VI O
VIC/ TRABONIA
NO GALLO P F
AVC P ET
IMP C C VIVO
AFINIO GALLO
VELDOMNIN
NO /////
LVC /////
/ / / / / / / /
/ / / / / / / /
/ / / /
AB AP
XLV

Hirschfeld p. 396.

13 AQ de secunda littera dubitans Hirschfeldius. Omnino fuit in titulo *ab Ap(ulo).*

Imp. C(aesari) C. Vivio Traboniano Gallo p. f. Aug. p. [*p.*] *et imp. C(aesari) C. Viv*[*i*]*o Afinio Gallo Veldomni*[*a*]*no* [*Vo*]*lu*[*siano*] .... *Ab A*[*pulo m. p.*] *XLV.*

Tegulae legionis XIII geminae.

454 ad n. 1629 (cf. add. p. 1018). Ex iis quae de notis antea tegulis adnotavit Hirschfeldius p. 424. 425 potiora tantum adscripsi.

Ad n. 10. CALLISTRT pro CALLISTRI in plerisque exemplaribus repperit Hirschfeld.

Ad n. 12. Maros-Porto [Blasendorf gymn.].

AVR DIONISI
LEG XIII GEM

Hirschfeldius confert titulum Devensem n. 1338 *Aureli Dionisi curatoris*, turmae fortasse.

Ad n. 15 (cf. p. 1018 ad n. 1629). Csanad com. Torontal. [mus. Pest.]. Descripsi. Desjardins n. 273 male legit SODES pro GODES; Romer n. 447c errorem deprehendit et evitavit.

Ignotae adhuc accesserunt tegulae hae:

455 [mus. Pest.]

XIII GEM
TONI NIGR

Descripsi.

---

456 *a* Maros-Porti rep. [ibi apud Demianum].
b [Mühlbach gymn.]

LEG XIII GE
AVR DEMETR

a Hirschfeld p. 410.
b Gooss *Archiv* 12, 172.

---

457 *a. b* Maros-Porti rep. [Hermannstadt in museo Bruckenthaliano].

LEG XIII GL
FL AELIODS

Hirschfeld p. 411. Cf. n. 1629, 20.

---

458 *a. b* Maros-Porti rep. a. 1867 [Hermannstadt in museo Bruckenthaliano].

LEG XIII GE
IVDEIOTARVS

Hirschfeld p. 411. Cf. n. 1629, 5.

---

459 rep. in Dacia [mus. Pest. a Kemenyo].

LEG XIII GE
/// CENTIA

Descripsi. Ed. Romer mus. Pest. n. 449.

Reliquae tegulae legionariae (p. 258. 1019).

460 ad n. 1630.
a Turn-Severin [Bukaresti in domo Bolliac].
b Tscheleju [Bukaresti in domo Bolliac].

L · V · M *aut rectis litteris aut inversis*

Hirschfeld p. 411

461 [Bukaresti in museo].

L V M COR S|

Hirschfeld p. 411.

Prima haec est eius legionis tegula, quae post ipsius nomen aliquid addat, puto nomen *Cor(nelii) S[ecundi]* vel simile. Nam in tegula legionaria cohortis mentionem fieri nullo exemplo defenditur.

---

462 Tscheleju rep. [Bukaresti in domo Bolliac].

L · V · MOES

Hirschfeld p. 411. Quamquam iam constat tegulam hanc, quam dedimus n. 6241 in Moesia inferiore, repertam esse in Dacia, non recte opinor Hirschfeldius improbavit quod conieci tegulam factam esse a legione V Macedonica postquam Dacia relicta in Moesiam rediit. Nam Tscheleju vicus, unde prodiit, cum sit e regione Oesci, sine dubio castrum remansit ibi etiam postquam Dacia Romani cesserunt. Verum est ante Severum quoque eandem legionem in Moesia inferiore castra habuisse; sed ei tum in tegula datum esse agnomen Moesiacae vix videtur posse admitti.

---

463 ad n. 1631 (cf. add. p. 1019). In tegula est teste Hirschfeldio, ut esse oportet, LEG IIII F F.

---

464 Turn-Severin compluribus exemplis [Bukaresti in domo Bolliac].

LEG Ī ITAL

Hirschfeld p. 426. Similes tegulae passim reperiuntur in Moesia inferiore (v. n. 6239). Drobetae autem quamvis in Dacia sitae cum prope absint a finibus Moesiae inferioris, legionis ei provinciae praetendentis tegulas in vicina quoque extrema inveniri non magnopere offendit.

---

465 [Bukaresti in museo].

le|G · XI · C · P · F

Hirschfeld p. 412.

Legio haec cum in Dacia non fuerit, fuerit in Moesia inferiore, ad eam quoque pervenit quod diximus de praecedentibus.

Tegulae cohortium numerorumque (p. 258. 1019).

466 ad n. 1633, 2. In tegula habente sigillum idem bis impressum vere esse COH Ī̄Ī̄ BR ∞ auctor est Hirschfeld p. 414.

467 ad n. 1633, 5. Et hanc tegulam et alteram repertam Maros-Porti servatamque Blasendorfi in gymnasio sic

COH II NV

legit qui vidit Hirschfeldius p. 426 Finalyum addens errasse, verum vidisse Tormam.

---

468 ad n. 1633, 24. Tegula cohortis tertiae Delmatarum reperta est Mehadiae a. 1813 *bei Reinigung einer Kalkgrube* (sic Hirschfeld p. 413 ex actis musei Kronstadiensis), id quod recte convenit cum titulo Mehadiensi n. 1577. Ceterum cohortem eam exercitui Moesiae superioris potius quam Dacico attribuerim (v. ad n. 1700*b*).

---

469 Korabiae [qui vicus est Tscheleju proximus ad orientem] tegulae repertae sunt cohortis cuiusdam Britannicae.

Hirschfeld p. 414 ex narratione Bolliaci Bukarestensis.

---

470 Pini prope Rečkam [Bukaresti in domo Papazoglu].

COH I E COW

Hirschfeld p. 413.
Coh(ors) I Fl(avia?) Com(magenorum).

---

471 [Mühlbach in gymnasio].

C III MO

Gooss *Archiv* 12, 172, cogitans de cohorte I Montanorum.

---

472 in ruinis aedificii Romani rep. ad Székely-Udvárhely pluribus exemplis.

C I VB *plerumque iustis litteris, raro retrogradientibus*

Gooss *Archiv* 12, 174.
C(ohors) I Ub(iorum).

---

473 Broos rep. in castris Romanis [Schaessburg gymn.].

N E R *retrogr.*

Gooss *Archiv* 12, 170.

Tegulae privatae.

474 [Bukaresti in museo].

M · AVREL
SI//RIANVS

Hirschfeld p. 410.

---

475 *a. b* Sicibidae prope Rečkam rep. [Bukaresti in domo Papazoglu].
c [Bukaresti in museo].

QREC

Hirschfeld p. 410.

---

476 [Mühlbach in gymnasio].

MENAN

Gooss *Archiv* 12, 172.

---

477 Broos pluribus exemplis [Mühlbach in gymnasio].

PAT

Gooss *Archiv* 12, 172. Cf. n. 1629, 25.

---

478 *a. b* Varhély.
c Maroş-Porti [Blasendorfi in gymnasio].

a C · I · VAL
b I VAL *retrogr.*
c I · VA · L

a. b Gooss *Archiv* 11, 107.
c Hirschfeld p. 410.

---

479 inter Alsó Kosály et Kapjon [Klausenburgi in museo].

stilo scr. 

Hirschfeld p. 410.

Instrumentum.

480 in tabella rotunda facta ex nummo aeneo, rep. Udvarhély in ruinis aedificii Romani.

FRONTO PAVLINI · F

Gooss *Archiv* 12, 175 dat ligno expressam; secundum vocabulum parum certum est.

---

481 in persona aerea rep. Rečka [Bukaresti apud Papazoglu].

bis scr. punctim T · PII · PRISCI

Hirschfeld *Mitth. der Centralcommission* 18 (1873) p. 332; *Wiener Sitzungsber.* p. 400.

---

482 in margine vasis magni. Varhély.

MARCVS A
palma
RELIO FEC

Gooss *Archiv* 11, 107.

MOESIA SVPERIOR.

RATIARIA (p. 263. 1020).

483 ad n. 6297. Hirschfeld p. 423 recognovit. — 3 lege DO · 7 · LEG · VII

VIMINACIVM (p. 264. 1021).

484 ad n. 1646. Bouhier in sylloge inscriptionum ms. (vide add. n. 354) p. 201 accepit ab Iselino professore theologiae Basileensi descriptam Belgradi ab amico eius. — 2 IIII · F, 3 DIOCL, 6 MAXIN, 7 VS EX Iselinus.

485 litteris pulcherrimis, Kostolač rep. aestate a. 1873, est Belgradi in museo.

in uno latere:

I TERRA QVAM PRO
/L A PATRIA·MORIB·E FORM
\RITER LAVDABILIS VT QVIS
CERNERE NON POSSET PVL
CHRIOR AN MELIOR · NVNC
VMVLVS SVPER ET SVPEREST
PETRONIA NoMEN · ANNOS
BIS DENOS ADQ· DVOS TETVLI·

in altero latere:

\RIII · QVI CARVIT VI
IA QVOM CAREHAC A *sic*
NIMA · NEC CARVM CI
NEREM AT TERRAM ASPOR
TARE PATERNAM · QVIVIT
ET HIC MISERVM VT DISCRV
CIET STIMVLVS ·

Hirschfeld p. 406 ad ectypum.
Puncta aut compendiis adscribuntur aut versuum finibus.

. . . .
[ponitur i]n terra (quam pro[c]ul a patria!)
morib(us) et form(a) [p]ariter laudabilis, ut quis
cernere non posset, pulchrior an melior.
Nunc [t]umulus super et super est Petronia nomen:
annos bis denos adq(ue) duos tetuli.
. . . . *[m]ariti,*
qui caruit vi[t]a, quom caret hac anima.
Nec carum cinerem at terram asportare paternam
quivit, et hic miserum ut discruciet stimulus.

SINGIDVNVM (p. 265. 1022).

486 ad n. 6305. Recognovit Hirschfeld p. 423 et sic legit dubitans de vv. 7. 8.

D · M
ΛR · FΛ
STINIANVS
SIGF/LEG IIII
FL·VIX NN X II
MIL·NN·XIII M I
NOTIDVI/ΛINIMI · aut D aut B
AEL·/VXIM COIVG
ET·FIL·B M F S S

487 ad n. 6306. Recognovit Hirschfeld p. 423. — 1 SAXIS DECIDO LYMPHA — 3 NATVSIA/// — 4 CONIVX SE/// — 6 ///STE — 7 VE certum est; desunt quinque sexve litterae — 9 COG/////RE.

---

488 Belgradi.

IMP · CAESARI
M · ANTONIO
GORDIANO
PIO · FELICI · IN
VICTO · AVG
LEG · IIII · Fl · *fe*L
GORDIANA
DEVOTA · NVMI
NI · MAIESTATI
QVE · EIVS

Bouhier in sylloge inscriptionum ms. (ms. bibl. Paris n. 60 *bis*; vide add. n. 354) p. 201 ab Iselino professore theologiae Basileensi.
6 FEL · FL traditur.

---

489 Belgradi rep. 1869, est ibi in museo.

in aerea statua Victoriae alatae in scuto scriptum:

CAIS
SAC E
RP

Hirschfeld p. 407.

---

490 Belgradi rep. 1872, est ibi in museo.

pedis vestigia

INIA FATA MEA FALCONI
QVI PLVS NON VIXI QVAM
ROMVLVS

Hirschfeld p. 405.
1 'fuit INPIA' Hirschf.

SCVPI (p. 269. 1024).

Adiunximus Scupensibus titulos supra Scupos ad fluvium Lepenatz repertos in vicis Runjewo, Eles Chan, Kutschowischte, Zlokutscham, item infra Scupos Stobos versus in vicis Blatsche et Selenikowo.

491 *nel commune di Rogneva* [Runjewo inter Scupos et Gratschanitzam] *su quel di Kaccianik, vicino alla 6ª galleria nell' angolo, ove si interseca la ferrata col torrentello Nadarinca Pro*[va] *35 ferrovia Uscub-Mitrovica, cioè fra la sinistra del torrente e la destra della ferrata, i manovali ..... trovarono un piedistallo, collana, base e piedista, e tutto d'un pezzo di marmo bianco delle antiche cave di Kaccianik ...... Ora adoprato nel vicino ponte* MORT.

I · O · M
PRO SALVTE IMP
L SEP SEVERI ET·M
AVRELI · ANTONINI
Pii FELICIS AVGG
IVΠAE · AVG · MATR
CASTROR · THA
LLON · EORVND · V
S · L · M
pOMPEIANO · ET AVito — a. p. C. 209
COS

Descripsit Morten Noë; contulit Henzen ad ectypum, quod misit idem.

I(ovi) o(ptimo) m(aximo) pro salute imp(eratorum) L. Sept(imi) Severi et M. Aureli Antonini p[ii] felicis Aug(ustorum), Iu[l]iae Aug(ustae) matr(is) castror(um) Thallon eorund(em) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) [P]ompeiano et Av[ito] co(n)s(ulibus). Praeter consuetudinem Antonino tribuuntur nomina Pii Felicis patre vivo; quare haud scio an titulus votus a. 209 dedicatus sit tempore posteriore nominaque illa is qui eum scripsit tum demum adiecerit.

---

492 *partendo dalla stazione di Zelenico* [Selenikowo inter Scupos et Stobos] *(ferrovia Salonicco-Uscub) a due ore sulle colline (sinistra Vardar) si arriva in luogo, ov' è un magnifico laghetto, cui fa capo Blaces* [= Blatsche] *villaggio bulgaro, steso su una collinetta. In quel romantico sito ho trovato il piedistallo seguente che serviva di comoda panca al pubblico. Lo feci collocare in quella chiesa* MORT.

I · O · M
IVNONI · REG · MIn
SANC · CETERIS · QVe
DIIS · DEABVS · QVE *sic*
OMNIBVS · SACR · M
AVR · TITANVS · BF
COS · LEG · VII · CL
V · S · L · M ·
C · AVFID · VICTORINO
TIB · CL · PROCVLO · COS — a. p. C. 200

Descripsit Morten Noë; ad ectypon missum ab eodem correxit Henzenus.

I(ovi) o(ptimo) m(aximo), Iunoni reg(inae), Mi[n(ervae)] sanc(tissimae) ceterisqu[e] diis deabusquae omnibus sacr(um) M. Aur(elius) Titianus b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) leg(ionis) VII Cl(audiae) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito) C. Aufid(io) Victorino Tib(erio) Cl(audio) Proculo co(n)s(ulibus). Consules cum non possint non esse ordinarii, videntur significari anni 200 dicti in laterculo sacerdotum VI, 2004 = Henzen 6057 Ti. Claudius Severus, C. Aufidius Victorinus (Severus et Victorinus VI, 220 = Henzen 6752, item fasti scripti), quorum prior duo cognomina et Severi et Proculi habuerit.

493 *alla Pro^{va} 204 circa la ferrovia Salonicco-Uscub, cioè dirimpetto al villaggio chiamato Vlascia* [= Blatsche inter Scupos et Stobos, v. add. n. 492], *ma sulla sinistra del Vardar, havvi un' antica chiesa cristiana tutta diroccata. Chi vuol entrar in quel recinto, deve calpestar la scritta seguente di marmo* MORT.

IOVI · ET · IVNO
N · *et* DRACCO *sic*
N · ET · DRACCE *sic*
NAE · ET · ALE
XANDRO · EPI
TYNCHANVS · S
VRI · OCTAVI
C · V · POSVIT

Descripsit Morten Noë; contulit Henzen ad ectypum chartaceum ab eodem missum,

4 Alexandrum significari praestigiatorem illum Abonitichitam confirmat draco ei adiunctus: cf. Lucianus *pseudom.* 7. 13. 15. Is draco est Glyco deus, cui data donaria habemus in Dacicis III, 1021. 1022, quemque sub forma serpentis cum capite humano exhibent nummi Aboniticheos (Eckhel 2, 383). Dracaenae alibi mentio non fit.

---

1009 ad n. VIII p. 851. Recognovi Agrami in museo. Extr. 7]RIPTA, non]SRIPTA. — Int. 8]NT CVM Is aes; quod dedi]Is · CVM · Is, inde ortum est, quod qui aes mundavit in principio versus Is litteras aerugini inscripsit, sub quibus ductus antiqui NT in ipso aere evidenter cernuntur. — 12 LENSI potius quam IENSI.

1010 n. XII p. 855. Recognovi Pestini quaeque in Corpore male edita esse ait Desjardinius (Dissert. p. 24), repperi recte se habere omnia (v. p. 356).

1011 n. XIX p. 862. Recognovi item Pestini similiterque repperi male emendari a Desjardinio.

1012 n. XXII p. 865. Recognovi item Pestini similiterque repperi emendationes prolatas a Desjardinio ipsi aeri contrarias esse.

1013 ad n. XXIV p. 866. Errore calami anno 108 adscribitur, cum sit a. 107.

1014 ad n. XXVI p. 869. Tabulae, quae fuerunt apud Bilemekium, iam inlatae sunt in museum Vindobonense, ubi eas recognovi et haec deprehendi emendanda:

int. 4 MLV lege MIV
5 CAET lege CAEI
MONT lege MON
8 ST EME lege STI EMI
10 C•VI lege Q•VI
14 SINGVLL lege SINGVII
20 non NERTOMARO, sed NERTOMARO
extr. 5 non QAE, sed QVAE
CREIV evidenter cernitur
8 PANNO lege PANNo
10 non est IN, sed N praecedente spatio vacuo
15 CVM lege CV/
31 IVSTI lege IVSTI

1015 ad n. XXXIV p. 877. Contulit Hirschfeldius (v. supra p. 301) p. 428 ad ectypum photographicum confirmavitque, quod iam antea apparebat, in parte interiore litteras magis expressas esse imperfecte quam permutatas. In ipsa lectione vix quicquam mutatur. Int. 1 est PARTHICI F. — 6 BRAL (vel BRAC) ET Ī̄I MATT ET Ī CL — 12 TVM error est typographi pro DVM. — Extr. 1 PARTHIC F

1016 ad n. XL p. 882 Recognovi Pestini. Recte addit Desj. int. 1 in. F litterae vestigium, item int. 5 in. litteram I. Praeterea quos ductus int. 16. 24 pro elemento B repraesentavi, iis ipsa ea littera rectius substituetur. Reliqua quae Desjardinius emendat, aut aeri contraria sunt aut id quod dedi non intellexit.

1017 n. XLII p. 884. Recognovi Pestini quaeque proponit Desjardinius qua potui diligentia examinavi. Subieci lectionem Desjardinianam meamque vv. int. 5—12, de quibus ambigitur, addens quidquid in illa est neque in mea, in re praesenti a me esse reiectum ut aeri contrarium et omnino confictum.

ego:	
II Q͟N IN AL V̄ Q͟ᵛAE APP	VS QVI MIL IN AL V̄ QVAE APP
E ET·I·VETR C R ET·Ī·AVG	ET V̄ VERAGR ET Ī AVG
/ ‿ / OĪIFI | G EI >| ˋ XIII	AVCIT · I COH XIII
Ī AST ET | CALL | ET V̄ĪĪ	I AST ET CALL ET V̄ĪĪ
I I B ı / | Ī II | ƆVI	////T Ī LVS ET Ī̄I AVG THR
I I S I T ı ʌ ı ı ı ı	Ɔ I BRIT I CALL N P
I C INPNP	S . . . . I ALPIN ET
VB C NVVNIATELL'A	VB GEMINIO CAPELLIA

Tertiam alam iam intellegitur fuisse *I veteranam civium Romanorum*, unde *V Veragrorum* effecit interpolatio Desjardiniana. Contra recte idem intellexit quartae nomen fuisse *I Augustae.* Cohortium nomina quae leguntur in versibus Desjardinianis 9. 10. 11 ficticia sunt omnia, itemque interpolavit nomen legati.

1018 ad n. XLIII p. 885. Recognovi item Pestini. Int. 2 dedi NOMINA recte; NOM SVB, quod substituit Desj., evidenter falsum est. — 5 fin. POS post QVAS recte agnovit Desj. — Extr. 1 vere dedi ego EI I THRA, id est *et I Thra*[*cum*]; non est in aere quod dat Desj. C · I · THRA. — 2 fin. quod dedi CR (non CA) in aere est, non ET, ut vult Desj. — 9 PEILIANO aes, ut dedi, non PELLIANO, ut emendatur.

1019 ad n. LI p. 893. Recognovi Neapoli a. 1873. Int. 6 est PRA[E], non PRA. — extr. 18 MALVESE factum est ex MALVENE.

1020 ad n. LVII p. 900. Ipsum aes item recognovi Neapoli a. 1873. V. 1 post MAXIMIANVS cernuntur ıı residua ex P · F · AVG. — 6 est ET ƧII, non ETIAM SI. — 8 est //SI, non XI.

LIX. GALBA

a. 68 Dec. 22.

In agro vici Anela (inter Bono et Benetutti in planitie fl. Tirsi) loco distante ab Anela min. 20 q. d. *Charchinargiu* [i. e. *calcinaccio*] rep. m. Martio a. 1872 a femina Saturnina Cocco; hodie apud Spanum. Tabulae optime servatae sunt solitoque et crassiores (scil. mill. c. 2) et maiores (longae cent. 17, largae cent. 14, cum n. XVIII Nervae sit long. 15, lat. 11; n. XXXI Hadriani long. 11. 5, lat. 9. 6; n. XXXV item Hadriani long. 16, lat. 13). Nomen veterani et dies eodem tempore scripta esse videntur atque reliqua; sed loci numerum extrinsecus (nam intus non est perscriptus), item testium nomina post tempus adiecta esse auctor mihi

intus: tabella prior.

SER·GALBA·IMPERATOR CAESAR·AVG PONTI
MAX·TRIBVNICIA·POTEST·COS·DESIG·II
VETERANIS QVI MILITAVERVNT·IN LEGIONE.
I·ADIVTRICE·HONESTAM·MISSIONEM·ET
CIVITATEM·DEDIT·IPSIS·LIBERIS·POSTERIS
QVE EORVM ET·CONVBIVM·CVM·VXORI
BVS·QVAS·TVNC·HABVISSENT·CVM·EST·CI
VITAS IIS·DATA·AVT·SIQVI·CAELIBES·ESSENT
CVM·IIS·QVAS·POSTEA·DVXISSENT·DVM
TAXAT·SINGVLI·SINGVLAS· ANTE
DIEM XI·K IANVAR

tabella posterior.

C BELLICO NATALE·P·CORNELIO·SCIPIONE
ASIATICO·COS
TAB II PAG V LOC
VRSARI TORNALIS F SARD

DESCRIPTVM ET·RECOGNITVM·EX·TABVLA
AENEA·QVAE FIXA EST ROMAE IN CAPITOLIO
AD ARA GENTIS IVLIAE LATERE DEXTRO

VRSARI.

rep. Anelae in Sardinis, extat Cagliari.

est Vesmius, qui tabulam vidit, nec refragatur imago. *Le due lamelle erano unite con un filo a più doppi di rame inargentato, passante a modo di annello a traverso a ciascun paio di fori. Ora i tre soli che sono sulla medesima linea hanno tuttora tali annelli, il quarto essendosi dovuto tagliar per poter aprire il diploma* SPANO. *Lo Spano mi dice, che quando fu trovato, aveva ancora tracce dei sigilli. Ora certo non ne conserva vestigio; soltanto laddove il resto della facciata esterna delle tavolette è ruvido ed ossidato, la striscia dov' erano i sigilli è liscia e lucente* VESME.

extrinsecus: tabella prior.

SER GALBA IMPERATOR · CAESAR AVG · PON
MAX · TRIB POT POTESTAT COS DESIGN · II *sic*
VETERANIS QVI MILITAVERVNT · IN LEGIONE I
ADIVTRICE HONESTAM MISSIONEM ET CIVI
TATEM · DEDIT QVORVM NOMINA SVBSCRIPTA
SVNT IPSIS LIBERIS POSTERISQVE EORVM
ET CONVBIVM CVM VXORIBVS QVAS TVNC
HABVISSENT · CVM EST CIVITAS IIS DATA ·
AVT · SIQVI · CAELIBES ESSENT CVM · IIS
QVAS POSTEA DVXISSENT DVMTAXAT
SINGVLI · SINGVLAS ANTE DIEM XI · K · IAN
C BELLICO NATALE · P · CORNELIO SCIPIONE ASIATIC · COS
TAB · II PAG · V LOC XVIII
VRSARI TORNALIS F SARDO
DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · EX TABVLA
AENEA QVAE FIXA EST · ROMAE · IN CAPITOLIO
AD ARAM · GENTIS · IVLIAE · LATERE · DEXTRO

tabella posterior.

S · ALARI PONTIFICA	LIS · CARALITANI
M · SLAVI · PVTIOLANI	CARALITANI
C · IVLI ENECIO[1])	NIS SVLCITANI
L · GRAECINI[2]) · FELICIS	CARALITANI
C · HERENNI · FAVSTI	CARALITANI
C · CAISI · VICTORIS	CARALITANI
M · AEMILI CAPITO	NIS VET[3]) LEG · I · AD
	IVTRIC
C · OCLATI · MACRI[4])	CARALITANI
L · VALERI · HERM	AE CARALITANI

[1]) ENECIO *in aere est, non* SENECIO; *sed cum vacet spatium in principio, aerarius dum minio scripta stilo exarat, primam litteram praetermisisse videtur.* [2]) I · GRAECIAII *cernitur.* [3]) *in tabula quamquam cernitur fere* CALITONIS · VEL, *non dubitavi ponere quod aerarius scribere sibi visus est.* CALLIONIS *Spanus.* [4]) A\ACRI *cernitur.*

Ser. Galba imperator Caesar Aug(ustus), ponti(fex) max(imus), tribunicia potestat(e)[1], co(n)s(ul) design(atus) II

veteranis, qui militaverunt in legione I adiutrice, honestam missionem et civitatem dedit

quorum nomina subscripta sunt[2], ipsis liberis posterisque eorum, et conubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est civitas iis data, aut, siqui caelibes essent, cum iis quas postea duxissent dumtaxat singuli singulas.

ante diem XI k(alendas) Ianuar(ias) C. Bellico Natale P. Cornelio Scipione Asiatico co(n)s(ulibus).

Tab(ula) II pag(ina) V loc(us) XVIII[3]

Ursari Tornalis f. Sardo

Descriptum et recognitum ex tabula aenea, quae fixa est Romae in Capitolio ad aram[4] gentis Iuliae latere dextro.

[1]) pot potestate *extrins.* [2]) quorum nomina subscripta sunt *om. intus.* [3]) XVIII *om. intus.* [4]) ara *intus.*

Edidit Iosephus Spano primum in libello mihi non viso *scoperte archeologiche fatte in Sardegna in tutto l'anno 1873* p. 25, deinde in actorum minorum academiae Taurinensis vol. IX (1873/4) p. 887—897 adiecta imagine photographica; unde iam supplentur et emendantur quae de hoc diplomate ex Vesmii nostri litteris rettuli in sylloge p. 1058.

Eiusdem legis alias epitomas duas noramus datas alteram Diomedi Phrygio (n. IV), alteram Matthaio Syro (n. V). Consulis alterius nomen in hac nostra plenius enuntiatur addito cognomine secundo Asiatici (non Africani, ut antea referebatur), quo idem item utitur in titulo urbano VI n. 1471 = Orell. 738. — Quem locum is de quo agitur miles in laterculo obtineat, haec epitoma cum paucis aliis eiusdem fere aetatis diligenter indicavit (v. p. 913). — Locus quoque legis expositae plenius paullo indicatur atque in gemellis epitomis, fere ut factum est in diplomate a. 70 (v. p. 916). — Testes denique conterranei sunt conveteranive, ut solent esse in diplomatis anno 71 antiquioribus, item pariter atque in Neroniano n. III novem numero, cum legi septem testibus satisfieret; quibus de rebus dixi p. 917.

LX. VESPASIANVS MARCO.

a. 71. d. Apr. 5. rep. Pompeiis, extat Neapoli.

Imp. Caesar Vespasianus Aug(ustus) pont(ifex) max(imus), tr(ibunicia) po-
t(estate) II, imp(erator) VI, p(ater) p(atriae), co(n)s(ul) III, desig(natus) IIII
veteranis, qui militaverunt in classe Misenensi sub Sex. Lucilio Basso, qui
sena et vicena stipendia aut plura meruerant et sunt deducti Paestum,
quorum nomina subscripta sunt, ipsis liberis posterisque eorum civitatem
dedit et conubium cum uxoribus, quas tunc habuissent, cum est civitas
iis data, aut, siqui caelibes essent, cum iis quas postea duxissent dum
taxat singuli singulas
nonis April. Caesare Aug(usti) f. Domitiano, Cn. Pedio Casco co(n)s(ulibus)
gregali M(arco) Damae f., Suro Garaseno.

Descriptum et recognitum ex tabula, quae fixa est Romae in Capitolio in podio arae gentis Iuliae parte exteriore.

Ed. A. Sogliano *giornale degli scavi di Pompei, nuova serie* 1874 p. 52.

Extat epitoma (n. VII) legis diversae, sed datae eodem die et omnino gemellae, nempe cum haec data sit veteranorum causa, qui militavissent in classe Misenate sub. Sex. Lucilio Basso et deducti essent Paestum, illa data est veteranorum causa qui militavissent in classe Ravennate sub duce eodem et deducti essent in Pannoniam. Scilicet Sex. Lucilius Bassus teste Tacito Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio praepositus mox Ravennae primus ducum Italicorum ad partes Vespasiani transiit (hist. 2, 100. 101. 3, 12. 40). Quo facto Vitellius classi Misenensi praefecit Claudium Apollinarem (l. c. 3, 57), qui quamquam et ipse mox Vespasiani partes secutus est (l. c. 3, 76. 77), Vespasianus unum Bassum pro utriusque classis iusto praefecto habuit, nam et vinculis eum statim solvit (l. c. 3, 12) et eius in Campania opera usus est (l. c. 4. 3) et cum post victoriam veteranos utriusque classis tam proditione illa quam postea opera militari optime de se meritos (cf. Tacitus hist. 3, 50. 76) praemiis adficeret, Bassi nomen in utraque lege posuit. Deducti autem sunt Ravennates in Pannoniam, quod recte componetur cum coloniis Flaviis Sirmio (III p. 418 cf. p. 415) et Siscia (III p. 501), Misenenses Paestum, quod oppidum coloniae ius habuisse innotuerat ex titulis I. N. 89. 96, quo tempore obtinuerit adhuc ignorabatur.

Locus indicatur idem fere atque in lege gemella, podium arae gentis Iuliae; in ea quod additur *de foras*, respondet enuntiato huius tabellae *parte exteriore*. — De testibus conterraneis eadem redeunt quae modo observavimus de lege a. 68; miles classiarius missus natione *Syrus Garasenus*, id est natus Gerasae in Syria Coele, testes adhibuit Laudicenos, nempe Syriae, et Antiochenses item Syriae ternos, septimumque ex Caesarea sive Turri Stratonis Palaestinae. Tribus Collina hominis Antiochensis accedit ad alios titulos civium Antiochensium eidem tribui adsc[illegible] (v. Grotefend Ital. trib. discr. p. 151).

Rep. Pompeiis d. 16 Iul. a. 1874 *nell' incavo del letto di un cubicolo appartenente alla nona bottega dell' Isola 5 Regione VIII a sinistra di chi sale dalla porta Stabiana* SOGLIANO.

intus: tabella prior.

MP · CAESAR · VESPASIANVS · AVG
PONT · MAX · TR · POT · II · IMP · VI · P · P
COS · III DESIG IIII
VETERANIS · QVI · MILITAVERVNT · IN
CLASSE · MISENENSI SVB · SEX · LVCILIO
BASSO QVI · SENA · ET VICENA · STIPENDIA
AVT · PLVRA · MERVERANT · ET · SVNT DE
DVCTI · PAESTVM · QVORVM · NOMI
NA · SVBSCRIPTA SVNT · IPSIS · LIBERIS
POSTERISQVE · EORVM · CIVITATEM · DE
DIT ET CONVBIVM CVM · VXORIBVS
QVAS · TVNC · HABVISSENT · CVM EST
CIVITAS · IIS DATA · AVT

tabella posterior.

SIQVI CAELIBES · ESSENT CVM
IIS · QVAS · POSTE●A · DVXISSENT
· DVM · TAXAT SINGVLI · SINGVLAS
NONIS APR
CAESARE AVG · F . DOMITIANO
CN · PEDIO · CASCO CoS
G R E G A L I
M · DAMAE F · SVRO GARASENO
DESCRIPTVM · ET RECOGNITVM
EX TABVLA AENEA QVAE · FIXA · EST
ROMAE · IN CAPITOLIO · IN PODIO
ARAE GENTIS I●LIAE · PARTE
EXTERIORE

Totum diploma eodem tempore scriptum esse, nomina autem partis exterioris utriusque tabulae exarata esse litteris minoribus quaerenti mihi respondit amicus FIORELLIVS.

extrinsecus: tabella prior.

IMP · CAESAR · VESPASIANVS · AVG
PONT · MAX.· TR · POT · II · IMP · VI · P P ·
COS · III · DESIG · IIII
VETERANIS · QVI · MILITAVERVNT · IN
CLASSE · MISENENSI · SVB SEX · LVCI
LIO · BASSO · QVI SENA · ET VICENA · STI
PENDIA · AVT · PLVRA · MERVERANT
ET SVNT · DEDVCTI PAESTVM QVORVM
NOMINA · SVBSCRIPTA · SVNT · IPSIS · LI
BERIS · POSTERISQVE · EORVM · CIVITA
TEM · DEDIT · ET · CONVBIVM · CVM · VXORI
BVS · QVAS · TVNC · HABVISSENT · CVM
EST · CIVITAS · IIS · DATA · AVT · SI QVI
CAELIBES · ESSENT · CVM · IIS QVAS
POSTEA · DVXISSENT · DVM · TAXAT
SINGVLI · SINGVLAS
NONIS · APRIL
CAESARE · AVG · F · DOMITIANO ·
CN · PEDIO · CASCO COS
GREGALI
M · DAMAE · F · SVRO GARASENO
DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · EX TA
BVLA · AENEA · QVAE · FIXA EST ROMAE
IN CAPITOLIO · IN PODIO · ARAE
GENTIS · IVLIAE · PARTE · EXTERIORE

tabella posterior.

APPI · DIDI · PRAXI — AE LAVDICENI · EQ · R
C · IVLI AGATHO — CLI · LAVDICENI
CN · CESSI · CN · F · COL — CESTI ANTIOCHES
L · CORNELI · SIMONIS — CAESAREA STRATON
TI · CLAVDI EPAPH — RODITI · ANTIOCHES
C · IVLI THEOPOM — PI · ANTIOCHESIS
TI · CLAVDI DEM — OSTHENIS · LAVDIC

LXI. M. ANTONINVS

a. 166 m. Mart. vel Apr.

Rep. a. 1873 in via Regensburgo ad Kumpfmühl ducente in colle eo, in quo est apotheca Behneriana, in ruderibus aedium Romanarum. **Eae largae**

intus: tabella prior.

S M AVI | -IVS ANTONINVS AVG ARMENIAC
AA | RIB POT XV IMP III COS III ET
LIVS VERVS AVG ARMENIACVS PAR
RIB POT VI IMP III COS II PROC
DIV / / N / / N / NI F DIVI HADRIANI NEPOT ////
DIVI / / / / / NI PARTHICI PRO / EPOT
DIVI /// 'A E AB NEPOTES
E QVITIB ET / / / / / / / / / I MILITAVER IN AL III
QVAE APELL I / / / / / / I FL GEMELL ET I FL SING ET
ORTIB XIII / / / / / T H CO E / I B R E V C ET I ET II
I ET III BRAC E / III T H
ITT ET IV
T SVNT IN
I S T I C I

C H A B V
P O S T E

tabella posterior.

A D
L I B E R A L E
COHORT II A
I V L I
S E C C O N I IV
DESCIPT ET RE
QVAE FIX EST R
DIVI AVG

Edidit Ohlenschlager in actis academiae Monacensis minoribus a. 1874 p. 193 seq.

ET L. VERVS SICCONI.

rep. Regensburgi, est ibidem.

fuerunt m. c. 3, longae m. 7, ante ostium habentes vestibulum longum m. 2, latum m. 1. 5.

extrinsecus: tabella prior.

M AVRE
ENIACVS
III
S L AVRE
PARTHIC
I PROCOS D
D NEPOTES D
PR POTES DIVI
EQV B ET PEDIT
AL /AE APPEL
NG ET COH
NATH ꝏ E
AQV·TANE \ CAR RAC VET
ET III THRA T BRIT IV GALL
ET VBRACA / SITAN X BATAV
ꝏ ET SVNT TIA SVB STCIO
SEVERO P P \Q ET V NT STI
PEND EMERIT DIMI
SION QVOR NOMIN S
CIVITAT ROMAN QVI
DEDER ET CONVB CV
TVNC HABVISS CVM E
AVT CVM IS QVAS POS
TAX SINGVLIS A D
M VIBIO LIBERALE P/
COHORT II AQVITAN
IV/IVS
EX EQVI
SICCONI IVLI
DESCRIPT ET RECOG
QVAE FIX EST ROM I
DIVI · AVG · AL

tabella posterior.

M · SERVILI	*getae*[1]
TI · IVLI	*felicis*
C · BELLI	*urbani*
L · PVLLI	*primi*
L · SENTI	*chrysogoni*
C · POMPONI	*statiani*
L · PVLLI	*sosimi*

[1] *testium nomina redeunt omnia in diplomatis a. 165 et 167.*

[Imp. Cae]s(ar) M. Aurelius Antoninus Aug(ustus) Armeniacus[1]) [pontif(ex)] ma[x(imus) t]rib(unicia) pot(estate) XX imp(erator) III co(n)s(ul) III et [imp. Cae]s(ar) L. Aurelius Verus Aug(ustus) Armeniacus Parthic(us) [max(imus) t]rib(unicia) pot(estate) VI imp(erator) III co(n)s(ul) II proco(n)s(ul), div[i A]n[to]n[i]ni f(ili), divi Hadriani nepotes, divi [Traia]ni Parthici pro[n]epotes, divi [Ner]vae abnepotes

equitib(us) et pedit[ib(us), qu]i militaver(unt) in al(is) III quae appell(antur)[2]) (1) I [Aur(iana)[3])] et (2) I Fl(avia) Gemell(iana) et (3) I Fl(avia) sing(ularium), et cohortib(us) XIII: [(1) I Fl(avia) Ca]nath(enorum miliaria)[4]) e[t] (2) I Breuc(orum) et (3) I et (4) II [Raet(orum)[5]) et (5) II] Aquitan(orum) et (6) III Bracar(um) e[t] (7) III Thrac(um) vet(erana) et (8) III Thra[c(um) c(ivium) R(omanorum) et (9) II]I Britt(onum) et (10) IV Gall(orum) et (11) V Braca[rum et (12) VII L]usitan(orum) [et] (13) X Batav(orum miliaria) et sunt in [Rae]tia sub [T. De]sticio Severo[6]) pr[oc(uratore)], quinq(ue) et v[igi]nt(i) stipen(dis) emerit(is) dimi[ssis honesta mis]sion(e),

quor(um) nomin(a) s[ubscripta sunt], civitat(em) Roman(am) qui [eorum non haberent] deder(unt) et conub(ium) cu[m uxoribus, quas] tunc habuiss(ent), cum e[st civitas is data], aut cum is, quas poste[a duxissent dum]tax(at) singulis.

a. d. . . . . M. Vibio Liberale P. M[artio Vero co(n)s(ulibus)][7]) cohort(e) II Aquitan(orum), [cui praest] Iu[l]ius . . . . , ex equite Sicconi[8]) Iuli . . . . .

Descript(um) et recog[nitum ex tabula aerea] quae fix(a) est Rom(ae) i[n muro post templum] divi Aug(usti) ad [Minervam].

[1]) *Hiatus qui sunt in aere non admittunt neque in Marco titulum Parthici maximi neque in altero utro titulum Medici; quibus honoribus cum imperatores iam ornentur eiusdem anni 166 die Aug. 23* (Orell. 874 = C. I. L. VI, 360), *et eos et quartam acclamationem inter Martium et Augustum eius anni adsumpserunt* (*cf. Eckhel 7, 52*). [2]) APELL *int.* [3]) *supplevit Ohlenschlager.* [4]) *supplevit idem adhibitis titulis Renierii n. 1534. 1535 et tegulis n. 6000, in quibus est* CIFC; *quorum elementorum iustam interpretationem iam tenemus.* [5]) *nomen suppletum est ex diplomate altero exercitus Raetici n. XXIV a. 107.* [6]) *nomen explevit Brunnius apud Ohlenschlagerum adhibito titulo Concordiensi, cuius supra p. 301 mentionem feci, dedicato T. Desticio T. f. Cla. Severo procuratori provinciae Raetiae a decurionibus exercitus Raetici alarum trium, quarum in titulo supersunt nomina secundae I Flaviae et tertiae I sing(ularium). Sunt igitur eae ipsae, quae in his tabulis nominantur, discimusque inde eo tempore alas non plus tres Raetiae praesedisse.* [7]) *in aere cerni litterae* P *hastam rectam, deinde litterae* M *lineam primam adfirmarunt amici Monacenses. Ohlenschlager explevit* P · MARTIO · VERO *adhibito titulo Perusino* (*Orell. 4038 cum adn. Henzeni*) *qui incipit* M. Vibio Liberale P. Martio Vero cos. X k. Apriles. *Unde item efficitur, cum nundinia consularia hac aetate bimestria esse soleant* (*Staatsrecht* 2, 82), *diploma factum esse anni 166 bimestri secundo.* [8]) SECCONI *int.*

Diploma confirmat, quod ait Dio 53, 17, nos autem adhuc non satis attenderamus, proconsulis nomine imperatores a Traiano inde tamdiu usos esse, quamdiu extra urbem essent[1]; nam quod proconsulis appellatio Marco non datur, datur Lucio, pertineat necesse est ad bellum eo tempore Lucio duce contra Parthos gestum. Ipsa tempora recte conveniunt. Nam Lucium cum constet quater in Oriente hiemem egisse (vita Veri c. 7), profectum autem esse aliquanto post acceptum imperium a. 161, quod dudum viri docti statuerunt exiisse eum a. 162, reversum esse a. 166, lex haec ita confirmat, ut non ante mensem Martium a. 166 Romam eum rediisse ostendat. Rediit autem paullo post eoque tempore, scilicet triumphi acti ob bella Armeniacum et Parthicum feliciter peracta, ante diem Aug. 23 eiusdem anni, ut supra (p. 462 not. 7) monui, imperatores et quartam acclamationem imperatoriam admiserunt et Medici appellationem, Marcus praeterea nomen Parthici maximi.

---

[1]) Exposui de hac proconsulis appellatione sollemni (nam usu vulgari eam constat perpetuam factam esse imperante Severo) *Staatsrecht* 2, 736. 793. 1067; sed vereor ne in eo erraverim, quod antiquam consuetudinem in ipsis legibus ab imperatoribus datis ante in desuetudinem abiisse statui, quam Diocletianus universum illud Italiae provinciarumque discrimen tolleret. Nam Philipporum duorum leges datae d. 28. Dec. 247 et 7. Ian. 248 cum patri proconsulatum tribuant, filio negent, ex nummis autem constet Philippos anno 248 Germanicos maximos Carpicos maximos appellatos esse (Eckhel 7, 323), probabiliter, ut dudum monuit Tillemontius 3, 268, quo tempore leges eae datae sunt, pater aut cum Germanis aut cum Carpis bellum gessit filio puero Romae relicto; quam coniecturam quae praeterea de iis bellis tradita accepimus exilia et perturbata (Zosimus 1, 20; Dexippus fr. 17*b* Dind.; Iordanis Get. 16—18) omnino admittunt.

LXII. M. ANTONINVS ANTONINI

a. 221 d. Ian. 7.

Tabella alta cent. 14, lata cent. 11. Reperta est infixa parieti castri Romani siti inter vicos Karatsch ['immo Karaghatsch' KIEPERT] et Sarnitsch horis tribus inter meridiem et orientem ['immo occidentem' KIEPERT] ab

intus litteris rudibus: tabella prior.

I · ANTONINI MAGNI · ΓI
· PII · NEPOS · M AVRELIVS · AI
PIVS · FELIX AVG SACERDOS · AM
INVICTI · SOLIS · ELAGABALI · PONI
B · POT · IIII · COS · III · P · P · NOMINA · MILIT
ILITAVER · IN COH · PR · ANTONIANIS
IIII · V · VI · VII · VIII · VIIII · X · PIS VINDI
CIBVS · QVI PIE MILITAVERVNT · FVNCTIS · IVS TRI
BVI · CONVBIVM TVM D DVM TAXAT SINGV
LIS ET PRIMIS · VXORIB · VT ETIAM · SI PER
GRINI IVRIS · FEMINAS IN MATRIMONIO
SVO · IVXERINIT · AC SI EX DVOBVS · CIVI
BVS · R · NATOS ·

1 fin. fortasse pro ΓI ante fuit FI; sed emendatum est in ipso aere.

MAGNI F. M. SEPTIMIO MAETICO.

rep. ad Philippopolim Thraciae, est Vindobonae.

oppido Chaskioj octo mil. Germanicis a Philippopoli in via Hadrianopolim versus. M. E. Weiser medicus Vindobonensis repperit; ab eo comparavit museum Caesareum Vindobonense.

extrinsecus: tabella prior.

NINI · MAGNI · PII · AVG FIL
I · NEPOS
NINVS · PIVS · FELIX · AVG
SIMVS · DEI · INVICTI · SOLIS
X TRIB · POT · IIII · COS · III · P · P
VI MILITAVERVNT · IN CO
. IIBVS PRAETORIS · ANTONINIANIS DECEM
. III · IIII · V · VI · VII · VIII · VIIII · X · PIIS · VINDICIBVS
QVI PIE · ET · FORTITER · MILITIA · FVNCTI · SVNT · IVS
TRIBVI · CONVBI · DVMTAXAT · CVM SINGVLIS · ET
PRIMIS · VXORIBVS · VT ETIAM · SI PEREGRINI
● ●
IVRIS · FEMINAS · IN MATRIMONIO · SVO
IVNXERINT · PROINDE · LIBEROS · TOLLANT
AC SI EX DVOBVS · CIVIBVS · ROMANIS · NATOS
A · D · VII · IDVS · IANVAR ·
C · VETTIO · GRATO · ET
M · VITELLIO · SELEVCO · COS
COH · IIII · PR · ANTONINIANA · P · V ·
M SEPTIMIO · M · FIL · VLP · MAETICO
TRIMONTIO ·
DESCRIPT ET · RECOGNIT · EX TABVLA · AEREA · QVAE FIXA
ROMAE IN MVRO · POS TEMPL · DIVI · AVG · AD
VAM

[Imp. Caes(ar) div]i Antonini Magni Pii Aug(usti) fil(ius), [divi Severi] Pii nepos, M. Aurelius An[to]ninus Pius Felix Aug(ustus), sacerdos am[plis]simus dei invicti Solis Elagabali, pont[ifex ma]x(imus), trib(unicia) pot(estate) IIII, co(n)s(ul) III, p(ater) p(atriae),
nomina milit(um) [q]ui militaverunt in coh[o]rtibus praetoris Antoninianis[1]) decem [I. I]I. III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII. X piis[2]) vindicibus, qui pie et fortiter militia functi sunt[3]), ius tribui conubi dumtaxat cum singulis[4]) et primis uxoribus, ut etiam si peregrini iuris feminas in matrimonio suo iunxerint[5]), proinde liberos tollant[6]) ac si ex duobus civibus Romanis natos
a. d. VII idus Ianuar. C. Vettio Grato et M. Vitellio Seleuco co(n)s(ulibus).
Coh(ors) IIII pr(aetoria) Antoniniana p(ia) v(index), M. Septimio M. fil. Ulp(ia) Maetico Trimontio.

Descript(um) et recognit(um) ex tabula aerea quae fixa [est] Romae [i]n muro pos(t) templ(um) divi Aug(usti) ad [Miner]vam.

1) Antonianis, 2) pis, 3) qui pie militaverunt functis, 4) conubium tum d dumtaxat singulis, 5) iuxerint, 6) proinde liberos tollant *om. intus.*

Contuli. Edidit Sacken in actis minoribus academiae Vindobonensis vol. 76 (1874) p. 35 addito ectypo ligno inciso accurate.

Honores Elagabali ex hac demum lege plene intelleguntur. Nam cum ego alterius eius imperatoris diplomatis n. L p. 892 hiatum ita explevissem *sacerdos amplissi[mus et invictus dei Solis] Elagabali*, rectius Vesmius iudicavit restituendum esse id ipsum quod nunc prodit *sacerdos amplissimus dei invicti Solis Elagabali.*

Consulum ordinariorum a. 221 plena nomina praeterea adsunt cum in indice libri 79 annalium Cassii Dionis sic:

Γ ΒΕΤΕΣΤΡΑΤΟΣ ΣΑΒΙΑΝ
ΚΑΙ Μ ΦΑΒΙΤΕΑΛ ΣΕΛΕΥΚΟΣ

tum in titulo Laodicensi C. I. Gr. 4472 = Le Bas-Waddington 3 n. 1839 in exemplari omnium optimo sic excepto:

ΟΥΕΤ/ΙΟΥΓΡΑΤΟΥΚΑΙΟΥΕ///ΛΙΟΥΣΕΛΕΥΚΟΥ

Unde Waddington id ipsum fere effecerat, quod in hoc aere legitur, nimirum dictos fuisse C. Vettium Gratum Sabinianum et M. Fabium Vitellium (Vetillium *Wadd.*) Seleucum. Possis tamen pro Fabio substituere Flavium. Vide huius eph. vol. I p. 136 n. 4. — Dies missionis sollemnis est praetorianorum saeculo tertio a. d. VII id. Ian. (v. p. 913).

Post missionem Maeticus in patriam rediit; Trimontium enim ipsa est Philippopolis, cuius in agro tabula inventa est, testibus Plinio h. n. 4, 11, 41: *oppidum . . . a conditore Philippopolis, nunc a situ Trimontium dicta* et Ptolemaeo 3, 11, 12: Φιλιππόπολις ἡ καὶ Τριμόντιον. Eadem est opinor *Tremontia* patria militis praetoriani qui militare coepit a. u. c. 209 (Mur. 352, 5 = C. I. L. VI, 2566).

AD TABVLAS CERATAS.

n. XXV p. 959. Instrumentum in corpore repetitum ex editione Ciparii recognovit Hirschfeldius (vide p. 301) p. 427 et haec adnotavit

int. 1 = extr. 1 est XIII G 7, ut conieceram.
2 pro THEODOTEM est THEVDOTEM
5 est in tabula FA, non FR
7 pro PARTENVE est PARTEMVE
8 pro EVICERIT est QVID EVICERIT
pro EVNVE est EVMVE
13 pro MIL LSS est MiL S S, ut conieceram.
15 pro EAM est EA

in testium subscriptionibus:
2 ante G · XIII G non videtur quicquam evanuisse.
8 seq. sic se habent:

ΑΛЄΞΑΝΔΡꞶ
ΑΝΤΙΤΑΤΡΙ
CЄΚƆΔ/ΑΥΚΤѠΡ
CЄΓΝ&Ι

id est, ut conieceram, *Alexandrus Anti*[*p*]*atri seco*(*n*)*d*[*us*] *auctor segnavi.*

AVCTARIVM.

AEGYPTVS.

ALEXANDREA (supra p. 287).

1021 ad n. 6023. Ectypum marmoris servati apud dominum del Valle de Paz monstrat legendum esse in fine sic:

SATVRNINVS · ANCY · SIGNIFE /
LEG XXII · T SERVI / / / VFI

Puto fuisse T · SERVILI · RVFI.

1022 = add. n. 330. Recte editam esse ectypum ostendit, nisi quod puncta nulla adsunt in archetypo verborumque divisio tota arbitraria est.

1023 = add. n. 336. Ex ectypo corrige 4 LEG · $\overline{III}$ · 7 · LAELI · TIRON

1024 = add. n. 337. Ectypon quod vidi confirmat lectionem Nerutsi, Renierii autem coniecturam (VPR pro VIR) refutat.

1025 = add. n. 339. Ectypo accepto sic emenda titulum scriptum litteris maximis pulcherrimisque.

L · P V B L I L I V S *labeo uiator*
C O N S V L V M · P R A E T O R*umq et*
TI · CAESARIS · PRAEF · STATC*rum*
PHILALEXANDREVS ·
ΛΟΥΚΙΟΣ ΠΟΥΒΛΙΛΙΟΣ ΛΑΒΕΩΝ ΟΥΙΑΤΟΡ *ὑπάτων*
στρατηγῶν

1026 ab altera parte legitur titulus Graecus dedicatus sub imp. Flaviis rhetori Aelio Demetrio. Alexandreae *trouvée dans la proprieté de M. Adib (du consulat d'Angleterre) entre la Cour Britannique et la rue de la Bourse, devant l'ancien quai des apostases.* Adhuc apud eundem.

*domi*NVM · ORBIS · TERRA*rum* ....
*toti*VS · PIETATIS · AV*g p.f.* ....
c. AVR · VAL · DIOCLETIAN*um* ....
*p*ATREM · AVGVSTORV*m* ....
/ AVR · SARAPION · VE*t* ....
D N M Q E

Ectypum dedit Coluccius praefectus instituti Aegyptiaci.

Videtur dedicatus post imperium abdicatum, quamquam vel sic Augustorum pater Diocletianus minus proprie dicitur, pater scilicet ex adoptione Augusti Constantii Chlori, avus Severi (ni fallor) et Constantini I Augustorum.

1027 ab altera parte est n. 1028. Alexandreae in museo.

C · A//// sIVS
MIL · CO // isp
// ASSI · H · S · E

Descripsi ad ectypum.

C. A . . . . sius mil(es) co[h(ortis) I H]isp(anorum) [c(enturia) B]assi h(ic) s(itus) e(st).

1028 ab altera parte est n. 1027. Alexandreae in museo.

P cAECILIVS
P F POL · MIL
LEG · \// 7 ·
FABVlli H · S · E

Descripsi ad ectypum.

1029 ab altera parte est n. 1032. Alexandreae in museo.

L · F L
HOR · SEVR *sic*
LEG · XXII · 7 · NERI
H S E

Descripsi ad ectypum.

1030 Alexandreae in museo Delvalle.

LEG · II · TR · FORT
VI MILITAVIT
XXXV
HERES · EIVS
5 *uirum sancti* S S I M V M

Descripsi ad ectypum.

1031 Alexandreae in museo.

D O M I I I
QVAE VIXIT
ANNOS III

Descripsi ad ectypum

1032 ab altera parte est n. 1029. Alexandreae in museo.

PACTVMEI*ae*
Q L · HE

Descripsi ad ectypum.

TALMIS (p. 16. 968).

1033 ad n. 77. Bene observavit Froehner *mélanges d'épigraphie et d'archéologie* (XI—XXV Parisiis 1875 p. 73) acrostichon inesse IVLII FAVSTINI M . . . . .

SYRIA.

SIDON (p. 27. 971).

1034 Sidone repperit Durighello; inde ab a. 1868 Parisiis in museo publico.

in columna:

ЄΤΟΥϹ ΘϤϹ
ΜΗΝoϹ ΥΠЄΡ ΚϚ
ΑΝΤѠΝΙΑ
ΜΑΜЄΤΙΝΑ *sic*
ΧΑΙΡЄ ΖΗϹΑϹΑ
ЄΝΙΑΥΤΟΝ Μ

in cippo quadrato:

D M
A N T O N I A M
M A M E R T I N M
QVAE · VIXIT · AN
NVM · ET · MENSES ·
DVoS

Contulit a me rogatus Otto Hirschfeld. Fröhner *Bulletin archéologique du musée Parent* 1 (1867) p. 38; *mélanges* (v. ad n. 1033) p. 74. Omisi in Corpore culpa mea.

Froehner cogitavit primum de era Antiochena, quae ducit ad a. p. Chr. 250, deinde de era Sidoniorum imperatoria (Eckhel 3, 367), qua pervenimus ad a. 188. Cum hac interpretatione litteratura tituli optime convenit; ea enim teste Hirschfeldio saeculi est secundi vergentis. Seleucidarum annus 299 cum respondeat anno ante Chr. 13, u. c. 741, de eo cogitari non potest, quamquam in harum partium titulis anni ad eam maxime eram definiuntur (cf. Lebas-Waddington vol. 3 n. 1875*a* — 1878). Hyperberetaeus respondet Octobri anni Iuliani.

CYPRVS (p. 41. 974).

1035 cippus quadratus rep. in vico Salines insulae Cypri.

I V ꝉ I A · O ꝉ V M
P I · ꝉ · D O N A T A
H · S · EST ·
ΙΟΥΛΙΑ ΟΛΥΜΠΟΥ ΑΠΕ
ΛΕΥΘΕΡΑ ΔѠΝΑΤΑ
ΧΡΗϹΤΗ ΧΑΙΡΕ

Ceccaldi *Revue archéol.* 29 (1875) p. 98 ed. acceptam a comite Cesnola. l. 2 IVIIA OIVM|PI · I · traditur.

CAPPADOCIA ET GALATIA.

ANCYRA (supra p. 293).

1036 Ancyrae.

. . . YM . . . ΔM . .
CONSTANTI . . .
MAXIMOΣ
. . . PEPAVS · FA
CONSTANTIV . .
C VS . . PPE . . FЄ
. . . TPAETOTHϹTACI
ЄIYЄΔRATISSIMY

Misit Mordtmannus acceptam ab amico.

Inscriptio haec, trium Augustorum opinor Constantini Constantii Constantis, ideo editur, ut aliquando corrigatur.

1037 Ancyrae.

. . . TI CL CANDIDI TRIBVNICIE
. . . APOLLIN OCT · IEI POM
NVTRICEAE H . . .

Mordtmann misit acceptam ab eodem amico.

CREMNA Pisidiae (v. p. 55).

1038 in epistylio longo m. 2. 40 Cremnae.

imp. neru AE CAESARI AVG PO//ANIA//ATI///
////IIVIR COL IVL AVG CREMNENSIVM

G. Hirschfeld descripsit. In fine fuit DVVM·VIR·COL·IVL·AVG·CREMNENSIVM.

1039 in epistylio iacente Cremnae inter templi ruinas.

NO AVG PIO FI

G. Hirschfeld descripsit.

1040 Cremnae.

NO NASONI////
MEDICO IVNIA//
SECVNDA FRA*tri*
SVO

G. Hirschfeld descripsit.

CONANE Pisidiae.

1041 in tabula longa m. 1. 05, larga m. 0. 61, crassa m. 0. 51. Ad puteum in regione occidentali vici Göinem (qui vicus situs est inter sept. et occ. ab Isbarte) ubi fuit Κονάνη Pisidiae.

imp. caes
*mar*CO AV*relio*
*se*VERO *an*
*t*ONINO *pi*
5 O *fe*LICI *aug*
*pa*RTHICO *max*
*britt*ANICO *maxi*
MO
L

G. Hirschfeld descripsit.
5 O//LICE// traditur.

AARASSOS Pisidiae?

1042 in epistylio longo m. 1. 04, alto m. 0. 34. Aḥras (a septentrione oppidi Isbarte), ubi videtur fuisse Aarassos oppidum Pisidiae (Strab. 12, 7, 2 p. 570).

DIVO
AVGVSTO

G. Hirschfeld descripsit.

ASIA.

APAMEA CIBOTVS Phrygiae (p. 71. 977).

1043 ad n. 366. Recognovit G. Hirschfeld. 4 est 7 LEG·VII·CL.

1044 ad n. 367. In eodem lapide legitur titulus Graecus (C. I. Gr. n. 3965). Excepit G. Hirschfeld utrumque sic:

OYKAI
YZΩN
ΕΠΟΙΗCΑΝ
THNKATA
ICHNETH
ANΔETICE
ΘHCEIIC ///

EICNE

D M
CASSIAM OVARTINA VI///
T ANNOS XXV · VALERI\///
IVLIANVS 7 LEG · VII CL COIV\//
B M H S E

MYRINA Mysiae.

1045 marmor longum m. 0. 80, altum m. 0. 37, crassum m. 0. 27. Ali Agha Tschiftlik in Aeolia, ubi olim fuit Myrina.

TI · CAES *ar*
DIVI · AVG · F · DI*ui iuli n*
*aug*VSTVS · PONTIF*ex maxim. trib*
*pot*EST · XXXVI · IM*p uiii cos. u* — p. C. 34/5

G. Hirschfeld descripsit.

MACEDONIA CVM THESSALIA.

LARISSA.

1046 Larissae rep. in coemeterio Iudaeorum.

P · RAMIVS
P · I · NICTORS
H · S
ΔΑΜΟΚΡΑΤΑ

E. Miller, qui descripsit, ed. *Revue archéol.* 28 (1874) p. 163.
2 requiritur P · F · VICTOR vel simile quiddam.

1047 *petite stèle de forme ogivale (hauteur de la partie destinée à sortir de terre 0. 42 m.; largeur au ras du sol 0. 46 m.).* Larissae, *faubourg au N. du Penée, dans la cour de l'église St. Karalampos.*

D M S
SIG*no c*HRISTI
FL · V///EIA · MA
TRONA · TRIBVNI
DOMINA · MANCI
PIO*r*V VIXIT
AN*no*S XXIIII
IN *d*OMO DEI
POSITA · EST

intra coronam: ☧ ω

Misit L. Duchesne qui descripsit et ectypum sumpsit. Idem ectypum mea causa contulit I. B. Rossius, quem de hoc titulo consulere potui.

D(is) m(anibus) s(acrum) sig[no C]hristi. Fl(avia) V[ell?]eia matrona tribuni, domina mancipio[r]u(m) vixit an[no]s XXIIII. In [d]omo dei posita est. Supplementa aptavi ad hiatuum spatia. Iunctae formulae *dis manibus sacrum* et *signo Christi* non magnopere offendunt, quamquam iuxta positae vix alibi redeunt. Defunctam dici *matronam tribuni*, *dominam mancipioru* fortasse inde explicandum est, quod cum abesset maritus tribuni dignitate exornatus, defunctae dominae servi titulum posuerunt perscriptum ad affectum magis domesticum quam ad legem sollemnem.

POTIDAEA s. COL. IVL. AVG. CASSANDREA.

1048 *plaque de brèche rouge encastrée dans le mur du métokhi de Dokhiarion un peu au S. de l'isthme de Pallène.*

M · VALERIO · M · F
PAP · RVGAE
AED · Q · II VIR
MACEDO PATRONO

Misit qui descripsit L. Duchesne.

Tribus Cassandrensium nunc primum innotescit.

OLYNTHVS.

1049 Olynthi, *pavé du narthex de l'église St. Mamas.*

VENERIA M
LENTVLI COM
MVNIS · H · SELENI
LAE EVTVCHIA FILIAE ET
SIBI

Misit qui descripsit L. Duchesne.

Fortasse interpretanda ad hunc fere modum: *Veneria M. Lentuli. Communis H(elviae?) Seleni[l]lae (et) Eutuchia filiae et sibi.* Sed Lentulum nullum novi praenomen Marci habentem, titulusque totus obscurus est.

THESSALONICE.

1050 Salonichi *dans la cour du séraï.*

cena funebris

O T / / / / / C V T I V L A E
*fi*L · AN · L
/ / ƆEO PVIS FIL · N · LX · H · S · S
ʊ VCVS DYDIGIS FIL
MANTA DIZAE FIL · PATRI

eques Thrax

/ / / O / / / / / / A V I
fil MATRI V · F · C ·
/ / / / S Ր V I / / / / /

Misit qui descripsit L. Duchesne.

1051 arca. Thessalonicae nuper rep. cum deiecta est porta ad orientem q. d. χρυσοπόρτα.

IVLIAE · VALERIAE · PIENTISSIME · QVAE VIXIT ANN XXI D
XLI FACIENDVM CVRAVIT
VRSINVS MARITVS EIVS ◦
DOMV SALONE ◦

Misit qui descripsit L. Duchesne.

EDESSA (Vodhena).

1052 Vodhenae in monasterio *Hagia Triada.*

D · M
E P I C T E T O
N V T R I C I O
MVLVIA · C · F · PIA
C I D A · P A T R O N A
TADI · NEPOTIS · LEG ·
PRO · PR · PROVINC
M A C E D O N I A E

I. G. v. Hahn *Reise durch die Gebiete des Drin und Wardar* (act. acad. Vindob. vol. 16 a. 1869) p. 169, quem actorum fasciculum nescio quo casu sero vidi. Ex libello inscripto Ἔκθεσις τῆς κατὰ τὴν ἐπαρχίαν Βοδενῶν διανοητικῆς ἀναπτύξεως (Constantinopoli 1874) mihi non viso excerpsit L. Duchesne.

4 MVIVIACEPIA Hahn, MVLVIAFPIA Ἔκθεσις. — 6 LEG Ἔκθ., IE Hahn. Emendaverunt titulum et Ios. Klein in annalibus soc. Rhen. vol. 55/6 p. 225 et Duchesnius in epistula mihi missa adhibito titulo Reatino (Orell. 3658) hoc: *Sex. Tadius Sex. f. Vol. Lusius Nepos Paullinus pro cos. sortitus prov. Cret. Cyr., leg. pro pr. prov. Africae, praef. fr. d., leg. pro pr. prov. Asiae, leg. pro pr. prov. Mac., praet. cand., aed. cur., q. prov. Pont. et Bit., tr. mil. leg. IIII F. f., Xvir stlit. iud., VIIIvir II qq., Mulvia C. f. Placida marito optimo et sibi.* Placida, quam apparet in provinciam secutam cum maritum ibi apud proconsulem legati officio fungentem, patrona fuit Epi liberti sui et quondam educatoris.

LYCHNIDVS (Ochrida).

1053 Ochridae in moschea S. Sophiae *in der vorderen Frontmauer der rechten Kuppel.*

DOMINO NOSTR
/IAB CONSTAN
NOB CaeSArI
F A _ H Y C I
P R

I. G. v. Hahn *Reise durch die Gebiete des Drin und Wardar* (acta acad. Vindob. vol. 16 a. 1869) p. 164.
2 E/AB, 3 C//S (?) A (?) ΩI traduntur.

STOBI (p. 119).

1054 ad n. 630. Edidit item Hahn *Reise durch die Gebiete des Drin und Wardar* (act. acad. Vindob. vol. 16 a. 1869) p. 165. — 3 VFTE etiam Hahn. — inter 6 et 7 addit versum C · IVLIVS · FXPEDITVS · FT Hahn. — 8 PXTA · MDFN · IX Hahn.

MOESIA INFERIOR.

Dobrudja.

1055 in vico Saridschey (inter Varnam et Rassovam) ad diversorium. Vide praefationem ad Troesmensia p. 145.

principium in terra latet
PRINCEPS
SIBI · ET · SVIS
V · O

Wutzer *Reise in den Orient Europas und einen Theil Westasiens* (2 voll. Elberfeld 1860. 1861. 8) 1, 252, cuius libri a me praetermissi admonuit Ios. Klein in annalibus soc. Rhenanae vol. 55/6 p. 222.
Versus non dividuntur.

DALMATIA.

DOCLEA (p. 283).

1056 Duklja ad confluentes Zetae et Moravae.

Q · CASSIO · AQVILAE
DECVRIONI · EPIDIA · C*
' LERINA · VXOR · ET · CASsiA
AQVLINA · FILIA · PATRI
PIISSIMO · ET · SIBI · ET · SVI*
VIVAE · FECERVNT

B. Bogisič professor Odessitanus misit a. 1874.
4 CASTA traditur; emendavit Bormann.

MOESIA SVPERIOR.

SCVPI (v. supra p. 330).

1057 *sopra una collina ripidissima in principio della vallata di Lepenac a sinistra di questo torrente, per chi seguendolo lasciando la pianura d'Uscub volesse valicare i Balcani.*

i |N V I C T o
i |MP · P · F ·
G A L L I E
N O A V G
D I S A N I
M O V O l
t V Q V E
c O M P A
r I · R · P

Morten Noe misit Henzeno.
6 VOI, 9 ΓI traduntur.
[*I*]*nvicto* [*i*]*mp*(*eratori*) *p*(*io*) *f*(*elici*) *Gallieno Aug*(*usto*) *dis animo vo*[*lt*]*uque* [*c*]*ompa*[*r*]*i r*(*es*) *p*(*ublica*).

Principis pulchritudinem publice laudari ut novum est, ita recte convenit Gallieni moribus effeminatis.

1058 prope collem, in quo est n. 1057, in vico Bagnane.

D · |
T · DINDIVS /|
CORNICVLA|*rius*
LEG · VII · CL VI|*xa..*
*q*VOT TESTA|*mento fieri*
PRAECEPER|*at.....par*
THENOPE N|*utrix?*
F C QVOD OPV|*s dedic*
EST IDVS AVG| *et* — a. 184? 187? 223?
AE*l*IANO| *cos*

Morten Noe misit Henzeno.

5 OVOT, 10 AEIIANO traduntur.

9 supplendus est consul prior aut a. 184 Marullus aut a. 187 Crispinus aut a. 223 Maximus.

1059 prope collem, in quo est n. 1057, in vico Cinciari.

D M
IVLIA VIX
ANN XX
H S E SoD
A CELER *f*
F C

5 CELERE traditur; puto maritum Iuliae significari Sodam Celeris filium.

PANNONIA INFERIOR.

Incertae (supra p. 390).

1060 Alberti-Irsa prope Czegléd (com. Pestin.) apud comitem Szapary.

lychnuchus
septem lucernarum

protome mulieris puerum tenentis; puer manu tenet avem	*lychnuchus similis; adscriptum est* ЄIC ...	*protome viri*

mensa, ad quam utrimque afferuntur fercula

BONE MEMORIAE
CL MAXIMILLAE
Q VIXIT ANN XXV
ET DOM DOMNIO
NI QVI DE EST IN
RETIA CONIVGI EI
VS Q V ANN XXXVII
AVE · VRBAÑA · ET · IN
GENVA SORORI BENE
MERENTI

Conzius misit descriptam ab erudito iuvene Carolo Wolf.

Ad lychnuchum adscriptum videri εἷς [θεός] monuit Conzius. — 6 aut explica *de(functus)* aut emenda *d(e)f(unctus)*. — 8 puto in lapide esse *Aur(eliae) Urbana et Ingenua.*

NORICVM.

VIRVNVM (supra p. 437).

1061 rep. in monte Helenae.

T kANIO · T · L
PHILOCRAT
BANONA . . . C . . .
. . . . D . . S . . . .
. . . .

Misit Gallenstein praefectus societatis archaeologicae Carinthiae.

1. 2 TIANIO · T · L | . . . PHILOCRAT traditur.

BEDAIVM (supra p. 444).

1062 in Haping [praecedit n. 5563 item Happingensis].

///IVNONI////
/ / / / / / / / /
/ / / / / / / / /
/ / / / / / / / /
/ / / / / / / / /
/ ɺ / / / / / / /
N/IVMI*q*V*e* OMNIVM
SVB IMPERIO///
/ / / / / / / / /
AMANDVS //OR//V/
/ / / / / / / / /
P SVPE POSVIT
/ / / / / / / / /

Boissardus Gratzensis f. 98.
7 NIVM IOVI traditur. — 12 significatur opinor magistratus aliquis Pannoniae superioris.

RAETIA.

Ad Danuvium (supra p. 447).

1063 ad n. 5918. Boissardi codicem Gratzensem denuo examinans repperi ibi f. 16 hunc titulum 'effossum in sacello super monte in pago Pfintz' descriptum sic pleniorem paullo quam hodie cernitur:

AES DIVI H
I T AE HAD A*n*
to NINO AVG P *io*
c OH T B R EC
DV · V · BISTO
Ɔ VATO BV
APPELLA
Ɔ A · I

RES GESTAE DIVI AVGVSTI (p. 769 seq.).

Beneficio Gustavi Hirschfeldi antiquitatum Graecarum exploratoris strenui et adsidui nactus ectypum optime factum eorum, quae ex rerum gestarum divi Augusti exemplari Apolloniensi supersunt, pauca quae inde addidici (nam in Waddingtoniano apographo non multa inveniri emendanda consentaneum est) iam propono.

2, 5 (vol. III p. 775) est Α^ΕΤΟΤΕ
6 cernuntur haec:
//ΙΕΒ//////ΤΗ//
id est [ΣΘΑ]ΙΕΒ[ΟΥΛΕΤΟ]ΤΗ[Σ cet.

3, 1 fin. (p. 777) ΓΑΙΩΙ
2 \ΛΦΙΕΡΩΣΕΝ
3 prima littera prostat caput indicans.
5 ΕΝΙ^/ΣΙΟΝ, id est ΕΝΙΑΥΣΙΟΝ.
6 ΗΜΕ///ΝΗΥ/////Σ (deficiunt litterae c. 22) ΩΙ (residuum ex ΜΑΡΚΩΙ)

4 (p. 779) extrema post lineam collocata hodie perierunt, item residua ex pagina quinta (p. 781) omnia.
3 prima littera prostat.
5 ΕΓΕΝοΝ scribe pro ΕΓΕΝΕΝ, qui error est typothetae.
6 /ΟΕΝΙ/// ///ΛΙΑΜΕΝ ΜΥΡΙ^////. In principio non deest nisi littera una, ante ΛΙΑ desunt litterae sex; scr. igitur ΕΓΕΝΟΝ|ΤΟ ΕΝ ΤΗ ΙΤΑΛΙΑ ΜΕΝ.

TH. MOMMSEN.

CORRIGENDA.

p. 166 v. 20 Pro *medices* legendum *medicis*.

CORSSEN.

[redacted]

INDICES.

I. NOMINA.

I. IMPERATORES ET DOMVS EORVM.

---

*) L *nota significat legem coloniae Genetivae p. 105 seq. 221 seq.*

II. NOMINA PRIVATORVM.

[redacted]

III. COGNOMINA PRIVATORVM.

[redacted]

II. NOTABILIA.

GENTES HISPANAE

GRAMMATICA QVAEDAM

III. ARGVMENTA COMMENTATIONVM.

Formis Academicis (G. Vogt).

Prodiit d. 13 Nov. 1875.